BIBLIOTECA DELLA REGIA UNIVERSITÀ DI TORINO
D. #II. 145.

# ANTONII CARACCIOLI CLERICI REGVLARIS

## De Sacris Eccleſiæ Neapolitanæ Monumentis. Liber Singularis.

In quo pleraque, in ea, à primæua ipſius per Apoſtolorum Principem inſtitutione, ad vſque annum Chriſti ferè nongenteſimum geſta, narrantur, illuſtrantur, & ad veritatem hiſtoricam reuocantur.

Opus poſthumum

*FRANCISCI BOLVITI NEAPOLITANI CLERICI REGVLARIS*

*Studio, & induſtria in lucem editum.*

*Qui cuncta digeſſit: ſtylum alicubi mutauit: omiſſas ab Auctore curas ſecundas adiecit: & innumeras pene biantes lacunas impleuit.*

AD SANCTISSIMVM DOMINVM NOSTRVM

INNOCENTIVM X. PONT. M.

Bibliothecæ S. Vincentij



Cleric. Regul. Placentiæ

BIBLIOTECA DELLA R. UNIVERSITA DI TORINO

NEAPOLI, Ex Typographia Octauij Beltrani. M.DC.XLV.
SVPERIORVM LICENTIA.

S.<sup></sup>

# S.MO DOMINO NOSTRO
# INNOCENTIO X.
## PONT. MAX.

Poſt humillima pedum oſcula

*Franciſcus Boluitus Clericus Regularis*
*S. P. AE.*

AD pedes auguſtiſsimæ dignitatis Tuæ Beatiſsime Pater, illuſtri charaĉtere diuini illius Numinis Maieſtatem repræſentantis in terris, cum exiguo libri huius munuſculo non auderem aduolui, niſi interno quodam afflatu ſperarem, Petrum in hoc acceſſu me habere duĉtorem. In iſto quidem libro, felix Apoſtolorum Principis è Syria Romam petentis, ad Neapolitanam Ciuitatem acceſſus, Fideiq; Chriſtianæ in ea ſatio, lota per ſacrũ lauacrum Candida, Aſpreno deſignato Epiſcopo, multisq; alijs Euangelij luce perfuſis, longiore narratione deſcribuntur ( coadunabat nanq; tunc ille ancillas futuræ mox Orbis Reginæ, vt nobilius, & promptius eſſet eius famulitium ) &

incruentum prętcrea ſacrificium ab eo Altiſsimo litatum, in loco, qui vſque hodie *Ara Petri* nominatur. Quis porro neget, eſſe cœli Ianitori, apprime charum, Tibi Eccleſiæ Catholicæ Antiſtiti, ſuique Succeſſori, eorum memoriam refricari? Refricari, inquam: compertum eſt enim, ea Tibi dilucidè innotuiſſe, cũ olim Apoſtolicæ Sedis Nuncium per plures annos, & cum laude, hic egiſſes. Eſt verò id Neapolitanæ Ciuitati valdè conducibile: cum minimè poſsit ſpes eius euanida reddi, futurum Te erga eam benigniſsimum, & amantiſsimum, qui memineris Prædeceſſorem Tuum, quanquam in tranſitu, paterno eam complexum amore, tantaque in eius bonum patraſſe. Et nemo certè hanc illi laudem adimet, firmam in ſemel accepta à Petro fide perſeueraſſe, nunquam mutatam mutata rebus facie, nunquam pauidam, ſemper interritam aduerſus diaboli ſatellites: imo vanos terrores, & quidquid falſa ſpecie ſibi blandiebatur, cogentem cedere veritati: illuſtrẽ propterea illam *Fideliſſimæ* appellationem promeritam: De Calcidenſibus ſcripſit Paterculus, eos dũ littora iſta peterent

Par-

Parthenopem ædificaturi,antecedentis columbæ volatum ſequutos fuiſſe; vndè cecinit noſter Statius:

*—— cui mite ſolum, trans æquora vecta*
*Ipſe Dionea monſtrauit Apollo columba.* Lib. 3. Sylu.

Puriorem,&innocentiorem columbam ſequi, firmum apud Neapolim eſt, nunquam intermittenda ſequela, ſecura nauigatione ad tranquillitatis portum perrecturam. Quam certè fidem, etiam in aduerſis Romanæ Vrbis caſibus,cùm à Saracenis penè ſubacta eſſet, oſtendit: in alieno periculo ſui oblita, inaſſuetæ celeritatis veſtigijs auxiliatum accurrens. Vt verè ſcribere potuerit Blondus, Neapolitanos extollens *Nullis maioribus ex omni Italia, quam Neapolitanorum viribus, & ſeruata eſt Roma, & Barbari expulſi.* In Deſcription.Campaniæ.
Optat itaq; Petrus pro ſuo, vt reor, erga Neapolim amore, Tibi ſucceſſori ſuo hæc innoteſcere. Gaudendum ergo Neapoli reperturæ,quod veſtigat ſi Sanctitas Tua,vt Petro gratum faciat, iſta Eccleſiæ ſuę Monumenta non dedignetur aſpicere: ac Benignitatis Tuæ oculos in ipſam Ciuitatem demittere. Demittens autem, etiam hunc noſtrum Clericorum

Regularium Ordinem, licet omnium minimum intueberis, in ea aſsiduo conatu pro Dei gloria, & proximorum ſalute laborantem, ab ipſa infantia ſua cum Beato Parente ſuo Caietano Thienço, hinc ad cœlum emigrante pretioſiſque cineribus ſuis eam beante. Qui Cœtus, poſt impertitã Ciuitati benedictionem, expectat etiam ipſe à Te benedici. *Non* enim
Geneſ. 27.38. *vnam tantum benedictionem habes* Pater Sanctiſsime, vt ille patri ſuo dicebat. Hic ſiſto, Pedibus Tuis, oſcula venerabundus infigens.

# LECTORI BENEVOLO.

QVOD in hoc Operis veſtibulo,te detineam,Beneuole Lector,& occaſione exponendi Auctoris in eo moliendo conſilium, pluſcula etiam de eius virtutibus enarrem,amor meus,&erga eum reuerentia quinquagintannali ferè temporis ſpatio exhibita, id ſuadent. Quæſo te,vt id boni,æquique conſulas: ac,diſcuſſa,ſi quæ in te eſt, ſegnitia, ad virtutum ardua, ipſius prouocatusexemplo contendere ſtudeas. Itaque, Antonius Religioni Clericorum Regulatium uomen dedit Neapoli, in hac Domo Sanctorum Apoſtolorum, die Catharinæ Virgini, ac Martyri dicato,anni milleſimi, quingenteſimi,octogeſimi quarti, à B.Andrea Auellino tunc Præpoſito in eam coopratus: cum flueret illi annus decimus nonus, & iam quatuor minoribus Ordinibus eſſet initiatus.Non ego natales eius extollam, tota ferè Europa ſplendeſcentes: Extollam potius eius modeſtiam, minimè illos per contumaces, ac rebelles ſpiritus obſcurantem, ſed humilitate reddentem ſplendidiores.Poſito tyrocinio,& Philoſophiæ curſu exacto, Romam miſſus, Theologiæ vacauit ſub Marcello Toloſa, cui coniunctus cum ſcientia ſpiritus ardor,magnam apud poſteros laudem peperit. Ibi quoque habuit ad ſacras litteras manuductorem noſtrum Antonium Agellium, laudatum à doctis viris Pſalmorum interpretem:cui poſtea ſic ipſe addictus fuit,vt in Codice Commentariorum, quo vtebatur, imitatus Lucretium, lib. 3. initio,ſcripſerit:

*Te ſequor ò Graia gentis decus, Inque tuis nunc,*
*Fixa pedum pono preſsis veſtigia ſignis.*

Theologiæ ſtudijs abſolutis, Neapolim reuertitur, philoſophicas diſciplinas docturus.Sed vix Logicas docuit(quo ego præceptore glorior) auocabatur enim, & veluti quodam naturæ impetu rapiebatur ad ſtudia ſacræ hiſtoriæ,ſacrarumque litterarum. Fuit porrò in antiquitate eccleſiaſtica eruenda ſtudioſiſſimus: Quantum enim fuit Scriptorum peruolutauit, apumque inſtar, attente, & feliciter ex floriferis quibuſque ſaltibus, omnia delibauit.Potuit iure dici. *Librorum belluo*. Sed talem eum fuiſſe,virum iam,& profeſſione religioſum,quid mirum? quandoquidem paruulus adhuc à iocularibus alienus,in quibus ætas illa licet tantilla,tota eſt,à lectione nunquam feriabatur, ac ne in menſa quidem, cui cum ſuis aſſidens, guſtato vix cibo,libellum è crumena eruebat, parentis obiurgationes minimè veritus. Mirandum potius,lectitaſſe illum aſſiduo ſtudio,ophthalmia laborantem,lippientibus, & cæcutientibus ſemper oculis, quorum dexter aliquandiù ad nucis inſtar intumuit,& proſilijt.

Quamquam verò à ſtudijs nunquam temperaret,proximorum nihilominus ſaluti procurandæ ſe ſacrauit. Ipſum experta fuit in ſpiritu ductorem,& doctorem *Vincentia de Oda* Virgo Neapolitana, cuius egregia geſta, diutinoſque cum Diabolo virginitatis eius hoſte conflictus, ſcripto tradi- [illegible] quod compertum habuiſſet,ſub externo nigro amictu, cinereo illam

inte-

internè indutam, Fratri Paulo Fulginati Cappuecino illud tranſmiſit, in ſuorum Chronicon reponendum.

Noſtris quoque inſtituendis, Magiſter effectus nouitiorum, indefeſſo labore, ſolertique cura ſudauit eius induſtria, cogitantis fundamenta tunc fodi ſuperextruendis molibus: euentu certè feliciſſimo. Nam vnus pro omnibus ſuffeciſſe cenſendus eſt. Fuit is *Iacobus de Stephano* Neapolitanus, immaculatæ puritatis adoleſcens, ideoque à B. Andrea Auellino vnicè dilectus, & Antonio, peculiari affectu commendatus. Hunc tyronem ſuum vidit poſtea ſpiritualium magiſtrum: ac demum ab Vrbano VIII. ad Iberos Caucaſi montis radices incolentes miſſum, non quidem ad aureum vellus, vt olim Argonautæ fecerunt, conſequendum, ſed ad animas ex Orco infidelitatis, & ſchiſmatis eruendas. Vbi per plures annos commoratus, cumulatus meritorum obijt, relicta ſanctitatis fama, vti breui compendiolo typis Colonienſibus edito, teſtatus eſt noſter Franciſcus Maria Maggius, prolixiore narratione geſta eius propediem, vt audio, complexurus.

Tantarum ſobolum felix educatio, aliud Patribus de Antonio inſtillauit, zelum præcipuè ipſius circa regularem obſeruantiam demiratis. Ter igitur collatum ei fuit Viſitatoris munus, ſemel in Galliæ Ciſalpinæ Prouincia, ſemel & iterum in Neapolitana, illecto ad ſubeundos oneri humeros, quod luſtrandæ Prouinciæ occaſione, loca ſacra per Italiam collocata, poſſet venerari: viroſque ſanctitate, ac doctrina conſpicuos, coram agnoſcere: vtrumque aſſecuto: quod, de his, litteræ teſtantur ab eis ad illum licet ſemel, & in tranſitu cognitum datæ, ingenti volumine adhuc extante, comprehenſæ.

Eodem pio aſtu deceptus, coactus fuit Conſultoris Patris Generalis munus ſubire. Nimirum, quòd in Vrbe Sanctorum Martyrum purpurata ſanguine, nullis conſanguineorum curis exagitatus, poſſet deuotus quieſcere. Cognita ibi eius ſcientia nonnullis S.R.E. Cardinalibus nempe Bandino, Mel ino, Montis Regalis, & Bellarmino: quorum opera Congregationi Sacrorum Rituum, & expurgationis Chriſtianæ Bibliothecæ, adiunctus fuit. Quibus adiutrices quoque manus præbuit, quanquam abſens, & Neapolim reuerſus, dum ſub Vrbano VIII. noua Breuiarij, & Martyrologij cuſio pararetur, miſſis ad vtriuſque emendationem doctis *Notationibus*, quarum exemplar apud nos extat M. S.

Inquies animum Antonij tenebat, lamentantis iugiter, & optantis, ablegatis externorum occupationibus, tandem aliquando reddi ſe ſibi. Ideo, vt omnem alios regendi curam radicitus à ſe euelleret, iuribus ferendi ſuffragij pluries renunciauit, nunquam annuentibus Patribus, niſi decimo ferè ante eius obitum anno.

Ne verò hoc renunciandi honorum culminibus, nouitium tibi, in Antonio videatur, ſcito Lector, ter ipſum eluctatum fuiſſe importunas cuiuſdam Principis è ſua familia viri ſuaſiones. Qui cum eſſet Proregi Neapolitano ab intimis, virtutumque Antonij conſcius, putauit obſequium ſe Hiſpaniarum Regi præſtiturum, ſi tantus vir, Eccleſiæ alicui Regiæ præſentationis deſtinaretur Epiſcopus. Robur tamen pectoris eius nequaquam potuit emollire, conteſtati, electurum ſe potius patriæ extorrem fieri, totoque Orbe profugum, quàm Epiſcopum. Quæ cum ſocio, qui aderat, fuiſſent manifeſta, ipſe, ſolo Deo teſte contentus, iuramenti ſacramento illum adegit, ad audita ſilentio contegenda. Sed Princeps ille, vocalis in ſui laudem effectus, cuncta patefecit.

De

De paupertatis amore,qui in eo fuit eximius,quid dicam?Excuſſa ſemel per ſolenne eius votum diuitiarum pondera, nunquam repetijt. Nec aliquando amare cœpit,quæ tunc didicit odiſſe. Erat verò iucundus cellæ eius intuitus, & artificia illuc inſpicere ingenioſæ paupertatis. Nihil in ea comprũ,ne in ſacris quidem Sanctorũ icunculis. At neq; in veſtibus. Extremo vitæ tẽpore,adhuc pelliceo thorace induebatur, quo vſus fuerat Felix Barilis Ducis Caiuani,ac Regni huius Secretarij auunculus, qui ante quadraginta octo ferè annos è viuis exceſſerat. Cumque,quantus quantus eſſet,lectioni,ac ſtudijs intentus eſſet,ob paupertatis tamen amorem,laceras veſtes,manu ſua ipſe ſibi ſarciebat.

Religionis virtutẽ adeo coluit, vt ob eius cultum,cum vix eſſet ſacerdotio inſignitus,enixè rogauerit,facultatem ſibi fieri, loca ſancta Hieroſolymitana, Chriſti Domini nõſtri pedibus calcata venerandi,cum illa adijt Coriolani Marchio: quæ tamen illi minimè conceſſa fuit. Venerabatur Paulum Papam IV. noſtræ Religionis cum B. Caietano Conditorem, ob propenſum illius in Apoſtolorum Principem animum,cuius Cathedræ Officium, ac Feſtum reſtituerat: & pro eiuſdem Baſilicæ Primatu tractatum ſcripſerat,quem extare in Bibliotheca Cardinalis Sirleti,teſtatus eſt Poſſeuinus in Apparatu. Ad hæc,optauit aliquando, Religioni noſtræ Clericorum Regularium, abſque additamento aliquo, vtpote omnium primæ, ſic appellatæ,adijci,& hoc, *Sancti Petri*. Quandoquidem Petro tanquam Parenti noſtro,poſt Omnipotentem Deum,Virginemque Sanctiſſimam, vota nuncupamus in ſolennitate Profeſſionis: nec aliam tũc Regulam legimus, quam ex capite Apoſtolicorum Actuum. Cineres Vaticanos è ſepulchris Sanctorum Pontificum iuxta ſepulcrum Principis Apoſtolorum tumulatorum effoſſos,dum fundamenta iacerentur ſuperextruendo ciborio,eorum officulis refertos,à Canonicis Vaticanæ Baſilicæ annuente Vrbano Pontifice ſibi miſſos,ſolẽni ritu,ac põpa,ſub Altare maius huius Tẽpli Sanctorũ Apoſtolorum collocandos curauit. Sericeam vittam,menſuram oſſis Sancti Ioannis Chryſoſtomi, cui erat deuotiſſimus, à noſtro Michaele Ghiſlerio amiciſſimo ſuo ſibi miſſam, theſauri loco ſemper habuit.

Ex hoc Religionis amore,manaſſe credẽdus eſt,ardor ille,quo æſtuabat iuuandi eos, qui abiurata hæreſi, ad ſinum Catholicæ Matris Eccleſiæ reuerſi eſſent: qui ad ipſum,commendantibus etiam ex Vrbe S.R.E. Cardinalibus,tanquam ad patrem confugiebant: quorum inopiæ ſubleuandæ,nihil intentatum relinquebat. Neque minus eum lancinabat fama de hæreticorum victorijs,qua aliquando percrebeſcente,viſus fuit multoties in oratione afflictim dolere, & ingemiſcere.

Mentali quoque oratione animum ſuum irrigaſſe, & quadam veluti pinguedine fœcundaſſe, ex eius frequentia colligitur, ac deuotis quibuſdam meditationibus,quas in proprium vſum, ex SS. Patribus ſibi concinnauerat.

Die trigeſima Octobris anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi noni, qui dies in Faſtis Neapolitanis,Leuitæ,& Martyri Maximo eſt ſacer,cuius ipſe tunc agones ſcripto tradebat, fulmine de cœlo tactum fuit eius cubiculũ,dũ ipſe ad vitream feneſtram legeret. Dei tamen ope nihil læſus. Expiatis ſtatim per confeſſionem labeculis ſuis,ad ſalutarem hoſtiam Liberatori ſuo litandam ſe parauit: tantique beneficij memoriam quoad vixit, recurſante anniuerſaria die,ſemper retinuit.

His denique Antonij virtutum exemplis, prouocati fuere multi ad

eius

eius imitamentum,ac præcipuè Gentiles ſui. Cum enim, ipſo Religionem ingrediente, vnus tantum ex Caracciola familia inter Noſtros numeraretur, ipſo tantis virtutum ſplendoribus radiante, numerati ſunt aliquando ex ea ſupra decem & octo ſimul in viuis exiſtentes: inter quos bini ex Iulio fratre ſuo nepotes.

Verum,ò inſcrutabilia Dei iudicia,& arcana eius conſilia! Talis,tantuſque vir,anno ferè ante eius obitum,memoriæ lapſum paſſus eſt incredibilem,ita vt nec verba nectere poſſet, & communia quæque vocabula, nedum propria,minimè illi fierent obuia. Ex inueterata tamen conſuetudine,orationi vacabat adhuc,& in genua prouolutus. Abſtinendum poſtea illi fuit, ob eiuſmodi memoriæ lapſum à Sacro faciendo: cui nihilominus quotidiè adſtabat, euchariſtico ſe epulo reficiens. Ingraueſcente demum obliuione,factuſque omnium,ac præcipuè greſſus impos, in cubiculo detinebatur. Vbi improuiſa apoplexia correptus, placida morte obijt,die Sancto Ioſeph ſacro, cuius & nomen in baptiſmo cum alijs, ſibi inditum fuerat,anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo,qui ætatis ſuæ erat penè ſeptuageſimus ſeptimus. Obitus eius communi omnium luctu exceptus eſt,ac funus frequenti populorum concurſu curatum:contendentibus quibuſque deuotionis ergo,aliquid quod ſuum fuiſſet, lucrari.

Edidit Antonius iſta. *Apologiam pro Pſalmodia in Choro* exercita etiam à doctiſſimis, nedum ſanctiſſimis viris: quam cum priuatim ad Franciſcum fratrem in Hiſpanijs agentem miſiſſet,ipſo inſcio typis mandata fuit, opera Didaci Granerij Alarconij,in Prouincia Matriti Dominicanorum Prouincialis, multis ſcatens erratis, qua exſcriptorum imperitia, qua Typographorum incuria:ſed nuper typis Lugdunenſibus prodijt emendata.

*Notas in Conſtitutiones Clericorum Regularium ad eas ab antiquitate firmandas.* Quas mutata poſt annos aliquos epigraphe inſcripſit, *Synopſim veterum Religioſorum rituum Notis ad Conſtitutiones Clericorum Regularium comprehenſam.* Editæ fuerunt Notæ Romæ. At Synopſis Pariſijs triginta ferè locis auctior, cura P.Berulli Congregationis Oratorij Galliarum Præpoſiti Generalis,ac paulò poſt S.R.E. Cardinalis.

*Collectanea Vitæ Pauli IV. & B.Caietani,& Sociorum, noſtri Ordinis Inſtitutorum.*

*Bigam illuſtrium controuerſiarum*, De S.Iacobi ſcilicet *acceſſu in Hiſpaniam: & funere Sancti Martini à S.Ambroſio curato.* Prodijt ea primum Neapoli,deinde Coloniæ apud Kinchium. Habemus eam ab auctore recognitam, innumeris penè locis locupletatam.

*Vitam S.Antonini Abbatis, & Surrentinæ Ciuitatis Patroni* è M. S. Codice Bibliothecæ noſtræ SS.Apoſtolorum erutam, Notis illuſtrauit.

*Floſculos è S Auguſtini Cōfeſſionibus* collegit,inq; *Areolas ſex* diſtinxit,excuſos Neapoli,& Antuerpię. ſed hi nomē pręferūt *Petri Mariani.* Antonius enim in ſæculo audiebat Petrus,natuſque eſt in Oppido Villæ Sanctæ Mariæ in Pelignis prope fluuium Sarrium,vulgò Sangrium, paternæ ditionis.

*Kalendarium Eccleſiæ Neapolitanæ cum Notis*, ſub nomine Decij S.R.E. Cardinalis Carafæ Archiepiſcopi Neapolitani.

*Chronologos quatuor* nempe *Herempertum Longobardum, Lupum Protoſpatam, Anonymum Caſſinenſem, & Falconem Beneuentanum*, ex antiquis MM.SS. Codd.vulgauit,addiditque eis *Propylæa* vice Commentariorum, & *Nomenclatorem.*

Contra Neotericum quendam Beneuentanum, qui B. Ianuarium ciuem

uem ſuum fecit, ſcripſit *Hiſtoricam Demonſtrationem, quod S. Ianuarij patria, Neapolis fuerit.* Cumque nouitium quoddam *epitaphium* circumferretur, validiſſimis rationibus, recenter illud eſſe confictum docuit. Vtrumque Opuſculum huic Operi inſertum eſt, mutato tamen ordine: & poſteriore, quod vulgari idiomate vulgatum fuerat, à me Latio donato.

Sudat nunc ſub prelo Lugdunenſi *Aliquorum ſacræ Scripturæ locorum expoſitio*, ſtudio, & induſtria noſtri Aloyſij Nouarini de Republica litteraria optimè meriti, edituri illam, cum alijs aliorum Opuſculis.

Demum, aliquibus ante obitum ſuum annis, huic Operi, quod nunc publici iuris facimus, totus intentus fuit. Huic hanc ille Epigraphen decreuerat. *Faſti Eccleſiæ Neapolitanæ*, ſiue *Faſti Diuales Neapolitani*. Quam ego, doctorum quoq; virorum ſequutus iudicium, coactus ſum mutare. Cur enim *Faſtorum* nomen mereri poſſet lucubratio, in qua interrupta ſæpius annorum ſeries, & vaſti multoties annorum hiatus? Cui malo, vt ipſe mederetur, multa à præfixo ſibi ſcopo aliena congeſſerat, ad vniuerſalem potius, quàm Neapolitanam Eccleſiam attinentia. Et, cum ipſe, non continuato, ſed ſaltillante calamo ſcriberet, inde lacunarum ille infinitus numerus hiauit, quibus implendis, mea ſudauit induſtria. Sicut etiam ijs, quæ in autographo ipſius pugnantia reperi, conciliandis, multiſque ob illius obliuionem, curarum ſecundarum dola deſtitutis, dolandis, poliendis, illuſtrandis. Repoſui hanc ego epigraphen. *De ſacris Eccleſiæ Neapolitanæ monumentis*. Vtque in pagina liminari, ſiue Operis titulo legis, *pleraque*, non omnia enarranda ſuſcepi. Nam, ſi quid in illa geſtum eo temporis ſpatio, quod ad vſque renouati Orbis annum nongenteſimum excurrit, Auctorem fugit, nolim id, ipſius vitio duci, cum minimè omnia narrandi onus ſuſceperit. Sed *pleraque* tantum. At de huius inſcriptionis mutatione, tuum adhuc expecto iudicium, Lector.

Sed & alia nobis reliquit Antonius, quæ lucem non aſpexerũt. In primis *Vitam Pauli IV.* noſtri, quam Italicè ſcripſit, excuſſis omnibus Archiuis, præcipuè Vaticanis, Capitolinis, & Arcis Sancti Angeli: peragratiſque locis quibuſcumque, vbi aliquid potuiſſet de Paulo ſciſcitari. Sed cum ipſe, veritati, in ea ſcribenda, litaſſet, ne quempiam offenderet, coactus eſt intra latebras Bibliothecarum noſtrarum illam condere.

*De metaphoris ſacræ Scripturæ*, minimè abſolutum tractatum.

*Propugnaculum antiquitatis* contra Neotericos multos, ingenij felicitate abuſos, ac venerandæ antiquitati, nouarum ſpeculationum inuentione illudentes.

*Aduerſariorum ſacrorum tomos tres*, in quibus multa ſacræ Scripturæ loca explanantur, & hiſtoricæ controuerſiæ enodantur.

De *Sanctis Regni Neapolitani*, Opuſculũ ex MM.SS. Martyrologijs Pulſanenſis Eccleſiæ, & Pleſchienſis, in Regno Neapolitano, litteris Longobardicis exaratis.

*Apologiam pro debita receptione Mariæ Auſtriacæ Reginæ Hungariæ*, nũc Imperatricis, *ſub baldachino*. Cũ enim Regina, dum Neapoli eſſet, à Metropolitani Templi viſitatione, Tẽplum noſtrum Paulinum ſemel, & iterum inuiſeret, prima vice ſub baldachino, ad Aram vſque maximam recepta fuit. Aliquibus poſtea ea de re rumuruſculos excitantibus, coactus fuit Antonius, vulgato materna lingua hoc ſcripto, id ex ſacrarum ceremoniarum ritibus rectè, ac ritè fuiſſe factum demonſtrare.

*De Inſtituto Religionis Clericorum Regularium actiuoſo, & contemplatiuo.*

Et alia multa. Fruere Lector editis: & me apud Deũ precibus tuis iuua.

# LEONIS ALLACII
## IN R. P. ANTONII CARACCIOLI
## de Sacris Neapolitanę Eccleſiæ Monumenta
## EPIGRAMMA.

Σειρήνων ἥδ' ἦ χῶρος, ὃν ἔδραμε νηὶ μελαίνῃ
Κηρῷ καγκρύψας οὔατα Λαερτιάδης.
Ενθάδε θυμαίνουσα θόρησε πανύστατον ἅλμα
Παρθενόπη πόντου βένθεα δυσαμένη,
Καὶ πόρε Παρθενόπη κλυτὸν οὔνομα. ὅττι κε τύμβῳ
Κείνης οἰχομένης σῆμα κέκευθε πόλις.
Τὶς δὲ πάλιν ζώωσε νεκρὴν ὄπα; Τὶς πάλιν ὦρσε
Λείριον ἐκ στομάτων ἱμερόεν τε μέλος;
Καὶ Σειρῆνας ἔγειρε; τί μοι τόσον ἐκφυγὲς ὦ νερ
Σπουδῇ ἐλᾷς ἀμφρὸς; Τὶ δρόμον ἐξανύεις;
Ην ζαθέων ἀνέρων Αντώνιος ἔκθετο βίβλον,
Τοῖσι κέκασσο Νέη ὡς φαέεσσι πόλις,
Ζωῆς ἆσμα τέτυκτο, βροτοῖς σθένος οἶδεν ὀπάζειν,
Εσκε πλέουσι λιμὴν, ἠδ' ἀχέουσι φέρει
Τοὔνεκα βαῖνε πρόφρων, ναυτίλλεο κηρὸν ἀπώσας.
Καὶ δεσμοὺς ῥήξας χανδὸν ἄφυσσε μέλος.

## Idem latinè interprete
## ÆMILIO SIBONIO.

*SIrenum hac ſtatio, quam nigra naue cucurrit*
*Auriculas cera Laertiades reprimens.*
*Poſtremum dedit hinc ſaltum correpta furore*
*Parthenope, pontum naufraga ſubſiliens.*
*Molitum inſigni tunc eſt ex vrbe ſepulchrum,*
*Parthenopen Vrbs & nominat, & tumulat.*
*Defuncta ſed quis potis eſt immittere vocem.*
*Et dulce ac varium ſic reuocare melos?*
*Sirenaſque iterat? Quorſum rapidus fugis, ò Vir,*
*Ac ſtudio euitans propere curris iter?*
*Dum libro Heroas diuos Antonius edit,*
*Vrbs uti luminibus, queis redimita nitet.*
*Vitalis vox eſt, robur mortalibus affert,*
*Solamen miſeris nauigijſque ſinum.*
*Promptus age ad litus, cera, vincliſque ſolutus,*
*Atque auidis cantum faucibus excipias.*

## ALIVD, EIVSDEM.

ΕΝθα Θεῷ πλησθέντες ἀεὶ γηθέουσιν ἐπ' ἐσθλοῖς
Χριστολάτραι τερπνῶς μακρὸν ἀρισκό μῆκος,
Ελκυσθεὶς χθονίων Αντώνιος εἴρυσεν ὄμμα.
Καὶ θάμβησε τόσσην ἀστεροπὴν μελέων.
Πρήξιας ἧχι βίω χρυσεούς τ' ἐσκέψατο μόχθους.
Καὶ θανάτοιο τέλος κλῆσιν ἄεθλα δρόμους.
Κείνων μᾶλλον ὄπωπεν ὅσοι κατ' ἀγήραον ἦκαν
Εξ ἀϊδιοσύνης κληδόνα Παρθενόπη.
Τῶν γὲ μὲν ἐκκύψας τὶς ἀγράφρονος εἶπεν ἐπ' οὖας.
Τοὺς δ' ὀνομακλήδην σαῖς σελίδεσσι γράφε.
Δεῖ γὰρ ὑπ' ἀενάοις δείκτεισι γραφέντας Ολύμπου,
Γραφθῆναι χερσίοις ἐν πινάκεσσι πέδου.
Ενθεν ἀρυσσάμενος κραδίης θεοδέγμονας ὀμφάς;
Καὶ φρένων οἰστρηθεὶς θεοδόκοις ἀδύτοις,
Οὔασι καὶ πραπίδεσσι κέρασσε μελίρρυθον ὕμνον,
Δρέψας Παρθενόπης πρήξιας Ηγεμόνων.

## Idem interprete eodem ÆMILIO SIBONIO.

*NVmine Criſticolæ pleni, ſemperque beati,*
*Qua ducunt gente ſæcula mille ſuo,*
*Abſtractus, figenſque oculos Antonius, ingens*
*Suſpexit membris irradiare iubar.*
*Eſt mores meditatus, & ardua facta laborum,*
*Luctas, & curſus, nomina, bella, neces.*
*Eximiè, ſed commemorans, quos prona veretur*
*Parthenope, ac redimit Gloria laureolis.*
*Tunc ex his aliquis prudentis dixit in aurem,*
*Horum tu chartis nomina ſcribe tuis.*
*Nam qui cærulei faſtis narrantur Olympi,*
*Hos & terrenis concelebrare decet.*
*Hauſit & hinc diuinè afflata oracula cordi,*
*Illos ex adytis pectore, mente furens.*
*Auribus, ac dulces animis immiſcuit hymnos,*
*Parthenopes narrans inclyta geſta Ducum.*

✠ ✠

## Facultas Admodum Reuerendi Patris Præpoſiti Generalis Religionis Clericorum Regularium.

### D. GREGORIVS CARAFA
### Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium.

Opus poſthumum Patris noſtri D.Antonij Caraccioli, cui titulus: *De Sacris Eccleſiæ Neapolitanæ Monumentis*, à Patre D.Franciſco Boluito, ſumma cura, labore, ac ſtudio collectum, auctum, atque illuſtratum, cum aliquot ex noſtris Theologis, quibus id commiſimus, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint, vt typis mandetur, quoad nos ſpectat, concedimus. In quorum fidem has præſentes litteras manu propria ſubſcripſimus, ac ſolito noſtro Sigillo firmauimus. Romæ in Domo noſtra S.Syluestri in Monte Quirinali. XVII. Kal. Octobris MDCXLIV.

*D.Gregorius Carafa Præpoſitus Generalis.*

Locus Sigilli.

*D.Ioannes Montoya Secretarius.*

## Licentia Reuerendiſſimi D.Vicarij Generalis, Eminentiſſimi D.Aſcanij Cardinalis Philamarini, Archiepiſcopi Neapolitani.

### REVERENDISSIME DOMINE.

Legi hanc Hiſtoriam, cui Titulus. *De Eccleſiæ Neapolitanæ Monumentis*. Et iucundam ſatis inueni, florentiſſimam Neapolitanam Diœceſim, mirificè illuſtrantem. Dignam propterea iugi prælo, valdè exiſtimo, ne incuria aliquando decidat: ſed ſemper, accurata legentiũ obuoluatur manu. Dat.in Cathedrali Neapolitana v. Kal. Octobris. MDCXLIV.

*Dominationis Veſtræ Reuerendiſſimæ.*

*Humillimus Seruus.*
*Io. Dominicus Auliſius, Doctor Theologus Collegialis, Canonicus Deputatus.*

IMPRIMATVR.

*Gregorius Pecerillus Vicarius Generalis.*

Regiſtratæ fuerunt fol. 17. à fronte.

*Fr.Ioſeph Theologus.*

# Licentia Regij Collateralis Conſilij.

## Illuſtriſs. & Excellentiſs. Domine.

NEapolitanæ Eccleſiæ Monumenta, ab Antonio Caracciolo Clerico Regulari, viro clariſſimo deſcripta perlegi, Excellentia Tua imperante. Agnoui, Auctorem, ijs, æternum eidem Eccleſiæ ſplendoris, Ordini ſuo, gloriæ, ac ſibi ipſi, pietatis, & eruditionis Monumentum poſuiſſe. Neap. Kal. Decembris MDCXLIV.

*E. V.*

*Humillimus, & deditisſimus Seruus.*

*Carolus Borrellus Clericorum Regularium Minorum.*

*Vidit Arias de Meſa Delegatus per Suam Excellentiam in reuiſione Librorum.*

Viſa ſupradicta Relatione, IMPRIMATVR.

*Brancia Regens,*
*Caſanate Regens,*
*Caracciolus Regens,*
*Zufia Regens,*
*Sanfelicius Regens,*
*Capycius Latro Regens.*

Prouiſum per S.E. die 3. Decembris 1644. *Grimaldus.*

*Iudicium Don Ferdinandi Arias de Meſa . In Supremo Iuſtitiæ Senatu Neapolitano, Regij Conſiliarij . Olim apud Salmanticenſes perpetua Iuris Pontificij Cathedræ Antecessoris : Nunc verò, apud Neapolitanos, Primarij Iuris Ciuilis Interpretis, & ex Delegatione, Regia Librorum Cenſoris, pro tuenda Regia Iuriſdictione .*

PErlegi Librum ſingularem P. Antonij Cataccioli Clerici Regularis. *De Sacris Eccleſiæ Neapolitanæ Monumentis*, opus poſthumum, magno ſtudio, & diligentia eruditiſſimi P. Franciſci Boluiti Clerici item Regularis congeſtum. Opus, iuditio, & ingenio digeſtum, eruditione pictum, ac varium, materiæ faſtigio excelſum eſt, ac tanto Auctore dignum. Qui veteribus, & iunioribus quibuſque, ſi conceptus veræ hiſtoriæ ſpeculer, ſuſpicitur accuratior, ſi verba, floridior, ſi argumentorum robur, efficacior. Si libri huius inſcriptio nomen Auctoris ſubticeret, eruditio ſumma, qua abundat, exprimeret, acumina manifeſtarent. Periodi ſingulæ exuberant ingenio Auctoris, cum tota ſcriptio clara, & diſtincta ſit, rationibus ſolida, auctoritatibus robuſta. Hæc eſt ſententia mea. Auctor, & liber, Reipublicæ, præſertim Sacræ Neapolitanæ, non ſolùm ſunt vtiles, ſed maximoperè neceſſarij. Sileat æmulatio, non audeat detrahere honorem Nobiliſſimo Auctori *De Sacris Eccleſiæ Neapolitanæ Monumentis*, egregiè diſſerenti. Pendat maxima Ciuitatum Neapolis eximio Sctiptori obſequia, non laudes: nulla enim maior, quàm, inuita inuidia, ſacra iſthæc monumenta ab antiquitatis tenebris eruta in lucem prodere. Manes Auctoris applauſu maiores redduntur, cum laudes iam ambire non poſſunt: eſt enim meruiſſe, quàm laudes audiuiſſe, excellentius. Non audeant extrinſecas: ſiquidem eius ingenio egregio, erunt periodi encomio, acumina laudi, conceptus famæ, ſacra monumenta nomini, libri ſplendori, opera æternitati. Sic ſentio, ſic ſcribo.

D. *Ferdinandus Arias de Meſa.*

# SYLLABVS
## CAPITVM.

Caput I. De Præſtantia Eccleſiæ Neapolitanæ. fol. 1.
Sect. I. Commendatur Eccleſia Neapolitana, à VIRGINIS Matris tutela. 2.
Sect. II. A dignitate eorum, qui primi eam condiderunt. 5.
Sect. III. Ab antiquitate. 7.
Sect. IV. Ab inconcuſſa in Fidei petra firmitate. 8.
Sect. V. A plurimis Sanctorum lipſanis, quæ habet, & colit. 10.
Sect. VI. A Diuorum Neapolitanorum celebritate. 11.
Sect. VII. A ſanctorum virorum incolatu. 12.
Sect. VIII. Ab amplitudine Vrbis Neapolitanæ. 14.
Sect. IX. A multitudine Baſilicarum, earumque ſplendore. 15.
Sect. X. Ab antiquitate Metropoleos, & Suffraganeis Epiſcopis. 19.
Sect. XI. A Canonicorũ, aliorumque ſacrorum Adminiſtrorum numero, & varia dignitate. 24.
Sect. XII. A multitudine Chriſtianorum, ac denſis Religioſorum turmis. 25.
Cap. II. Miſeranda Monumentorum Campaniæ iactura. 27.
Sect. I. MM. SS. Codd. clades à Diocletiano, Barbaris, Iuliano Apoſtata, Geiſerico, & alijs. 27.
Sect. II. Nonnullorum Campaniæ Martyrum agones, orbati nunc narratione hiſtorica. 30.
Sect. III. De Sinueſſano Concilio, & Epiſcopis Campanis, qui illi interfuerunt. 31.
Sect. IV. Capuani Concili Acta, quanto Catholicæ Reipublicæ damno perierint. 33.
Sect. V. Nolanæ Ciuitati, alijſque idem malum accidiſſe. 35.
Cap. III. Sancti Petri Neapolim aduentus. 41.
Sect. I. Petrum eodem die, & Romam inijſſe, & Cathedram ibi fixiſſe demonſtratur. 42.
Sect. II. Italicam Apoſtolorum expeditionem, quænam Vaticinia prædixerint. 44.
Sect. III. Quibus cum comitibus B. Petrus ex Oriente profectus ſit. 52.
Sect. IV. Petri iter ex Oriente deſcribitur. 54.
Sect. V. Maritimo ne, an terreſtri itinere è Calabria Neapolim Petrus venerit. 56.
Sect. VI. Petri Neapolim acceſſus, argumentis firmatur. 58.
Sect. VII. Annus Chriſtianæ ſalutis ſtatuitur, Petri Neapolim aduẽtus. 62.
Sect. VIII. Annus item aſtruitur conditę Parthenopes, ingrediẽte Neapolim Petro. 63.
Sect. IX. Quonam anni tempore, Neapolim Petrus aduenerit. 67.
Sect. X. Quot, & quinam fuerint Petri comites. 68.
Sect. XI. Petri Neapolim ingrediẽtis Ætas, Vultus, Cultuſque corporis exterior. 73.
§. I. Ætas. 74.
§. II. Forma, & Vultus. 75.
§. III. Capillatura. 76.
§. IV. Veſtimenta in genere. 77.
§. V. Tunica. 80.
§. VI. Pallium. 80.
§. VII. Color. 81.
§. VIII. Cingulus. 83.

§. IX.

# Syllabus Capitum.


§.IX. Calcei. 83.
§.X. Pileus. 84.
§.XI. Baculus. 86.
§.XII. Subucula, & Subligacula. 86.
§. XIII. An plurimas ſarcinas veſtium, & commeatum geſtarint Apoſtoli. 88.
Sect. XII. Quænam prætèrea Neapoli Petrus egerit. 90.
Sect. XIII. An Petrus Neapolim alias reuiſerit. 95.
Ca. IV. Sancti Pauli Neapolim aductus. 98.
Sect. I. An Paulus Neapolim aliquando venerit. 98.
Sect. II. Quinam Pauli fuerint ſocij. 100.
Sect. III. Quo tempore Neapolim venerit, indeque Romam petierit. 101.
Sect. IV. Num ipſe, ac Timotheus ſuus ad Hebræos Legatus, Neapolim aliquãdo reuiſerint. 102.
Cap. V. Primitię Chriſtianitatis Neapolitanæ Candida. 106.
Cap. VI. De Sancto Aſpreno, primo Neapolis Epiſcopo. 108.
Sect. I. Aſpreni Patria. 108.
Sect. II. Nomen. 112.
Sect. III. Genus. 114.
Sect. IV. Dignitas. 115.
Sect. V. Geſta. 116.
Sect. VI. Ætas, & Obitus. 117.
Cap. VII. De Ampelone, & trecentis alijs à Petro ad Chriſti fidem cõnerſis. 118.
Cap. VIII. De Sancto Patroba Neapolitano Epiſcopo, & Pauli diſcipulo. 120.
Cap. IX. Illuſtratur Neapolis SS. Ignatij, & Iuſtini MM. præſentia. 123.
Cap. X. De SS. MM. Fauſtino, & Iouita, & num à carnificina fuerit Neapolis immunis. 125.
Cap. XI. De Sancto Agrippino Epiſcopo. 132.
Sect. I. S. Agrippini Patria, & Genus. 132.
Sect. II. S. Agrippini Ætas, & Geſta aliquot. 135.
Sect. III. Agrippini obitus, & honorifica tumulatio. 136.
Cap. XII. De Sancto Potito Martyre, qui Euangelium Neapoli diſſeminauit. 139.
Cap. XIII. De S. Euſtaſio Epiſcopo, & Confeſſore. 143.
Cap. XIV. De S. Euphebio Confeſſore. 146.
Cap. XV. De S. Reſtituta Virgine, & Martyre. 150.
Sect. I. Fuerit ne S. Reſtituta S. Cypriani Carthaginenſis Epiſcopi diſcipula. 150.
Sect. II. Quonam imperante Martyrium ſubierit. 151.
Sect. III. Reſtitutę Ædes Carthagine exiſtentes, vtrum à noſtra hac Reſtituta nomen habuerint. 152.
Sect. IV. Vtrum NeapolitanamBaſilicam Sanctæ Reſtitutæ Conſtantinus M. Imperator ædificauerit. 153.
Sect. V. Sit ne corpus Sanctæ Reſtitutæ Neapoli nunc, an verò in Inſula Ænariæ. 157.
Cap. XVI. Martyrium, & Tranſlatio S. Iulianæ Nicomedienſis Virginis Neapoli tumulatæ. 159.
Cap. XVII. Turmæ Chriſtianorum in littoralibus Campaniæ oris pro Chriſto cæſorum. 163.
Cap. XVIII. De S. Maximi Leuitæ martyrio, Cumana ciuitate, Sybillis, & Eculeo. 168.
Sect. I. Sit ne Cumana ciuitas omnium Italicarum Vrbium antiquiſſima. 169.
Sect. II. Cumanæ Eccleſiæ Antiquitas, & Dignitas. 169.
Sect. III. De Sybillarum Nominibus, Spiritu, Numero, & Ætate. 170.
Sect. IV. S. Maximi martyrium per anacephaleoſin traditur, & eiuſdem Neapolim tranſlatio. 173.

Sect. V.

# Syllabus Capitum.


Sect. V. Eculeum, vno tantum ſtipire cõſtitiſſe, nõ pluribus. 174.
Sect. VI. Cataſtæ, & Eculei differentia. 181.
Cap. XIX. De B. Fortunata, & fratribus eius. 184.
Cap. XX. Hiſtoria S. Ianuarij. 89.
Sect. I. Ianuarij Nomen. 190.
Sect. II. Patria. 191.
§. I. Quinam primum aſſeruerint Ianuarium Beneuentanũ fuiſſe. 192.
§. II. Quæ pro Beneuentanis afferri ſolent. 192.
§. III. Pauli Regij, Dauidis Romœi, & Bernardini Siculi dicta expenduntur. 193.
§. IV. Refellitur argumentum à gente Ianuaria Beneuentana, & ab Epiſcopali Beneuentana dignitate Ianuarij. 197.
§. V. Oſtenditur, Traditionem nihil Beneuentanis prodeſſe, obeſſe plurimum. 197.
§. VI. Quidnam de domo, quæ D. Ianuarij fuiſſe dicitur, ſit ſentiendum. 205.
§. VII. Iudicium de Nouantiquo Cyphij epitaphio, Beneuenti, vt dicitur, reperto. 205.
§. VIII. Demonſtratur, coniecturas in Hiſtorijs locum habere. 208.
§. IX. Solidiſſimis Teſtimonijs probatur Ianuarij patria fuiſſe Neapolim. 209.
§. X. Collectio dictorum. 221.
Sect. III. Ianuarij Genus, Parentes, & Propinqui. 222.
Sect. IV. Dignitas. 223.
Sect. V. Studium, & Mores. 224.
Sect. VI. Adminiſtri, Amici, & in Martyrio ſocij. 226.
Sect. VII. Iudex, & Acta. 230.
Sect. VIII. Tempus necis. 233.
Sect. IX. Martyrium, & beata mors. 234.
Sect. X. Admiranda à Beato in ſui agone patrata. 240.
Sect. XI. Sepultura. 242.
Sect. XII. Tranſlatio prima è Marciano fundo Neapolim. 243.
Sect. XIII. Trãſlatio ſecunda Neapoli Beneuentum. 244.
Sect. XIV. Tranſlatio tertia, Beneuento ad Mõtem Virginis. 249.
Sect. XV. Tranſlatio quarta Neapolim è Monte Virginis. 250.
Sect. XVI. Ampullæ cruoris, & alię alibi Sancti Martyris Reliquiæ. 254.
Sect. XVII. Apparitiones. 259.
Sect. XVIII. Miracula. 261.
Sect. XIX. Tutela patriæ aduerſus hoſtes, & Peſtilitatem. 262.
Sect. XX. Tutela aduerſus Veſuuij eruptiones. 264.
Sect. XXI Patriæ ſuę Neapolis patrocinium. 265.
Sect. XXII. Ædes ſacræ in Ianuarij honorem erectæ. 268.
Sect. XXIII. Feſti dies. 273.
Sect. XXIV. Nũmi in eius honorẽ cuſi. 274.
Sect. XXV. Anonymi, ſed antiqui auctoris oratio encomiaſtica in eius laudem. 276.
Sect. XXVI. Aliorum de eodem Diuo lucubrationes. 280.
Caput XXI. Magni Conſtantini in Neapolitanam Ciuitatem aduentus, & beneficia. 287.
Sect. I. Conſtantini cum matre Helena Neapolim aduentus. 287.
Sect. II. De Eccleſijs Neapoli à Conſtantino ædificatis, ac primum de Epiſcopio, ſiue Æde S. Reſtitutæ. 290.
Sect. III. De Baſilica Sanctorum Apoſtolorum. 291.
Sect. IV. De pretioſis donarijs à Conſtantino Eccleſiæ SS. Apoſtolorum collatis. 294.
Sect. V. De Æde S. Ioannis Maioris. 298.
Sect. VI. An alias Baſilicas Neapoli Conſtantinus extruxerit. 298.
Sect. VIII. De aqua Neapolim à Con-

Conſtantino ducta.299.
Cap.XXII.SS. Fortunati, & Maximi Neapolitanorum Epiſcoporum, Geſta contra Arianos. 300.
Cap.XXIII. De S.Rufini cruore Dæmones torquente.304.
Cap.XXIV. De S.Seuero Epiſcopo, & Confeſſore.306.
Cap. XXV. Aduentus S.Melaniæ,& aliorum trium Diuorum Neapolim.312.
Cap.XXVI. Carthaginenſium Confeſſorum Neapolim appulſio.315.
Sect.I. VVandalicæ perſecutionis initium, & eiectorum numerus. 315.
Sect.II. Quando Sancti Confeſſores in Campaniam peruenerint, & quænam loca inſederint.316.
Sect. III. De Sanctis Caſtrenſe, Quoduultdeo,& Habetdeum. 317.
Sect.IV.De Sancto Gaudioſo Epiſcopo Bythinēſi, & Gelaſio Papa.319.
Cap. XXVII. De Sancto Noſtriano Epiſcopo. 322.
Cap.XXVIII. De Sancto Pomponio Epiſcopo,&Candida iuniore.324.
Cap. XXIX. De S. Agnello Abbate.328.
Cap.XXX.De Sancta Virgine Patritia.332.
Sect.I. S Patritiæ Genus. 332.
Sect.II. Educatio. 335.
Sect. III. Patrij ſoli derelictio, & Romana peregrinatio. 336.
Sect. IV. Tranſitus, Sepultura, & Miracula. 337.
Sect.V.Obiter Martyrium SS.Nicādri,& Marciani narratur.339.
Cap.XXXI. De S.Laurentio, & alijs Epiſcopis.342.
Cap. XXXII. De S. Gaudioſo ciue Neapolitano. 344.
Cap.XXXIII. Traſlatio SS.MM.Eutycetis,& Acutij Neapolim.349.
Cap.XXXIV.De S.Ioanne Aquarolio,ſeu Scriba. 352.
Cap.XXXV. Geſta S.Athanaſij Epiſcopi.356.
Sect.I.S.Athanaſij Ortus,Indoles, & Educatio. 357.
Sect.II.Eius in Neapolitanū Præſulem Electio,& Eccleſiæ Neapolitanæ Status ipſo Epiſcopo, ante Sergij Ducis tyrannidem. 358.
Sect.III. Prima Romana profectio. 360.
Sect.IV.Impia impij Sergij contra Athanaſium perſecutio, & infelix eius obitus.361.
Sect. V. Sancti Epiſcopi ſupremus dies,Tumulatio,Trāſlatio,Cultus.363.

F I N I S.

# ANTONII CARACCIOLI CLERICI REGVLARIS

## De Sacris Neapolitanę Eccleſię Monumentis; Liber ſingularis.

### DE PRÆSTANTIA ECCLESIÆ NEAPOLITANÆ CAPVT PRIMVM.

NEapolitanæ Eccleſiæ, in Operis titulo memoratæ, decoram faciem, calamo vt cumque noſtro delineatam, propius, & ante omnia aſpectandam proponimus. Id ſiquidem, cum per ſe præclarum ſit, cognituque iucundum, tum etiam mihi conciuibuſque meis omnibus, valdè conueniens erit. Eo quòd, iuſtiſſimum ſanè videatur, adeo nobilem matrem, cuius charo ſinu, per ſummam Dei benignitatem, pioque lacte nutriti ſumus, modis omnibus exornare, eique magnas, meritaſque grates officiosè referre. Huius igitur Eccleſiæ præſtantiam, ab his capitibus inueſtigabimus.

*Sectio I. Commendatur Eccleſia Neapolitana, à peculiari VIRGINIS MATRIS Tutela.*
*Sect. II. A dignitate eorum, qui primi eam condiderunt.*
*Sect. III. Ab antiquitate.*
*Sect. IV. Ab inconcuſſa in Fidei petra firmitate.*
*Sect. V. A plurimis Sanctorum lipſanis, quę habet, & colit.*
*Sect. VI. A Diuorum Neapolitanorum celebritate.*
*Sect. VII. A Sanctorum virorum incolatu.*
*Sect. VIII. Ab amplitudine Vrbis Neapolitanæ.*
*Sect. IX. A multitudine Baſilicarum, earumq; ſplendore.*
*Sect. X. Ab antiquitate Metropoleos, & ſuffraganeis Epiſcopis.*

*Sect. X I. A Canonicorum, aliorumque ſacrorum Adminiſtrorum numero, & varia dignitate.*

*Sect. X II. A multitudine Chriſtianorum, ac denſis Religioſorum turmis.*

## *Commendatur Eccleſia Neapolitana, à peculiari VIRGINIS MATRIS Tutela.*
## *Sectio I.*

SEd vnde nam glorioſius, Neapolitanæ Eccleſiæ maieſtatem aggrediar deſcribere, quàm à peculiari VIRGINIS MATRIS tutela? A me quoque, iure, ac merito, primum in hoc opere, animi, & calami mei ſtudium, ipſa ſibi vendicat, quæ Magna PATRONA noſtra eſt, ac Tutelaris Princeps. In hac verò re, felicem prorſus temporum, ac Templorum vicem, lætus ipſe conſidero. Imbuti enim olim, falſa idolorum religione Neapolitani ciues, Sirenem Parthenopem, quæ vetus nomen Patriæ dederat, impensè coluiſſe dicuntur. Et condito illi Fano, marmoreum excitaſſe ſimulacrum, cuius Lycophro Caſſandra, & Dionyſius Afer in Periegeſi Orbis meminerunt. At poſteaquam, docente Petro, Chriſtianam Religionem amplexi ſunt, iam nō emollis, & ambigua Siren, propinquum mare è colle proſpectans, in cultu eſt, ſed æterna illa Virgo, ætheris ſummi habitatrix, non vno tantum, ſed viginti circiter ſupra centum, quà Tēplis, quà Sacellis extructis, iugi nobis veneratione ſuſpicitur: quæ Syriaca voce, ***Miriam***, hoc eſt, ***Domina maris*** interpretatur. Hæc namque, & nunc, & nuper, & olim, exortas hic procellarum tempeſtates, nutu ſuo tranquillare viſa eſt, & motum omnem fluctuum mitigare. Frequenter id ſumus experti. Legantur veteres, recenteſque hiſtoriæ. Euoluantur patrij annales. Oculi attollantur ad pendentes è Templorum parietibus, votiuas tabellas, & ſacrorum anathematum omne genus: perfectè conſtabit, nil frequentius, aut manifeſtius occurrere, quàm benefacta Deiparæ, publicè, priuatimque collata. Pergit namque ipſa ſemper eſſe benefica. Gauderque iterare dona. Ergo, habeant alij Diui Patroni, quos appellare poſſumus, Deiparæ huius Reginæ famulitium, ſuum quiſque annum, quo initi patrocinij titulus ſignetur. At Maxima hæc Patrona noſtra, omnibus præcurrit. Quia, ipſo penè principio temporis, quo Neapolis, Chriſtianam amplexa eſt fidem, adeo benignè dignata eſt, ingerere ſe piorum, & primorum ex hac vrbe Chriſtianorum mentibus; vt in domus B. Candidæ penetralibus, eam, quam animo deuoto conceperant, muſiuo opere expreſſam, & obtutui expoſitam, impensè ipſi coluerint: indito poſtea, vt fit, ſacræ imagini, cognomine, ***De Principio***.

Adaucto poſtmodum credentium numero, habuit ipſa, ab his, qui eius opem, & ſolatium eſſent experti, à ſuæ vitæ Actibus, ſiue à Priuilegijs, denominata Templa. Sic, in vno iſtorum appellatur Dei Mater. In alio, à Spiritu ſancto, qui in eam ſuperuenit. Vel, à Filio Ieſu. Et multa ſunt, ab eius immaculata Conceptione: à Natiuitate: ab angelica ſalutatione: à Partu: à Purificatione: à Paſſionis ſolitudine: ab in cœlum Aſſumptione:

ptione : à Coronatione,Deo dicata. Et, cum in agro Lauretano colatur ſacra Ædicula:& in Serrato monte,ſacra imago : Colitur & hic vtraque. Quaſi amauerit Virgo,cultus in celeberrimis locis ſibi exhibiti, haberi & Neapoli quoque,imitamentum aliquod.

Tædet me, per ſingulas, quæ in Virgine explendeſcunt, virtutes, percurrere;vt demonſtrem,pro quibuſuis ipſarum, inuocari Mariam, in Templis Deo, ſub eius nomine dicatis. Aut humani generis calamitates enarrare,quas illa præuertit,& auertit,inuocata deuotè. Regina cœli eſt, & Angelorum,Scala Paradiſi, Porta cœli,imo Vertens cœlum, A pœnis inferni liberans,Miſeris ſuccurrens,Pauperes viſitans, Captiuos redimēs, Nauigantium portus,Afflictorum conſolatrix,Miſerorum refugium,Reorum aduocata,Gratiarum largitrix,& Omnis boni.Charitatem,Spem, Pacem,Miſericordiam,Sapientiam,Patientiam,Pietatem,Victoriam, Salutē, Sanitatem, Vitam, eius precibus conſequi ſperamus : & ecce Templa, & Sacella Mariana,ſic denominata: quæ arcta hac pagina non ſunt conſtringenda.

Quid? quòd nulla ferè eſt Eccleſia,alieno licet, & nōn Mariano nomine dicata,in qua aliqua non ſit Virginis imago,miraculorum effectrix, gratiarum diſpenſatrix, arbitris ſenſibus ipſis. Vbi tanquam ad publicam miſerorum tutelam,mortales confugiſſe,niſi impudentia neget,aut impietas cauilletur. Trophæa Mariana appellaueris, pretioſa illa donaria, & anathemata,de triumphatis cæcitatibus, claudicationibus, varijſque animi,& corporis languoribus.

Multoties etiam,ipſamet Virgo,ſeſe Neapolitanis ciuibus fecit manifeſtam,vt faceret adiuuam. Vetus eſt illud exemplum anni milleſimi trecenteſimi quinquageſimi tertij: Nam,in Crypta illa Puteolana ( cuius adhuc incertus eſt auctor,rectè ſic opinantibus Blondo, & Capacio lib. 2. hiſtor. Neapol. ) imaguncula Virginis latebat, obſcura in obſcuro loco. Sed in ſomnis ipſa viſa Eremitæ cuidam, ac Mariæ Dyrrachienſi nobiliſſimæ matronæ,quo eſſet loco effodiendum,docuit. Effoſſo loco,imago reperta eſt,atque in Templo collocata,quod in maris littore extructum,Canonici poſtea Regulares Lateranenſes incoluere. Vides,ipſam,littoralem plagam elegiſſe,quaſi futuram deuiorum Pharum,nauigantium cynoſurā. Vnde factum,vt nauigantes,religionis perduelles ſe exiſtiment, niſi ſalutatum illam veniant,tormentorum exploſionibus.

Accipe aliud exemplum in ſolo. Anno vigeſimo octauo elapſi ſæculi,dira lues Neapolim afflixit,breui tempore, pluſquam ſexaginta millia hominum depopulata. Et,ſerpente morbo,arbitrabatur quiſque, cuncta eſſe peritura. Virgo,quæ ciuitatem amabat,piæ cuidam vetulæ dormienti apparuit,locumque indigitauit,qui prope erat ciuitatis mœnia ad Septentrionem : iuſſitque quam inuenirent ſui imaginem, honeſto collocari loco. Subdiditque,ceſſaturam luem,nec vlterius Ciuitatem depopulaturam. Factum illico. Et fidem ſeruauit Deipara. Non enim ab illa tantum lue,ſed ab ea,quæ anno ſeptuageſimo quinto eius ſæculi, per totam Italiam graſſata fuit,Neapolis facta eſt immunis. Vti etiam poſterioribus hiſce temporibus. Quando ob infecta finitima Regna,valde nobis erat timendum. In Virginis deinde honorem Templum poſtea extructum, & inſtructum fuit; adiuncto etiam Parthenone octoginta Virginum: & à Cōſtantinopoli dictum. Exemplo fortaſsè Conſtantinopolitani Templi, à

Pulcheria Auguſta excitati: & imagine Virginis à D. Luca depictæ decorati. Quod illa, tertia quaque hebdomadę feria adire conſueuit. Vti hodieque noſtri ciues in hoc deuotè factitant, quorum plerique, ea die, in Deiparæ cultum, à carnibus abſtinent.

Recentius eſt illud, quod ineunte Iunio anni vigeſimi, labentis ſæculi contigit: ideoque cunctis notiſſimum. Eo enim tempore, concordi fama multa circumferebantur, ad ciuitatis exitium, & excidium tentata. Non diſcutiam ego, quęnam, & quo auctore effrænis plebs infimæque ſortis homines machinarentur. Id certum eſt, tunc afflictim omnes, bonos præcipuè, męrore fuiſſe confectos; terrore perculſos. Vidit hoc Virgo Parens: &, quæ in angulo parietis antiqui, ad gradus Eccleſiæ Sancti Ioannis ad Carbonariam latebat, caput erexit, & nota inſurrexit. Iure proinde ***Conſolatricis Afflictorum***, nomen adepta: quòd ipſa precibus ſuis Deum interpellante, ſpes eorum, qui talibus incumbebant, redditæ fuerint euanidæ, irritique conatus. Ac tranquillatis omnibus, diſcuſſoque mœrore, lætitiæ materies fuerit abundè ſuffecta.

Quo, tandem, dilucidiore ſigno, Virginis erga Neapolim patrocinium inueſtigare poſſumus, quàm, quòd plures habeantur in hac vna ciuitate eius Reliquiæ (liceat eas ſic appellare) quàm alibi in alijs multis? Recepta eſt traditio, multorum quoque Patrum ſententia roborata, ipſam, non anima ſola beatam, ſed & corpore, cœleſtem patriam inijſſe. Nihil ergo Reliquiarum eius hic habere poſſumus. Ad noſtrum tamen ſolamen, id reliquum eſt, vt cęlis donato corpore ipſius, quæ pretioſiſſimo illi tabernaculo proxima fuerunt, Reliquiarum poſſideamus loco. Porrò, cum pleræque ciuitates glorientur, quòd vna aliquid eius habeat, aliud alia. Exultandum nobis eſt, quòd in noſtris Templis, multa ipſius, venerabundi aſſeruemus. Pars namque Veli ipſius, recenſetur in Reliquijs Sanctæ Mariæ Maioris, apud Patres Clericos Minores. Capillos, hierothecæ conſeruant S. Pauli apud Noſtros, S. Seuerini Caſſinenſium, S. Gaudioſi, & S. Patritiæ Monialiũ Ordinis S. Benedicti, Clariſſarum, & S. Mariæ de Sapientia, & S. Catarinæ Senenſis Dominicanarum, & Eccleſiæ S. Bartholomæi. Ex Veſte, habetur in D. Ludouici, Ordinis Minimorum, & SS. Bartholomæi, & Catarinæ Senenſis. Ex Zona, in Domnæ Aromatæ. Ex Sudario, quo inuoluta fuit, apud Chartuſienſes. Lactis autem guttulas aliquas, habent moniales Clariſſę, & Benedictinæ, Patricianæ, S. Gaudioſi, & Domnæ Aromatæ. Et Minimi Patres, ad D. Ludouici. Vbi peculiarius Virgo ſe Matrem noſtram oſtendit. In ſuæ namque Aſſumptionis ſolennitate, inque noſtris publicis calamitatibus, colliquefieri conſpicitur. Illo nimirum tempore, velut ſuaui quodã epulo, nos paſcens: iſto autem, vt terrorem auferat; & horrorem. Sic, in nupero Veſuuiano incendio experti ſumus. Conſternati animo tunc percellebamur. Verum, tanquam infantes lactanei, ad matrem accurrimus. In ſinum illa nos recepit ſuum; vbera admouit: ſicque terrorem excuſſit. Ipſius enim interceſſu, vorax illa flamma, ciuitatem à Virgine protectam, attingere non fuit auſa.

Iſta ſunt, quæ Tutelaris hæc Diua, in ſuam Neapolim patrat beneuolentiæ ſigna. Meritò proinde Primùm à nobis commemorata, ad Eccleſiæ noſtræ maieſtatem amplificandam.

## *A dignitate eorum, qui primi eam condiderunt. Sect. II.*

CAmpaniæ noſtræ,atque adeo Neapoli,***Felicis*** cognomentum inuidendum,&,ſi Arabiam excipias, ſingulare, nos quidem, neque primi,neque immeritò damus: ſed iam ab antiquis vſitatum, tritumque Epitheton,iure ſuo tribuimus, amœniſſimæ huic regioni: quam idcirco Plinius,*lætantis naturæ opus* appellat. ***Felicem*** igitur nuncupant,Strabo lib.5.Plinius lib.3. cap.5. Dionyſius Afer,de ſitu orbis,Frontinus de Colonijs,Alijque veterum,quorum verba,quòd ſtudioſo cuique facilè ſit illa inuenire,referre omitto. Omittere tamen non debeo, floridum illum Florum,Campaniæ fertilitatem,amœnitatem,ac felicitatem,elegantiſſimè deſcribentem,lib.1.cap.16. *Omnium*,inquit,*non modo Italiæ,ſed toto Orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga eſt. Nil mollius Cœlo. Denique bis floribus vernat. Nihil vberius ſolo:ideo Liberi,Cererisque certamen eſt. Nihil hoſpitalius mari. Hinc illi nobiles portus, Caieta, Miſenus, & tepentes fontibus Baiæ. Lucrinus, & Auernus,quædam maris o ia. Hic amicti vitibus montes,Gaurus,Falernus, Maſſicus, & pulcherrimus omnium Veſuuius, Aetnæi ignis imitator. Vrbes ad mare,Formiæ,Cumæ,Puteoli,Neapolis,Herculaneum,Pompeÿ,& ipſa caput Vrbium Capua,quondam inter tres maximas,Romam, Carthaginemque numerata.* Hactenus Florus Qui tamen,quæ de Capua,poſtremò ſcripſit,tunc verè affirmare potuit. Sed

*O parum conſtans ſtatus*
*Rerum inclytarum ſortis! O vitream fidem!*

Non Capua illa vetus:ea enim,ſede ſua dimota, & protſus exciſa eſt: ſed altera illi vicina,nunc extat Capua:quæ certè,neque veteri illi, neque recenti Neapoli comparari poteſt. Nunc itaque Caput Vrbium Campaniæ, & Regni totius,Neapolis noſtra eſt:in cuius ſinum,felicia omnia videntur à natura,& immo à Deo ipſo naturæ parente,congeſta. Quod Angerianus noſter exponit diſertis his verſiculis:

*Diceris extructa à dulci Sirene, Phaleri.*
*Diceris,& felix Imperitantis opus.*
*Diceris,& Veneris gratiſſimus hortus,& Veris.*
*Alcidis Campus,diceris eſſe nouus.*
*Diceris,& flaua Cereris mitiſſima tellus,*
*Diceris, intonſi vinea pulchra Dei.*
*Non mirum,ipſa Vrbes ſuperas dulcedine cunctas,*
*Imperio,forma, robore, delicÿs.*

Hæc Angerianus. Pontanus verò,fortaſſis altiore cothurno,in Lyricis,Antinianam Nympham,ad cantandas Vrbis Neapolis laudes inuitat.

*Sume age intactam citharam, atque ab alto*
*Colle deſcende Antiniana in Vrbem:*
*Et nouos chordis numeros, nouumq;*
*Concipe carmen.*
*Vrbi,& aſſurge,ò Dea,quam ſuperba*
*Muniunt turres, rigat vnda,ſubterq;*
*Et ſpecus Sebethiadum ſororum,*
*Ditat,& æquor.*

Hetraq;

*Antraq; & dulces charitum receſſus,*
*Et ſacri colles, Cereri, ac Lyæo,*
*Veſtiunt hanc, & nemora: & ſerena*
*Temperat aura.*
*Ver & æternum, tepidiq; rores*
*Temperant, Diſque otia grata, & alma*
*Lucis auctor ſol fouet, atque amico,*
*Spectat ab alto.*
*Præficit regnis pater hanc Deorum;*
*Præficit bellis, animoſa Virgo;*
*Auctor & Mars militiæ, ac virorum*
*Bella gerentium.*
*Hanc domum Muſæ ſibi vendicarunt,*
*Et bona hanc artes ſtudijs, boniq;*
*Cultus, & recti ſimul & ſacrorum,*
*Iuſtitiaq;*
*Templaq; & Regum monumenta, & arces*
*Aedium inſignes aditus adornant:*
*Et Dijs gratam, & Patribus viriſq; &*
*Plebe frequentem.*

Porrò hanc Deus regionem, hanc Ciuitatem, vt re vera *Felicem* faceret, & quæ aere amœna, glebaque fœcunda erat, ſupremi etiam cœli, Numiniſque veri cognitione, beatam redderet, dignatus eſt luce Euangelica, per Apoſtolorum ſuorum Principem Petrum, illuſtrare. Sanè verò, ideo, vti iam diximus, *Felicem* appellarunt, breui quidem, ſed magno, & inuidendo epitheto, noſtram Campaniam Hiſtorici, & Poetæ Græci, Latiniq; complures, quòd terram, amœnitate omnem Orbis ambitum ſuperantem haberet. At rerum pondera, æqua lance librando, multò ſane iuſtius appellabunt *Felicem*, noſtram Neapolim illi, qui Chriſtianæ fidei, tam antiquam, tam vberem ſationem, diuinitùs huic Ciuitati eueniſſe ſuſpexerint. In ijs profectò, apud Procopium lib. 1. de bello Goth. Belliſarius Dux ille fortiſſimus eſt: qui Neapolim, ob id præcipuè laudat, celebratque, quod *incolas Chriſtianos Romanoſque*, hoc eſt *Catholicos*, ab antiquo nacta ſit. Nempè à primo Chriſti ſæculo. Enimuero, diſperſis per Orbem Apoſtolis, diſcipuliſque eorum, vt Chriſti fidem longè lateque diſſeminarent, nemo negauerit, feliciter quidem ceſſiſſe ijs regionibus, & ciuitatibus, quæ aliquem è priſcis illis diſcipulis: feliciſſimè vero ijs, quæ, ex Apoſtolis ipſis, aliquem habuerunt, Euangelicæ vitæ ſatorem. Itaque, feliciſſima in primis Roma, quæ Petrum, & Paulum, & Ioannem: Feliciſſimum Bizantium, quod Petrum, & Andream: Feliciſſimum Mediolanum, quod Petrum ſimiliter, & Barnabam: & vt finiam (quis enim omnes ab Apoſtolis, Apoſtolorumque diſcipulis fundatas numeret Eccleſias?) Feliciſſimam quoque Neapolim, quæ Petrum, & Paulum, & poſt eos Ignatium, & Patrobam, vt infra oſtendam, excepit, vidit, audiuit, habuit, Chriſtianæ fidei conditores. Gratulor equidem tibi, Patria, quæ cùm ſis multis nominibus celebris, hoc tamen iubare præcipuè prænites, quòd Petrum, quòd Paulum glorioſos Principes terræ, ipſa habeas, colaſque Chriſtianæ religionis ſatores. Denique (ò rem inuidendam!) quòd dici Neapolitanis à Petro, & Paulo poſſit, id

quod ſolis Paulus Corinthijs dixit, 1. Cor.4. *In Chriſto Ieſu,per Euangelium ego vos genui.*

Magnum itaque,& inuidendum eſt decus:poſſe videlicet, vt Tertullianus diſſerit lib.Præſcript.aduerſus hæret.cap.32. *Euoluere ordinem Epiſcoporum ſuorum,ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem,vt primus ille Epiſcopus, aliquem ex Apoſtolis,vel Apoſtolicis viris, qui cum Apoſtolis perſeuerauerint, habuerit auctorem,& antecesſorem.Hoc enim modo Apoſtolica Eccleſia,cenſus ſuos deferunt.Sicut Smyrneorum Eccleſia,habẽs Polycarpum,à Ioanne collocatum refert. Sicut Romanorum, Clementem, à Petro ordinatum edit. Proinde vtique, & cætera exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habent.* Hæc vetuſtus ille Afer Tertullianus. Itaque,vt nemo negauerit, feliciter ceſſiſſe Ciuitatibus,Oppidiſque ijs,quibus vnum aliquem è priſcis Apoſtolorum diſcipulis, contigit habere Euangelicæ legis præconem, multò ſanè felicior Neapolis noſtra cenſenda eſt: quæ & plurimos eiuſmodi viros meruit audire,Chriſtiana dogmata prædicantes. Et,quod maximum profectò eſt,Apoſtolorum,& Chriſtianorum omnium Principem, ac Ianitorem Empyrei Cœli,Petrum,venientem è Syria ad Vrbem Romam,ipſa, quamquã in tranſitu vidit,excepit,audiuit,atque complexa eſt veræ fidei, Religioniſque ſatorem.Quocirca,ſicut Sanctus Agapetus PP. literis recitatis in Sancta Synodo Act.2.de Bizantina Ciuitate ſcripſit,& congratulatus eſt: videlicet, quòd *Stachin primum Epiſcopum,primi Apoſtoli electione ordinatum receperis.* Idipſum de feliciſſima noſtra Neapoli dici poſſe, etiam atque etiam cum exultatione dicendum. Quòd ſi Petrus,Romam,ſummum Dei cultum,multos annos docuit: atque (quod magnopere inuidendum eſt) ſuo etiam aſperſam,atque abſterſam ſanguine fęcundauit: Idem ipſe tamen Apoſtolorum Summus,Neapolitanam Eccleſiam, & ſi non ſanguine,at certè ſpiritu,voce, exemplo, diuiniſque Sacramentis, cumulatè imbuit,atque ditauit.

## *Ab antiquitate.*
## *Sect.III.*

HIc autem mihi conſidera,cordate Lector,quàm longinqua, & veneranda antiquitate, noſtra hæc prædita ſit Eccleſia: quæ ipſo primo Beati Petri in Italiam aduentu,decimo videlicet,vti infra docebitur à Chriſti morte anno,prima omnium Campaniæ Vrbium, imò ſi duas,aut tres excipias,prima omnium vniuerſæ Italiæ Ciuitatum,Euangelij luce perfuſa eſt. Non eſt quidem mihi animus,iſta hoc loco diducere ſpecialius,aut latius exponere: id nihilominus ego apertè, vereque profiteor,ſi Neapolitanam Eccleſiam,cum antiquioribus Italicis componamus, hanc dubio procul,ante Capuanam,quæ à Priſco: Ante Puteolanam, quæ à Celſo: Ante Sueſſanam, quæ à Symiſio: Ante Tarracinenſem, quę ab Epaphrodito: Ante Atinenſem,quæ à Marco: Ante Beneuentanam,quæ à Photino: Ante Sutrinam, quæ à Ptolomæo: &,ſi ad remotiores Ciuitates Italas pergere liceat,Ante Feſulanam, quæ à Romulo: Ante Lucenſem, quæ à Paulino: Ante Rauennenſem,quæ ab Apollinari:Ante Genuenſem, & Tycinenſem, quæ à Syro: Ante Aquileienſem, & Patauinam, quæ ab Hermagora: Ante Veronenſem,quæ ab Euprepio: Ante Mediolanenſem,

quæ

quæ à Barnaba,& Anatholio,ſiue Anatholone: Atque,vt finiam, Ante ipſam aliarum omnium Principem,Romanam Eccleſiam, fundatam fuiſſe, comperiemus. Etenim Romam peruenit Petrus,aliquot dies, poſtquam Neapolitanam inſtituit Eccleſiam: dato huic inclytæ Ciuitati primo Epiſcopo Aſprenate.

Sed iſtos,alioſque Epiſcopos à Petro delectos, & ad varias Terrarum plagas amandatos,infra paulo diligentius exequar,& loca Scriptorum,qui hæc tradunt,indicabo: interim hos Italiæ ſolius primos paſtores, recenſuiſſe contentus.

## *Ab inconcuſſa in Fidei petra firmitate.* *Sect. IV.*

SEruauerunt noſtrates Diui,hanc ſibi deuotam Vrbem, clienteſque Ciues,ab impietatis,atque hæreſum lue,per tota ſexdecim ſæcula, quæ à ſata his terris,per Beatum Petrum, Catholica fide, præterierunt. Vt meritò proinde à Clemente VII.Pontifice Maximo, gemino bullato diplomate,altero ſcilicet, quod de anno Iubilei Neapoli celebrando edidit. Altero vero,ad Paulum IV. Carafam, vnum ex noſtræ Religionis cōditorem,tunc Epiſcopum Theatinum,anno Chriſti M.D.XXXIV.ſcripto, FIDELISSIMÆ CIVITATIS, præclaro ſane elogio, fuerit noſtra Neapolis decorata. Quo elogio, ipſamet Neapolis, in diplomatibus, alijſque publicis ſcripturis,etiamnum gaudet appellari.

Quocirca,faceſſat hinc,oportet,frigida illa calumnia, quam ex hiſtoria quadam Garganici Templi,re non benè conſiderata, auſus quidam fuit,aduerſus Chriſtianiſſimam Neapolim euibrare,apud Sur.Tom.3. die 8.Maij. Ob id,ſcilicet,quòd,ibi,Neapolitani appellentur *Pagani*: & infandis Paganorum ſacrificijs,eos dediſſe operam tradatur.Hanc autem ſuſpicionem,ne quis animo concipere, & in calumniam vertere poſſit, prohibuerunt primo Baronius Cardinalis in Ann.493. deinde Capacius Hiſtor. Neap.lib.1.cap.20. Qui,flabello veritatis prauam eiuſmodi interpretationem,longè diſpulerunt. Quòd ſi rurſus quis rixari velit, dicatque,Commentarium illum,& antiquum valde eſſe,& ſincerum: vt proinde exiſtimari debeat,non de nihilo ſic loqui: prodibo ego in arenam,ac veluti ſuccedaneus miles,hac ratione frangam vnicum hoc, idemque plumbeum, & ſæpè retuſum telum. Videlicet,Neapolitanorum vocabulo, neminem iure poſſe,eo loco, Neapolitanos ciues intelligere, ſed Paganos milites, quos Neapolitani in ſubſidium aduerſus hoſtes Apulos adſciuerant.Erant enim eo tempore,Campaniæ pagi referti turmis Paganorum, quos *Barbaricinos* tunc appellatos,circa annum Chriſti 590.Gregorius Magnus,Ioanne Diac.referente,ad fidem Chriſtianam traduxiſſe perhibetur.Ex his igitur Paganis,Neapoli vicinis,facilè fuit, in eo imminenti diſcrimine, nonnullas auxiliares copias,Neapolim contraxiſſe.

Hæc profectò interpretatio,neque abſona eſt,neque inuſitata.Nonne enim paſſim dicimus,Hiſpanos prælium commiſiſſe,viciſſe,aut victos fuiſſe,etiam cùm,Hiſpanorum nomine,intelligimus Italos, Heluetioſque, ſub Hiſpano Duce,aut Rege militantes? Vulgaris ea phraſis eſt,& omnium ferè gentium linguis,& calamis vſurpata. Vnicum,ſatis mihi erit, proferre

exem-

exemplum. Eodem propemodum ſæculo, quo prælium illud inter Sipontinos,& Neapolitanos commiſſum eſt, Dux Græcorum militum Belliſarius,referente Procop.de Bell. Goth.lib. 1. Neapolim obſedit: &, cum Neapolitanos ad deditionem hortaretur, *Ciuitatem*,inquit,*vetuſtiſſimam,& incolas Chriſtianos,Romanoſque,vt ab antiquo iam vaſtam,ita & intra ſe continentem,in miſeram hanc fortunam incidere, haudquaquam optauerim*.Sicut igitur Belliſarius,Neapolitanos,hoc loco vocat *Romanos*,quia Romanæ fidei vexilla ſequebantur,ita Scriptor illius hiſtoriæ,*Paganos* vocat Neapolitanos, quia ſub Neapolitanis Ducibus,vexilliſque militabant. Vniuersè autem,illud verum,certumque eſt,inclytam Neapolim,adeo auerſo ſemper animo,in omnes cuiuſcumque,aut nationis,aut ſectæ eſſent,infideles,extitiſſe: vt, ſi quando,tuendæ Vrbi opus fuit, ex eo genere hominum conſcribere milites,numquam eos permiſerit, intra mœnia habitare. Itaque extorres à Chriſti fide, in ſuburbijs detinebantur:vt Auctor Deſcriptionis vetuſtæ Parthenopes,quæ apud nos M.S.extat,firmè aſſeuerat.

Tentata verò haud rarò fuit,Neapolitanorum in Deum pietas,eorũque religio,infandis modis laceſſita:vt auerterent ſe à Romana fide, quam olim Beatus Petrus,Neapoli ſeuerat:vt Græcis quibuſdam Imperatoribus ſchiſmaticis,alijſue ſectarijs impijs adhærerent. Sed per Dei gratiam,nulla vnquam,aut vi frangi,aut blanditijs emolliri potuit,fideliſſimę Ciuitatis antiqua conſtantia. Nam, neque ſub Imperatore Conſtantio Ariano, vti Marcellin.presb.lib.de ſchiſm.Vrſicini tradit,Zoſimus Pſeudoepiſcopus, quem Ariani quidam ſatellites, in huius Eccleſiæ Sedem, per vim intruſerant; Neque Pelagius hæreſiarcha, & eius Symmyſtes Iulianus ille,teſtimonio Auguſtini ep.105.& Proſper.lib.de promiſſ. Dei cap.6. Nolæ per hebdomadas aliquot nidulatus,hic verò,& voce,& nefarijs ſcriptis, Pelagianam hæreſim,per Campaniam occultè diſpergens: Neque, vt Ioannes Diac.notat in Chron.Sergius,qui ſub Leone Iconomacho à ſchiſmatico, vt credere eſt,Anaſtaſio Patriarcha,poſt Sancti Laurẽtij Epiſcopi obitum, ordinatus fuit:Neque vt Anaſtaſ.Biblioth. ait in vita S. Gregorij II. & ex eo Baron. Tom.9. Exhilarati Ducis, & Adriani filij eius immanitas, qui Neapolitanis copijs, Summum, Sanctumque Pontificum Gregorium II. occidere moliebantur:Neque Conſtantinus Copronymus,Leonis Iſaurici filius,mali corui,malum ouum,eiuſque impij adminiſtri,qui,Io.Diacon.in Chron.teſte,Paulum Epiſcopum catholicum,Neapoli expulerũt, vt Iconomachiam in hanc Vrbem introducerent: Neq; vt idem ibid.tradit,Ducis,nomine quidem Boni,re autem improbi,& ſcelerati, ſucceſſorumque eius Sergij,& Athanaſij iunioris, rabidæ tyrannides, qui ſanctos Epiſcopos Tiberium,& Athanaſium ſeniorem, Clerumque vniuerſum, diriſſimè diuexauerunt,& ſacras ædes,Eccleſiaſtico inſtrumento, ac diuite ſupellectile,per ſummum nefas expoliauerunt:Neque,Falco teſte in Chron. Rogerij ſchiſmatici Regis,&,vt illum S.Bernardus argutè vocat, epiſt.130. 139.& 140. tyranni Siculi, nefariæ artes, & hoſtilia in catholicos vaframenta:Neque inſanus furor,atque inſidiæ,vt legere eſt in Diar.Duc.Mõtis Leonis,Antipapæ Fundani,qui ſe,Clementem VII.appellitabat,quemque perdita illa,ac prorſus infœlix Regina Ioanna, eius nominis prima, Neapolim inuitauit,& regio apparatu,in inſulam,arcemque Lucullanam excœpit,potuit Neapolitanam Eccleſiam,quamuis variè,multumque exagitatam,à vera Chriſti Religione,& legitimi Pontificis obſequio,ac vene-

ratione diuellere. Imo, Pſeudopapæ, contra quàm ſchiſmatici optabant, & arbitrabantur, res euenit. Nam vt Vrbani VI. Pontificis verba referam in epiſt. ad Cler. Leodien. apud Bzou. tom. 15. ad an. 1379. §. 8. *Neapolitani, zelo deuotionis accenſi, prædictum hæreſiarcham Antipapam, & Catholicæ fidei ſubuerſorem de Ciuitate* Neapolitana, *in qua ſperabat in peſtilentiæ Cathedra reſidere, cum magno opprobrio fugauerunt*. Denique (vt ad poſteriora tempora, & noſtræ huic ætati propinqua deſcendam) neque Ioannes VValdeſius; Neque Petrus pſeudomartyr, Neque Bernardinus Ochinus, qui Lutherianas hæreſes, Neapoli, & vicinis Oppidis clanculum diſſeminabant: Neque quorumdā Marranorū ſuperfidia, qui Iudaicis ſuperſtitionibus, Neapolim inficere conabantur, valuit Neapolitanæ Vrbis, in Catholica religione firmitatem, tametſi paucos, eoſque non ciues, ſed incolas, eoſque imperitos, & incautos ſeduxiſſent, vllatenus labefactare. Præſto quippe fuerunt, Beati noſtri Patres, Caietanus Thienæus, & Ioannes Marinonius, alijque ex eodem noſtro Clericorum Regularium Ordine inſequentes viri: quorum conſilio, induſtria, Diuini Verbi prædicatione, &, quòd primo loco dicendum erat, ſollicitis apud Deum precibus, fugati ſunt hæreſum magiſtri, & omnis illa animorum peſtilitas, breui ſublata eſt. Vide Acta Beatificationis Beati Caietani, noſtræ Religionis Parentis; necnō & Vitæ ipſius Scriptores, ac Beati Ioannis Marinonij. Quænam igitur laus, maiorque gloria huic Eccleſiæ deſiderari, aut excogitari poteſt, quàm, per tot ſæculorum ſpatia, inter tot incurſiones, atque impetus impiorum, ſteti ſſe velut inter fluctus ſcopulum, in Catholica fide firmam, atque immotam?

## *A plurimis Sanctorum lipſanis, quę habet, & colit. Sect. V.*

QVid verò memorem, ſanctorum corpora, aut inſignia lipſana, quibus Archiepiſcopalis Baſilica, & aliæ permultæ Neapolis ſacræ ædes, ditantur, & muniuntur? Horum profectò numerus, omnem propè arbitratum excedit. Vna iam dicta Metropolitana Baſilica, præter quamplurima variorum Diuorum oſſicula, vndecim habet integra Sanctorum corpora; videlicet Ianuarij, Agrippini, Acutij, Eutycetis, Maximi Leuitæ, Athanaſij, Laurentij, Aſpreni, Reſtitutæ, Ioannis Epiſcopi, & Beati Nicolai Eremitæ. Apud Capuccinos Patres, in S. Euphebij Eccleſia, tres ſunt Sancti Epiſcopi contumulati: videlicet, Euphebius, Maximus, & Fortunatus. Apud Benedictinos Caſſinenſis Inſtituti Monachos, duo quieſcunt Diui, Soſius, & Seuerinus. Apud forum vetus, in Diui Georgij, Seuerus Epiſcopus. Apud S. Saluatoris Canonicos Regulares, Agnellus Abbas, Et, vti ex Actis antiquæ Viſitationis conſtat, ſex alij incerti nominis Diui. Apud Virgines ſacras in S. Gaudioſi, ipſe Gaudioſus, & Quoduultdeus Epiſcopi. Item Fortunata Virgo, & fratres eius, Carponius, Euariſtus, & Priſcianus Martyres; Mitto alios, atque alios, maximeque eos (& plurimi ſanè ſunt) qui è veteribus ſepulchris Neapolim ſunt aducti.

ADi-

### *A Diuorum Neapolitanorum celebritate.*
### *Sect. VI.*

OBſeruare autem debeo, è Neapolitanis Diuis, non paucos, adeo celebri fama, quaquauerſum inclaruiſſe, vt, quod ferè nullis finitimarum Prouinciarum Diuis accidit, eos, etiam extra proprios fines, longè gentium, Templa, Oppidaque multa, ipſorum nominibus nuncupata, habuerint, atque habeāt. Itaque aliquot hic referam. Noſtri Diui Iannarij, Soſius, Seuerinus, Agnellus, & Thomas, ſacris ædibus ſinguli ſingulis cohoneſtati, cultique ſunt. Nam de Ianuarij Baſilicis, deque ipſarum ædificandarum cauſa, hæc ſcribit Baronius, notatione ad 19. Septembris. *Ea de cauſa,* nempè, quòd B. Ianuarij precibus, extinctum fuiſſet Veſuuianum incendium, *ex remotis vndique Vrbibus, frequentes cœtus populorum, ad venerandum ſepulchrum Martyris aduentaſſe Neapolim, & in honorem Sancti Ianuarij, paſſim erectas eſſe Eccleſias.* Porrò, eodem arbitrante Baronio, erat etiam Romæ in ſuburbijs, via Tiburtina, Templum Sancti Ianuarij, cuius meminit Sanctus Gregorius lib. 4. dialog. cap. 26. & 54. Licet id ego, in Ianuarij vita, non ſim approbaturus. Vt proindè, ſeptemplices illas celeberrimas litanias Gregorianas, quæ inuocant Ianuarium vna cum ſocijs, exiſtimauerint aliqui, non alium Ianuarium, quàm hunc noſtrum Patronum, & ſex eius Beatos ſocios inuocaſſe. Denique, in ipſo Hiſpaniarū vmbilico M. ille Dux Albanus, Ferdinandus Toletus, poſt tot bellorum exantlata diſcrimina, Templum ſanctiſſimo Ianuario, curauit ædificandum. Vt qui Neapoli, dum Regis Viceſgereret eius Diui, aliorumque noſtratium Diuorum, condendis reliquijs, pretioſum Agiophylacium, quod vulgò Theſaurum dicimus, exornauerat, in ſuam etiam Patriam, tanti Martyris cultum inueheret. Sic Antonin. Caſtald. lib. de Neap. tumultu, pag. 117. Soſio autem, ædificatæ Eccleſiæ ſunt, Sacellaque complura, cum in Samnij, Lucaniæque Prouincijs, tum etiam Romæ ſeorſim cōſtructum eſt Oratorium à Symmacho Papa: qui & confeſſionem exornauit argento, vt ait Anaſtaſius lib. de Romanis Pontificibus, in Symmacho. De B. autem Seuerini, Romæ conſtructa Baſilica, meminit Sanctiſſimus PP. Gregorius lib. 2. Regiſt. epiſt. 19. ad Petrum Subdiaconum ſcribens. Vt prætercam, complures alias ſacras ædes, per Italiæ, & Germaniæ Prouincias, ab eodem B. Seuerino denominatas, quas rerum Boicarum, atque Italicarum Scriptores, M. Velſerus, Georgius Heruuart, & alij, hubertim enarrant. At verò, huius Diui celebri nomini, par propemodum eſt S. Abbatis Agnelli famæ celebritas, ædiumque ſacrarum numerus, quibus Agnelli nomen inditum eſt. In Siculis faſtis, Agnellus, vtpotè à Syracuſis genus ducens, adſcriptus eſt ab Octau. Caetan. in Idea Sanct. Siciliæ. In Apuliæ Monte Gargáno, in quo Eremiticam vitam ſeptemnio egit, Agnelli viget hodieque memoria. In Etruria etiam, apud Lucenſes, caput B. Agnelli pulchro ſacello, ſumma religione ſeruatur, & colitur. In Campania, in Samnio, in Picentinis, præter complures ædiculas, Eccleſiaſque, multa ſunt Oppida, ab Agnelli vocabulo nuncupata. Teſtes ſunt Ferrarius lib. de Sanctis Italiæ. Regius in vita Agnelli. Bacchus in deſcriptione Neapolitani Regni. Et Michael Monachus, in notationibus ad Breuiarij Capuani Kalendarium.

Denique, de noſtri Sancti Thomæ Aquinatis ſplendidiſſima fama, cultuque, vbique gentium, atq; terrarum celeberrimo, quid opus eſt quicquam dicere? Nulla eſt propemodum in toto Orbe Chriſtiano Ciuitas, quæ tanti Diui Baſilicam aliquam non habeat, aut Sacellum. In laudem certè Neapolitanæ Ciuitatis. Quæ dedit Caſſinatibus enutriendum, puriſſimum puellum. Inclyto Dominicano Ordini, Ingentem virtutis, & doctrinæ Theſaurum. Louanio in Brabantia, egregium Caſtimoniæ Leuitam. Eidemque, Dominicanorum in ea Vrbe Monaſterij, vna cum Alberto Magno Fundatorem. Lutetiæ Pariſiorum, Cathedræ Theologicę exornandæ Magiſtrum. Neapolitanæ Academiæ decorandæ, & illuſtrandæ, Sydus nobiliſſimum. Vaticano Diui Petri Templo, eximium concionatorem. Molatiæ in Latio, Iudæorum quorumdam perfidiæ acerrimum confutatorem, & ad Chriſti fidem adductorem. Eccleſiæ Catholicæ, Doctorem incomparabilem. Patribus Ciſtercienſibus Foſſæ nouæ, Diuinum Cygnum ſuauiſſimè in ipſa morte canentem. Orbi denique vniuerſo, Solem animorum ſplendidiſſimum. Noſtra, vt dixi, hunc dedit Napolis. Noſtra, inquam, Neapolis, hunc ſcientia Cherubinum, ſanctitate Seraphinum, & omnino Angelicum Doctorem dedit: quia Neapoli natus eſt: nõ inter Calabros, aut Samnites, vt quidam opinati ſunt.

Ex ea igitur noſtratium Diuorum percelebri fama, exiſtimandum eſt eueniſſe, vt (niſi me memoria decipit) nulla ſit Ciuitas, cuius Baſilicarum, ac Diuorum, adeo frequenter meminerint antiqui Summi Pontifices, atq; Neapolis. Mitto (ne ſim prolixa enumeratione moleſtior) excutere Ioannis VIII. Gregorij VII. Paſcalis II. Innocentij IV. Clementis IV. Anaſtaſij IV. Ioannis XXII. Vrbani VI. Diplomata, varijs ſacrarum ædium, quæ Neapoli ſunt, referta nominibus. Vnum Gregorij Primi Epiſtolarum Regeſtum, propono legendum. In eo, nihil ſanè crebrius legẽti occurret, quam Neapolitanæ Baſilicæ, Monaſteriaque Diuorum Neapolitanorum, vel Neapoli cultorum vocabulis nuncupata. Conſtat itaque ex ijs alijſque indicijs, peculiarem, atque præcipuam de Neapolitana Eccleſia, ædibuſque ſacris, quæ in ea erant, Magnum Gregorium geſſiſſe curam. Quin etiam, non ſemel legitur in eiuſdem Magni Diui epiſtolis, expetijſſe illum, Sanctorum Neapolitanorum reliquias: vt noſtris pignoribus ſacris, Romana Templa ditaret, ijſq; Romana Altaria, noſtrorum Diuorum cultor eximius, conſecraret. Loca Regeſti non dico. Alibi fortaſsè dicam, & abundè implebo, quæ hic omiſi, aut ſtrictim attigi. Ad alia nunc pergit oratio.

## *A Sanctorum virorum incolatu.*
## *Sect.* VII.

PEr omnem ſeculorum memoriam, non à vulgari plebe ſolummodo, ſed à primarijs quoque viris, ijſque vel dignitate ſummis, vel eruditione, ac ſapientia præclaris, fixam fuiſſe Neapoli ſedem, apud Veteres, celeberrimum eſt. Obſequuti quippe ſunt, vocanti amœnæ Neapoli, Campaniæque huic noſtræ: Nec repugnarunt inuitanti tam liberaliter, atque humanè. Vide Tranquillum in Auguſto, cap. 98. & in Tiberio, cap. 6. Hic Claudius, Nero, Veſpaſianus, Adrianus, Conſtantinus cum Helena matre habitarunt. Mitto alios minores Cæſares, & tranſeo ad celebres,

bres,ob geſta præclara,viros,& doctrina præſtantes, quos mixtim enumero: nempe Liuium,Tullium,Virgilium,Ouidium,Horatium,Stellam,Senecam,Lucillum,Iulianum Rhetorem,Aulum Gellium,Symmachum Conſulem,& Oratorem,vtrumque Plinium,Silium Italicum,Ælianum, Palladiũ, Petronium Arbitrum,Lucillium,Claudianum,Feneſtellam.Atque his longo temporum interuallo poſteriores,Petrarcham,Boccacium,Marullum, Pontanum,Crinitum, Grauinam, Ianum, Tarchaniotam,Altinium, Flaminium,alioſque complures. Statium autem,& Archiam non recenſui,quia Neapolitani fuere ciues.

Strabonem autem,extra ſeriem pono. Hic enim,non ſolùm Neapoli diù fuit, & Campanas oras luſtrauit diligentiſſimè, ſed cauſam etiam diſertè aperit,qua Neapolis,Campaniaque magis, quàm aliæ Orbis partes, petendæ fuerint,veteribus omne genus hominibus, quibus ſtudium eſſet, vacare literis,aut quietè viuere,poſt exantlatos labores in iuuentute lib.5. *Vita autem*,inquit,*Græcanicam rationem*,*Neapoli augent ij,qui ab ineunte ætate, laboribus functi ſunt: ſiue alioquin ob imbecillitatem,aut ſenectutem,cupiũt vitam faciliorem degere. Et Romanorum nonnulli,hoc vitæ genere gaudentes, vbi vident multitudinem hominum, qui eius inſtituti cauſa ibi verſantur, lubentes locum eum amplectuntur,ibique victitant.* Græcanicam vitæ rationem, Neapolitanos tenuiſſe, idcircò ait,quia Ciuitas à Græcis condita,& ab iiſdem per longa temporis ſpatia inhabitata,mores,rituſque Græcanicos,etiam cùm Romanæ Reipublicæ fœderata,atque amica eſſet,retinuit. Quocirca Tacitus lib. Annaliũ 15. de Nerone ait,*Non tamẽ Romæ incipere ſcœnas auſus,Neapolim,quaſi Græcam Vrbem delegit.* Porrò hæc,quæ Strabo ſcripſit, paucioribus complexus eſt noſter Statius.

*Pax ſecura locis: & deſidis otia vitæ:*
*Et numquam turbata quies.*

Sed quid ego in ijs recenſendis diſtineor,qui huius amenitate, felicitateque telluris allecti,huc ſe receperunt,& non potius enumerem eos,qui verè Reges,verè Auguſti Cæſares,verè Philoſophi, doctique dici poſſunt, & porrò fuerunt viri? Diuos dico illos,qui olim has terras, nunc Cœlum incolunt feliciſſimè. *Iniqua eſt*,Orator ille ait,*prætermiſſis bonis,malorum enumeratio*. Ad illos igitur deuenio, veluti in agmen feſtinatè cogendos.Hęc loca, hanc Neapolitanam Diœceſim olim inhabitauerunt B. Chromatius Vrbis Præfecti filius: & cum eo mille,& quadringenti Chriſtiani à S.Caio Papa huc miſſi: quò tutius latitarent: qui tamen poſtea, à perſecutoribus detecti,omnes pro Chriſto necati ſunt: vti copioſius ſuo loco narrabo.Huc SS.Pinianus,& Melania vxor acceſſerunt. Pallad.Hiſt.Lauſ. Hos campos, agroſque incoluerunt,hi Beati coniuges: vt ſemoti à mundi pompis,vitam religioſè degerent,cœlo dignam. Huc Diui Poſſidius, & Alypius. Huc Proſper Aquitanius. Huc Philippus Chryſoſtomi diſcipulus.Huc Iacobus Presbyter à S. Ambroſio, S. Seuero noſtro Epiſcopo commendatus. Huc Eugippius. Huc Adrianus,inſignes Oppido viri Afri,appulſi ſunt, haſque oras diutius inhabitarunt,ille Lucullani,Arethiani iſte Monaſterij Abbas: ambo ob doctrinam,& vitæ ſanctimoniam laudandi. Ad hæc littora, quibus,Floro teſte lib.1.cap.16. *Nihil eſt hoſpitalius*, magnus Sanctorum Confeſſorum numerus Deo duce peruenerunt,eiecti ex Africa,vnà cum Beatis Epiſcopis Gaudioſo,& QuoduultDeo: atque vt Faſti Romani memorant Kal. Septembris *Chriſtianam doctrinam in his locis diſperſi, diuerſiſque Eccleſijs præfecti,mirificè propagarunt.* De-

Denique,ſi deſcendamus ad poſteriora tempora,& Romanos quoque Pōtifices,cum cœlitibus miſceamus,hæc loca,hos Campos,hanc Ciuitatē, ac Diœceſim, diu incoluerunt, Innocentius IV. Alexander IV. Clemens IV. D. Cęleſtinus V. Bonifacius VIII. S. Elzearius Ariani Comes, cum puriſſima Virgine coniuge ſua Delphina. B. Nicolaus Inſuber. S. Brigitta cum filijs eius Catharina,& Carolo beatiſſimis. Sanctus item Antoninus Florentinus. B. Iacobus Picenus. Et,qui,non meritis,ſed ætate poſtremi fuere Beati,& Religioſiſſimi viri,Caietanus Thiæneus,Andreas Auellinus,Ioannes Marinonius,Aloyſius Gonzaga. His ego claudo hoc nobile agmen. Nam ſi vellem,eos quoque,qui Neapolim obiter attigerunt eximios viros adnumerare,nullus ſanè eſſet finis.

## *Ab amplitudine Vrbis Neapolitanæ. Sect. VIII.*

CVm Neapolitana Eccleſia,ab Apoſtolorum Principe conſtituta, in dies magis,magiſque excreuerit: ea proinde amplitudo, à nobis hac diſſertatione conſiderabitur,vt in Ciuitate,eiuſque ſuburbijs eſt. Vel,vt complectitur Diœceſim. Vel denique,vt in totam ſuam Prouinciam,ſe latè exerit,atque extendit.

Primum itaque,Neapolitana Eccleſia, quamuis intra Vrbem, ſuburbiaque concluſa conſideretur, ingentem nihilominus loci amplitudinem, & vix credibilem ciuium, incolarumque numerum complecti videbitur: præſertim,ſi eam poſtquam Regibus ſubiecta eſt,inſpiciamus. Miro quippe factum eſt modo,vt,quanquam Neapolis,ſuam illam qualē qualē libertatem,ac Reipublicæ imaginem,amiſerit,poſteaquā à Regibus eſt occupata,Græcis,Gothis,Northmannis,Sueuis,Gallis,Hiſpanis,maximum tamen, ab eo tempore,ad noſtram vſque ætatem incrementum habitatorum acceperit. Nam ea,quæ anno Chriſti D.XXXIII. quando à Belliſario obſeſſa eſt, *parua Ciuitas* audiebat. Procop. de bello Goth. lib. 1. teſte, vtpote, quæ quatuor tantummodo paræcijs,& tribus regionibus,vijſque conſtaret, vti Falcus aſſerit Topograph. Neap. pag. 21. Eadem nihilominus, adeo poſtea excreuit,vt,non ſemel proferre pomœrium,& muros finitimis campis, cliuiſque circumducere oportuerit. Id verò exiſtimandum eſt eueniſſe, cum, ob loci incredibilem fertilitatem,& in media ipſa hyeme,vernantem Cœli temperiem,tum etiam,quia ſitus Vrbis mare proſpiciens,*quo*,teſte L. Floro,*nihil hoſpitalius eſt*,vicinas,remotaſque nationes adeò efficaciter inuitauit, *nexuque pio,longiqua reuinxit*; & diuerſarum gentium homines,Græcos nempe,Iudæos,Pœnos,Arabes,Gothos,VVandalos,Longobardos,Northmannos,Sueuos,Hungaros,Gallos,& Hiſpanos, ita crebro dulcique commercio cicurauit; vt,non ſecus ac quondam ingens illa Roma,*Compendium Orbis,& communis Patria*,audire nunc Neapolis mereatur. Tot autem exteras nationes,& ex eis,pleraſque agreſtes,immites, barbaras (Gothos, VVandalos,Longobardos ferè intelligo) ad morum amęnitatem,& (quod maius eſt) ad veri Dei cultum,Neapolis noſtra feliciſſimè tranſtulit. Neque enim paſſa eſt, diu continere mœnibus, niſi eos, qui abiuratis ſuperſtitionibus impijs,manus Chriſto dediſſent. Itaque Iudæos obſtinatè perfidos, primùm excluſos mœnibus,in ſuburbijs nidulari,vix aliquandiu tolerauit. Deinde

verò,

verò, quia experimento conſtabat, magna detrimenta publicis, priuatiſque rebus, & maximè Chriſtianorum animis, per huiuſmodi hominum fœda commercia importari, noſtrorum Patrum memoria an. 1510. primùm Ferdinando Catholico Rege, poſtea autem Carolo V. Imperatore in an. 1539. expulit vnà eos omnes. Arabes verò, ſiue Sarraceni, qui Frederico, & Manfredo Regibus impijs, Neapolim, imò Campaniam, & Regnum pœnè totum miſerè preſſerant, à duobus Carolis Andegauenſibus ſtrenuis vindicibus impietatum, & ſcelerum, debellati, profligati, cæſique ſunt. At Pœnos, Gothos, VVandalos, Longobardos, adeò humanis, & Chriſtianis moribus, Neapolis imbuit, vt nequeas nunc, eorum poſteros, à conterraneis, indigeniſque ſecernere. Cum autem dico, eſſe etiamnum Neapoli, horum barbarorum poſteros, ne frontem contrahas, Neapolitane lector. Seruatur enim, apud Patricianas Virgines, Ordinis D. Benedicti, & in noſtra etiam SS. Apoſtolorum Bibliotheca M.S. codex, in quo vetuſtum Emortuale Diariũ legitur, nominibus hominũ quorundam Neapoli defunctorum, Gothicis, VVandalicis, Longobardicis refertiſſimum. Quid miraris? Nonne & Roma, ſuos habuit Gothos Chriſtianos? Nonne etiam ex ijs, Senatores, & Conſules, Vrbs ipſa vidit, & tulit? Nonne Longobardorum quamplurimi à SS. Epiſcopis Barbato Beneuentano, & Decoroſo Capuano, ad Chriſti fidem traducti, vnà cum Samnitibus, & Campanis, piè, & laudabilirer per multas annorum decades, in his oris verſati fuerunt? Lege Baronij notationes ad 2. Mart. & Michaelẽ cognomento Monachum, in Sanctuario Capuano: vt per auctores ab his citatos, hæc ipſa certius ſcias.

## *A multitudine Baſilicarum, earumq; ſplendore.*
## *Sect. IX.*

IN quanram verò amplirudinem hæc Ciuitas, ex ijs, alijſque accolis excreuerit, nemo, arbitror, ignorat, niſi is, qui animaduertere incurioſus nolit, hac ætate, Neapoli Chriſtianorum numerum, penè eſſe innumerum. Videbis namque aduena quiſquis es, in magna hac Ciuitate, & paſſim ipſe incurres, in quamplurimas ſacras ædes, Templa, Sacella, Xenodochia, Noſocomia, Parthenones, Monaſteria, & Oratoria, denſis Chriſtianorum turmis, vno, eodemque tempore refertiſſima. Magna certè laus hæc eſt, & ſummus honor, non tot millibus hominum repletam eſſe, ſed hominum Chriſtianorum. Alioquin dicerem cum Diuo Chryſoſtomo hom. 17. ad Pop. Antioch. *Mihi Ciuitas non habens pios ciues, omni villa vilior eſt, & quacunque ſpelunca ignobilior.* Porro percenſere ſacra ea habitacula diligenter, animus ſanè mihi, nequaquam eſt. Satis fuerit, æram proferre numeri. Si liceat igitur ex patrijs antiquitaribus arbitrari, fuerunt Neapoli, Mauritij, Cœſaris, &, quod excurrit tempore, hoc eſt, dum adhuc eſſet, vti Procop. de bell. Goth. lib. 1. loquitur *exigua Ciuitas,* & vix decimam partem nunc extantis æquaret, ſacræ ædes circiter ſexaginta. Ioannis verò Neapolitani Diaconi ætare (is vixit, & ſcripſit nono Chriſti ſæculo) non erat admodum auctus Eccleſiarum numerus: quia ciuitas ipſa nondum incrementum magnum acceperat, preſſa videlicet, nunc Græcorum, nunc Gothorum, nunc Sarracenorum, aliarumq; gentium, barbaricis incurſionibus: ob quas, pri-

ſtinis

ſtinis ſe continere ſpatijs coacta eſt. Primus autem, qui Neapolim Regijs, atque adeo magnificis augere ædificijs cœperit, fuit è Northmannorum Dynaſtis Rex Gulielmus II. re, & cognomine Bonus. Is quippe extructa in Inſula Saluatoris, & ad Capuanam portam regijs arcibus, atque intra ciuitatis mœnia, Diui Auguſtini ſublimi Templo, à Carolo II. poſtmodum aucto, ſucceſſoribus, quaſi protenſo digito demonſtrauit, qua via ad veræ magnificentiæ laudem, gloriamque pertendere deberent. Et verò, Reges Galli, qui ſucceſſere Northmannis, iiſdem exemplis egregiè inſtiterunt. Quippe qui, & Carthuſienſibus B. Martini Epiſcopi, & Prædicatoribus, Diuorum Dominici, & Petri Martyris, & Sancti Franciſci ſodalibus, Diui Laurentij, & Carmelitis fratribus, Deiparæ Virginis Templa ædificarunt. Atque, vt alia complura ſacra ædificia ab iiſdem excitata prætercam, Carolus I. & II. toti Vrbi, ampliſſimoq; Clero, Archiepiſcopalem Baſilicam, præcelſa, & ampla mole ſpectandam, extruxerunt.

Igitur, id vniuersè à me dici poſſe arbitror, adeò deinceps auctam ſacris ædificijs eſſe Neapolim, vt paucas, & fortaſsè nullam, in vniuerſo Chriſtiano Orbe (abſit verbo inuidia) fit reperire Ciuitatem, quæ maiori Eccleſiarum, Monaſteriorum, Ædiumq; ſacrarum numero ſit referta. Nam præter quamplurimas priuatas ædiculas, Oratoriaque domeſtica, Eccleſias habet ab vna Deipara Virgine varijs cognomentis nuncupatas, ſupra centum, ac viginti: vti in prima huius Capitis Sectione docui. Alias itidem ducentas ferè numerare eſt, à Dei Optimi Maximi, Diuorumque diuerſorum nominibus appellatas.

Omnium autem, & titulo, & dignitate præſtantiſſima eſt, iam dicta Archiepiſcopalis Baſilica, in Cœlum Aſſumptæ Virgini dicata. Quam, quòd Sedes Epiſcopi ſit, vulgus Græco propemodum vocabulo appellitat *Piſcopium*. Ea pone vetuſtam illam Sanctæ Reſtitutæ Eccleſiam, à Conſtantino Magno conſtructam, poſt mille ferè annos, à Carolo Rege in ſubliminorem, & ampliorem excitata molem, & magnificentiſſimæ portæ, ab Antiſtite Minutulo Cardinali, mirificis molibus communita, in antiqui Epiſcopij locum, nomenque ſucceſſit. Eamdemque poſt ducentos fermè annos auxit marmoreo hypogæo, inſigni ſculptura, & columnati operis ſtructura conſpicuo, Magnus ille Oliuerius Carafa, Purpuratorum Romanæ Eccleſię Patrum, & Neapolitanorum procerum immortale decus. Præcelſam verò eius Templi abſidem, ſacris iiſque graphicè pictis imaginibus, egregiè exornauit Alphonſus Geſualdus Cardinalis Sac. Collegij Decanus, vir munificentia in egenos, & corporis, animique puritate præſtantiſſimus. Pronuper verò, marmoreis Diuorum ſtatuis, peramplo Odæo, rei ſacræ diuite inſtrumento, &, quod ſpectantium oculos mirificè oblectat, pulcherrimo lacunari ſacris imaginibus decorè picto, auroque abundè perfuſo, ſplendidiſſimè condecorauit: ac vetus item Baptiſterium, columellis è maculoſo marmore circumpoſitis, auguſtius reddidit: atque amplis præterea collatis cenſibus, ſacrum veſtiarium præclarè locupletauit, pijſſimus, atque optimus Cardinalis Decius Carafa, grata commemoratione dignus Antiſtes. Quin etiam, ipſomet Neapolitanæ Eccleſiæ clauum tenente, faſtigium impoſitum eſt, magnificentiſſimo mauſoleo Beati Ianuarij Patroni Principis, aliorumque Diuorum lipſanis decenter reponendis excitato. Cuius operis formator, & architectus extitit, Religioſus è noſtro Sodalitio preſbyter Franciſcus Niger. Quod poſtmodum ædificium, alij, atque alij artifi-

tifi-

tifices,ſelectorum marmorum incruſtatione, auratis ſignis, eximiè pictis imaginibus,& omne genus ornamentis, Franciſco Boncompagno Eminẽtiſſimo Cardinali feliciter ſedente,& virtutum radijs coruſcante, decorẽ pergunt inſtruere:Regia hac,in pietatem prona Vrbe,affatim ſuggerentẽ ſumptus,vt teterrimam peſtilentiam,ſuperiore ſæculo,diuinitus,Beato Ianuario deprecante ſublatam,aliaque ingentia, quæ idem Diuus Patronus Magnus,publicè, priuatimque in eam contulit, & in dies conferre pergit, beneficia,ſtabili,& præclaro hoc monumento teſtificetur.

Verùm,ne,dum ego nouam Archiepiſcopalem Baſilicam narro,veteris,quæ *Stephania* vocabatur,oblitus eſſe videar, ad illos commemorandos Epiſcopos conuerto ſermonem,qui antiquum Neapolitanum Epiſcopion, variè exornaſſe,aut ædificijs ſacellorum,atque Oratoriorum locupletaſſe, & circummunijſſe leguntur.Hinc quippe,lectores poterunt fieri certiores, Eccleſiam Neapolitanam,non à Gallorum Regum ætate,ſed multis etiam retro ſæculis,fuiſſe præſtantiſſimam.Quanquam enim, nõ tam magna olim Neapolis eſſet Ciuitas, vti nunc eſt, dici tamen meruit à Theodorico Rege,apud Caſſiod.lib.6.epiſt.23.*Vrbs ornata multitudine ciuium*.Quocirca,primarium eius Templum,Epiſcopi illi antiqui certatim exornare contendebant.

In quorum ſerie, agmen mihi ducet Epiſcopus Ioannes II. qui circã annum Chriſti XXXIII.Ioanne II. Romano Pontifice, Neapolitanam regere cœpit Eccleſiam. Quamquam enim, haud dubitem, fuiſſe aliquot alios, iſto antiquiores Epiſcopos, in ſuam hanc ſponſam æque munificos: is tamen primus eſt,apud Hiſtoricos noſtrates,quos ego legerim,eiuſmodi liberalitatis nomine commendatus.*Hic*,inquit Diaconus in ſuo Epiſcoporum Chronico in M.S.Cod.Vatic. *abſidem Eccleſiæ Stephaniæ lapſam ex incendio,reformauit:in qua ex muſiuo depinxit Transfigurationem D.N.Ieſu Chriſti.*

Pone hunc,Vincentius I.eodem Diacono teſte *fecit baptiſterium fontis minoris intus Epiſcopium:et accubitum iuxta poſitum,grandi opere depictum.*Accubitum appellat conclaue,quo baptizati excipiebant conuiuio Initiatores: hoc eſt,Epiſcopum,Miniſtroſque initiantes,& Suſceptores.

Ioannes autem III.circa annum Domini D.C.XV.*Conſignatorium Albatorum:* nempe cubiculum, vbi neophyti Chriſmatis Sacramento confirmarentur,& nonnulla alia feciſſe, tradit idem Diaconus.

Quartus autem ob ſacram munificentiam memorandus,Leõtius Præſul in eodem Chronico legitur. Qui Eugenio Primo Summo Pontifice, & Conſtante III.Imperatore Neapolitano, Baſilicam, inſigni cruce aureã, pretioſis gemmis ornata,locupletauit. *In cuius medio*,Diaconi verba ſunt, *reclūſit portionem viuifici ligni,in quo Dominus noſter pendere pro ſalute humani generis dignatus eſt.Cuius venerationis gratia, ſexta feria hebdomadæ maioris, & feſtis diebus, Inuentionis, & Exaltationis Sanctæ Crucis, omnes promiſcui ſexus confluunt,deuotè flagitantes auxilium.* His verbis profectò, ſignificat, haud exiguam fuiſſe eam ſacri ligni portionem,ad quam videlicet adorandam, tota propemodum ciuitas conflueret: ijſdem quidem feſtis diebus, quibus Romæ ad Sacroſanctæ Crucis adorandum lignum, quod Sergio I. Pontif. Max.repertum eſt, Anaſt.Bibliothec.in Sergio I. teſte, concurrere ſolebat magna caterua ciuium, atque exterorum.

Leontium, longo interuallo ſecutus eſt Stephanus II. qui, vt idẽ Diaconus refert,& alteram crucem auream, & ſacrorum Euangelij libro-

rum ornatiſſima loculamenta,& velamina,palliaque altaris,auro gemmiſque decorata dono dedit.Ac ſublimem prætereа abſidem,& geminas hinc inde turres,ad Sancti Petri ædiculam muniendam,ædificauit. Compluraq; inſuper à ſe coempta mancipia,Cleri ſeruitio deſtinauit.

Porrò, hiſce inſignibus certè ædificijs, atque ornamentis, æmulator Leontij,Paulus Epiſcopus eo nomine II. horreum adiecit, quo, vt puto, frumentum alendis pauperibus ſeruaretur. Id ſimiliter ab alijs quibuſdam probis Epiſcopis,& præcipuè à Sancto Spiridione Cypri Antiſtite factum, ſacræ hiſtoriæ memorant,& Vita eius à Triphyllio Epiſcopo ſcripta. *Aedificauit & cubiculum idem Paulus.* Hoc eſt,vel Sacellum aliquod,vel prope abſidem,iuxta antiquarum Baſilicarum ſtructuram, Cellam, quam vocabant *Secretarium*:quo ſcilicet,ſacræ veſtes,librique reconderentur. Nec ſatis illi fuit,noua hæc ædificia extruxiſſe : vetera etiã inſtaurauit mirificè,& exornauit. *Nam ex argento*,inquit Diaconus,*quod prædeceſſor eius Stephanus reliquerat,Sanctum induit,& decorauit Altarium Eccleſiæ Stephaniæ. De reliquo vero fecit ceraptatas*,lego,*ceroſtatas quinque*. Hoc eſt,vt Panuinius interpretatur,ad cornuum formam candelabra:*ex quibus duas deaurauit. Depinxit quoque Turrim, quæ eſt ante Eccleſiam S.Petri.* Erat ea Eccleſia propè Stephaniam: *& reliquias in altari eiuſdem Eccleſiæ poſuit. Quia præuentus morte Dominus Petrus,illud non dedicauit.* Hæc fecit Epiſcopus Paulus,ad Cathedralis Baſilicę,quam Stephaniam vocabant,vel ornamentum,vel incrementum. Eius nos antiquæ Baſilicæ formam,infra cum de Conſtantini Magni ædificijs,quæ Neapoli cõdidit,agemus,conabimur exprimere diligenter.

Pauli II.iam dicti ſedem,excepit Tiberius laudatiſſimus Præſul.Qui, vbi primùm ex Vrbe Roma redijt, à Paſchali II. Summo Pontifice conſecratus, *Altarium Sanctæ Stephaniæ aneis circumcinxit quintanis*,Hoc eſt annulis: *& multas fecit areas ibidem coronas*,è quibus ſcilicet lucernæ ſeriatim diſpoſitæ dependerent.

Poſt hunc,Beatus Ioannes,cognomento Aquarolius,*ad ſanctum Chriſma conficiendum,fecit vnam deauratam ampullam,in cuius labro,nomen ſuum deſcripſit.* In illa enim temporum calamitate,quando videlicet, peſſimus ille Bonus Dux Neapolis,Tiberium Ioannis prædeceſſorem,tetro carceri mancipauit,& Eccleſiæ facultates,atque inſtrumenta ſacra confiſcauit,adeo depauperatus fuit Antiſtitum cenſus,vt non potuerit ſucceſſor eius Ioannes, quamquam pietate,& ſanctimonia præſtantiſſimus,valdè,vti cupiebat,eſſe munificus. Sed,qui illi ſubrogatus eſt Athanaſius,primis quidem ſui Epiſcopatus annis,quibus tranquillè vixit, videlicet antequam ab impio Duce Sergio eius ex frate nepote, perſecutio mota eſſet, ſuperiorum propemodum omnium liberalitatem,pietatemque ſuperauit.Primo quippe,*Clericorum Seminarium inſtituit.Baſilicæ deinde Epiſcopali tredecim cortinas,quæ Chriſti geſta affabilè picta,exprimebant,liberaliter retulit,iuſſitque columnis eius appendi.* Vt eo videlicet pio ſpectaculo,Chriſtianorum oculi paſcerentur. Omitto hic recenſere ſacra pallia,& velamina,auro,gemmiſque pretioſa:argentea item magni põderis vaſa eximij operis, Xenodochij ædificium,Bibliothecæ ſacræ ſtructuram,aliaq; penè innumera, à Beatiſſimo Præſule,in ſuam Eccleſiam benefacta. Nam de ijs,alias

Hactenus antiqua,& noua emolumenta, atque ornamenta,in Metropolitanam ædem,ab eius Præſulibus,varijs temporibus modiſque collata, collegi breuiter. Tu verò lector,ne expectes, vt his alia quæuis donaria ſubiun-

ſubiungam. Quid enim opus, laicorum etiam votiuas, aut ſpontiuas oblationes, omniſque generis ἀναθήματα, oratione perſequi, & cum lectorum faſtidio, catalogum ſacrarum veſtium ſericarum, vel aurearum, cortinarum, vaſorumque pertexere? Sunt quidem hæ cortinæ, magno ornamento, eæque Neapolitanorum Templorum decora quodammodò propria. Vix enim alibi cortinas iſtas cernes: ſed cum omnium oculis proſtent, eæ profectò non egent indice.

Porrò ſi quæras, quonam, antiqua illa Eccleſię Epiſcopalis ſuppellex, atque inſtrumenta, & priſci ſchematis ornamenta abierint, in promptu reſponſio eſt. Ter expilatam, direptamque fuiſſe, primariam hanc Baſilicam. Primùm ante annos, vti ex Ioanne Diacono colligitur in Tiberio Epiſcopo, propemodum ſeptingentos, ab improbo Duce Bono. Qui, vt Tiberium optimum Epiſcopum depauperaret, & ſibi lucrum addiceret, bona Eccleſiæ, quotquot reperire potuit, confiſcauit. Secundò autem, paulò poſt, vti idem in D. Athan. Epiſcopo aſſerit, ab iniquiſſimo Sergio Duce, fratris ſui B. Athanaſij perſecutore. Tertio denique poſt annos à prima direptione circiter quadringentos, Hoc eſt, anno Chriſti 1387. à nefarijs ſatellitibus Clementis VII. Antipapæ, qui Neapolim ſe receperat. Is quippe, ſchiſmatis auctor atrociſſimi, ſatanico abreptus furore, quo ſuos aſſeclas magis, magiſque ſibi deuinciret, & in officio contineret, poteſtatem ijs fecit, ſpoliandi altaria, prædandi ſacrum veſtiarium, conflandi omne genus vaſa aurea, atque argentea: & cenſus, prouentuſque Eccleſiæ, inter ſe diuidendi: vti ex Diar. Ducis Montis Leonis M.S. Bzouius tom. XV. ad annum iam dictum. Sed ego omitto funeſta hæc narrare: atque ad alia Eccleſiæ Neapolitanæ inſignia decora deſcribenda, conuertor.

## *Ab antiquitate Metropoleos, & ſuffraganeis Epiſcopis.* Sect. X.

DEuenio ad Eccleſiæ Neapolitanæ prꝫſtantiam, ex eo, quia Metropolis eſt, conſiderandam. In quo argumento, duo mihi differenda ſunt. Primum, quo anno, ea in Metropolitanam dignitatem euecta fuerit. Secundum verò, quàm latè ſe extendat Prouincia Neapolitano Metropolite ſubiecta.

Et de primo quidem, variæ ſunt Scriptorum ſententiæ: ideoque haud facilè mihi fuit, certum conſtituere annum, quo Neapolis facta eſt Metropolis. Poſt diutinam nihilominus rei huius diſquiſitionem, mihi videor, poſſe affirmare, eam dignitatem, datam fuiſſe Neapoli, ab Ioãne IX. Pont. Max. circa annum ſalutis 904. Id namque tradit Ioannes Monachus illorum temporum auctor, qui ſcripſit Auctàrium ad m. s. Chronicon Authberti Abbatis Monaſterij S. Vincentij ad fontes Vulturni ſiti: quod legi cùm eſſem Romæ, per paucas horas mihi commodatum, à perito Caſſinenſium antiquitatum viro, Conſtantino Caietano S. Baronti Abbate: citaturque id Chronicon à Baronio, ſi benè memini, non ſemel. Porrò Ioannes IX. geſſit Pontificatum ab anno 903. ad 905. Itaque cum hunc ſatis antiquum Scriptorem habeamus, qui id, ſua ætate factam, firmè aſſerit, nihil præterea dubitandum, aut diſquirendum erit: ſed argumentis ſolummodò, quæ lectorem, in diuerſum trahere poſſent, reſpondendum.

Primum argumentum conflari poſſe videtur, ex verbis Tertulliani lib. de præſcript. adu. Heret. cap. 21. vbi eas Eccleſias, quæ fundatæ ſunt ab Apoſtolis, vocat *Matrices:* hoc eſt, Pamelio interprete *Metropoles;* quibus videlicet, aliæ, *atque aliæ ſubſunt.* Atqui, nemo neſcit, Neapolitanã Eccleſiam, fundatam fuiſſe à Petro, qui, Neapolitanis aliquot ad Chriſti fidem traductis, Aſprenum Epiſcopum conſtituit. Ab illo igitur tempore, dicet quis, Neapolis hanc dignitatem nacta eſt. Verum huic argumento occurrit ipſemet Pamelius, dicens, ob id appellari à Tertulliano eiuſmodi ciuitates, *Matrices, & Originales fidei,* quia ab ijs promanauit fides Chriſti, ad vicina Oppida, & Municipia. Vti equidem, de Neapoli par eſt credere, prodijſſe doctrinam fidei, ad ſuburbanos Pagos, Oppidaque vicina. Alioquin, ſi detur, omnes ab Apoſtolis fundatas Eccleſias, fuiſſe Metropoles, etiam Puteoli, Tarracina, Atina, aliaque compluria Oppida, quibus Apoſtoli ipſi, dederunt Epiſcopos, fuiſſent ætate ipſa Petri, Metropoles. Accedit his, Archiepiſcopi vocabulum, diù poſt illa Apoſtolica ſæcula prodijſſe: vt Eccleſiaſticæ antiquitatis periti probè ſciunt. Non fuit igitur Neapolitano Præſuli, Titulus, nomenque Archiepiſcopi, datus ab antiquo illo tempore: ac proinde, nec vicinæ ciuitates illi ſubiectæ fuerunt.

Sunt nihilominus Scriptores quidam, qui volunt, vel ante Gregorij Papæ Pontificatum, quem ille inijt anno 590. vel ſaltem ab ipſomet Gregorio, Neapolim factam fuiſſe Metropolim. Nam, inquiunt, Gregorius ipſe apud Gratianum cap. 1. de Relig. domibus, vocat Victorem Neapolis Præſulem, *Archiepiſcopum.* Quo circa, doctus vir Authbertus Miræus, Eccl. Polit. lib. 1. c. 3. pag. 22. aſſerit (vtique huius ad Victorem Epiſtolæ nixus auctoritate) Archiepiſcopatum Neapolitanum à Gregorio Magno fuiſſe inſtitutum. Idque ſatis probabiliter, ſibi videbatur affirmare poſſe, qui ſciret, non multò antè Gregorij Magni ætatem, nempe poſt Longobardorum in Italiã irruptionem, Neapolim Duces habere cæpiſſe. Ducis autem dignitati, ſocia quodammodo erat Archiepiſcopi dignitas. Quippe, eius temporis Duces, complures Prouinciæ Ciuitates ſub ſe habebant. Comites verò, vnam tantummodò Ciuitatem. Inde eſt, quòd in legibus Viſogothicis, Dux, Prouinciæ dicitur; Comes, Ciuitatis. Quo circa Fortunatus Sigoaldo Comiti optat, vt,

*Rex Childebertus creſcens, te creſcere cogat:*
*Qui modo dat Comitis, det tibi iura Ducis.*

Iam verò huc facit Petrus Diaconus Caſſinenſis, qui in vita S. Athanaſij, Neapolim Græca ethymologia vocat Ἐννεάπολιν. Quòd videlicet, ab antiquo, nouem ſub ſe habuerit ciuitates: vt ipſe Diaconus declarat his verbis. *Eam Virgilius Parthenopem, hoc eſt, Virginem appellauit. Hanc denique Octauianus Auguſtus Enneapolim,* id eſt, *nouem Ciuitatum dominatricem.* Ex his autem, liceblt mihi eruditum Lectorem obiter admonere, perperam ſcriptum, Neapolim ab Auguſto ſic nuncupatã fuiſſe, in Solini antiquo Cod. è quo in excuſis libris error: & reponendum eſſe, *Enneapolim.* Alioquin, quis ſibi perſuadeat, tam doctum, & antiquum Hiſtoriarum auctorem, neſciuiſſe, quod vel pueri ſciunt, *Neapolis* vocabulum, multis ſæculis ante Auguſti imperium fuiſſe Parthenope inditum à Cumanis, cum hanc Vrbem, quam pridem euerterant, ipſimet, iubente Apollinis Oraculo, magnificentius inſtauraſſent? Hæc autem, eò tendunt, vt Neapolis noſtra, quæ etiam Auguſti Cæſaris ætate, adeo inſignis erat Campaniæ Ciuitas, vt nouem Ciuitatibus domina-

minaretur, Capua videlicet jam ante id tempus à Romanis domita, & in Præfecturam redacta, digna prorſus cenſeri debeat, quæ Metropolis eſſet, & Archiepiſcopali titulo à Gregorio Magno decoraretur. Nam ab Eccleſiaſticis Scriptoribus nonnullis, puta VValafrido Strabo, apud Bignonium in Marculphnm Notis, comparantur eum Comitibus, Epiſcopi; cum Ducibus, Archiepiſcopi. Nempe, quia Epiſcopi ſingularum Ciuitatum, Archiepiſcopi autem, totius Prouinciæ ſunt Antiſtites. Quæ verò fuerint hæ nouę Vrbes æuo Auguſti Cæſaris ſubiectæ Neapoli, ſiue Enneapoli, ſi liceat diuinare, fortèạn à vero non admodum aberrabit is, qui arbitretur fuiſſe finitimas, & circa Cratcrem ſitas. Videlicet Pompeios, Herculanum, Acerras, Nolam, Puteolos, Cumas, Miſenum, Baias, & Pythecnſas. Miror ego interea, negaſſe doctum virum Antonium Sanfelicium, Baias fuiſſe Oppidum, ſed nudum exiſtimaſſe amęni ſitus vocabulum à Baio Vlyſſis ſocio, loco illo ſcpulto, inditum. Nam Baias, Græci, Latinique Scriptores, indubiè Oppidum vocant. Strabo videlicet lib. 5. Ioſcphus lib. 14. Antiq. cap. 18. Vitruuius apud Ortclium, & Caſſiodorus lib. 9. ep. 6. ad Primiſcrinium: quos recentiores Hiſtorici, ac Geographi multi ſequuntur.

Verum, iſta omnia ſimul congeſta, & ſi valdè faciunt ad Neapolitanæ Vrbis Eccleſiæque præſtantiam, atque amplitudinem oſtendendam, nullatenus tamen cuincunt, Neapolim æuo Sancti Gregorij fuiſſe Prouinciæ Metropolim. Diſcutiamus breuiter ſingula, quæ adducta ſunt. In primis, Archi Titulus ille Epiſcopi, qui apud Gratiani Codicem, Victori affigitur, non è manu, aut ex ore Gregorij Pontificis, ſed è calamo oſcitantis librarij, diu poſt ſcribentis, proculdubio prodijt. Non enim habetur iſte titulus, in Gregorij Epiſtolarum Regeſto, noſtra ætate Romæ recognito, & emendatè procuſo. Præterea, Duces non neceſſariò inferebant in Ciuitates, quarum Duces erant, Metropoliticam dignitatem Eccleſiaſticam: de hac quippe nunc agimus. Neque id iaris, aut poteſtatis illi habebant. Exemplo ſint Spoletum, Brixia, Tridentum, & Campaniæ propemodum confine, Beneuentum. Quæ quidem, alioquin præclarę Vrbes, quanquàm Ducatus titulo à Longobardis Principibus cohoneſtatæ fuerint, non eodem tamen tempore factæ ſunt Metropoles, ſed diu poſt. Imò nec Brixia, nec Spoletum, id honoris, & dignitatis, hactenus acquiſiuerunt. Neque etiam ſemper, ex Vrbium dignitate, acceſſit Epiſcopis ſublimior Titulus, ac dignitas. Quod doctè quidem aduertunt Aleander de Region. ſuburb. diſſert. 2. & Berthcrius Diatibe 2. cap. vltimo. Ex his autem, cætera etiam, quæ producta ſunt Neapolitanæ amplitudinis indicia, ſimiliter inualida redduntur, ad Metropoliticam dignitatem, ante Ioannis IX. Pontificatum, ipſi adſtruendam.

Verum, quid dicemus de S. Vualſpurgis nobiliſſimæ, & religioſiſſimæ Virginis teſtimonio? Hæc enim Diua in Hodæporico Sancti Vuillibaldi fratris, tradit eũ, cùm Hieroſolyma reuertiſſet, inueniſſe Neapoli Archiepiſcopum. *Nauigantes*, inquit apud Caniſ. tom. 4. var. lect. *venerunt ad vnam Vrbem, quæ vocatur Neapolis. Ibi erant Vuillibaldus, eiuſque comites multos dies. Ibi eſt ſedes Archiepiſcopi, & magna dignitas eius illic habetur.* Quid poteſt videri clarius? Nihilominus tamen, cùm ſubijciat hæc verba. *Et inde venit ad Vrbem Capuam, & ille Archiepiſcopus miſit eum ad aliam Vrbem;* conſtetque Capuam, diu poſt illa tempora, ad gradum Metropoleos fuiſſe euectam (Nam SS. Vualſpurges, & Vuillibaldus, Gregorio III. Summo Pontifice, hoc eſt, circa an. 740. floruerũt: Capua autem facta eſt Metropolis, à Ioanne XIII. an. 968.

an. 968. vti Leo Oſtienſis lib. 2. Chronic. Caſſinenſ. cap. 9. & ex eo Baronius tom. X. Annal. aſſerunt) fatendum omnino eſt, aut librarij vitio, Archiepiſcopi vocabulum, pro Epiſcopo vtrobique fuiſſe ſcriptum: aut B. Vualpurgem, vtpote in Anglia natam, & rerum Campanarum ignaram, exiſtimaſſe, & ſcripſiſſe Archiepiſcopos, qui erant Epiſcopi. Alioquin, huius dignitatis profectò meminiſſet, & Chronico ſuo, id Neapolitanæ Eccleſiæ decus adnotaſſet, Ioannes Diaconus, longè Vualpurga poſterior, ſi Neapolis, ſua ætate habuiſſet Archiepiſcopos.

Reſtat denique argumentum illud, quod, Miræo referente Notit. Epiſcop. pag. 227. ex Leone Imperatore deſumi poſſet. Nam ex diſpoſitione Leonis Imperatoris cognomento Philoſophi, à Leunclauio edita tom. 2. Iuris Græco Romani, liquet, inter Archiepiſcopos Patriarchæ Conſtantinopolitano ea ætate ſubiectos, adnumerari Archiepiſcopum Neapolitanum: & poſt eum Archiepiſcopum Meſſanenſem in Sicilia.

Firmare verò videtur hanc rem, elogium illud inſigne, quod de Neapoli noſtra habetur in Chronico Alexandrino ab Radero tranſlato pag. 83. Quo loco, Petrus Alexandrinus illius Chronici, Radero arbitrante auctor, recenſens præcipuas Vrbes ſeptem Orbis climatum ait. *Quinti Climatis Vrbes Italia Principes, Neapolis, Roma, Sicilia vero Meſſana.* Viuebat autem iam dictus auctor Chronici Petrus Alexandrinus, an. 640. vt ex Chronologia Iuris Græco Romani colligitur. Augetur etiam coniectura: quòd ſcilicet Neapolis antiquitus Metropolis fuerit, ex eo quòd, Ciuitas appellata ſit, tum à Belliſario apud Procopium, vocante eam *Ciuitatem vetuſtiſſimam*: Tum etiam à Theodorico Gothorum Rege, qui ante mille, & ducentos annos, Italiam, ipſamque Neapolim poſſedit. Is quippe apud Caſſiod. lib. 6. epiſt. 23. eam laudans, *Vrbem ornatam*, ait, *multitudine Ciuium, abundantem marinis, terrenisque delicijs.* Quibus profectò elogijs ſignificant, iampridem fuiſſe recenſitam Neapolim noſtram inter Italiæ præcipuas Ciuitates. Ac proinde, niſi fallat opinatio, iam tum extitiſſe *Metropolim.* Etenim id, vt plurimum, ſibi volebat vox *Ciuitas*, ſiue *Vrbs* antiquis illis temporibus: quibus videlicet, non Municipia, Oppidaue ea nomenclatura gaudebant, ſed capita, & vertices ſolummodò Prouinciarum: in quibus nimirum Præſides, aut Proconſulares viri reſiderent: vti indicat Tertullianus initio capitis primi Apologetici, & ad Nationes lib. 1. cap. 1. obſeruante Gothofredo in ſuis nuper editis notis. Eæ igitur tunc vocabantur Ciuitates, quæ finitimis Municipijs, Oppidiſque præeminerent, atque præeſſent. Iamverò Neapolim, ijs & ſequentibus etiam aliquot ſæculis, extitiſſe talem, patere poterit ex Epiſtolis D. Gregorij Papæ, ſcribentis ad Anthenium, alioſque Campaniæ Subdiaconos, aut Defenſores (his vocabulis, Pontificij quidam primores Adminiſtri appellabantur) itemque ad Magiſtros militum, Duceſque Neapolis. Quippe qui, ex ea vrbe, tamquam ex Arce primaria, toti Campaniæ proſpicerent. Iam enim, multo ante Gregorij tempora, Capua à ſua illa priſtina dignitate, qua huic Prouinciæ præſtabat, plane deſciuerat. Quin etiam, Duces ipſi Neapolis, quid aliud erant, niſi Præſides quidam Auguſtales, ſumma cum auctoritate Vrbem iſtam, atque illi ſubiectam ditionem, Imperatorum Orientis nomine, ſed libera fermè poteſtate moderantes?

Verum enim vero, grandia licet hæc ſint rerum pondera, & magnæ prorſus præſtantiæ argumenta: ipſa tamen, vt verum fatear, non inferunt,

Nea-

Neapolim eo ipſo tempore,quo Ciuitas vocata eſt,fuiſſe etiam Eccleſiaſticam Metropolim:hoc eſt,habuiſſe finitimarum Ciuitatum Epiſcopos, ſibi Archiepiſcopali prærogatiua ſubiectos.Sed id ſolummodo ex his, quæ allata ſunt,fortaſsè colligetur, Neapolitanæ Eccleſiæ Antiſtites, fuiſſe olim ea prouectos prærogatiua,eoque ſplendore ornatos, vt nullis quidem ſuffraganeis Epiſcopis,tunc iure Archiepiſcopali præpoſiti, reliquos nihilominus eiuſdem Prouinciæ Epiſcopis,honore ſedis antecederent. Facit,vt hoc arbitrer,non ſolum, id, quod de Neapolis, ac Neapolitanæ Eccleſiæ ampla ditione,& decoris titulis, compluribus argumentis, teſtimonijſque iam docuimus,& iterum docebimus,ſed id quoque,quod tradit Balſamon in Reſpon.de Patriarchis:quo loco docet: *Quoſdam Antiſtites,non propterea vocari Archiepiſcopos.quod Epiſcoporum Principes,& Ordinatores ſint;ſed quod primi Epiſcoporum habeantur:*titulo ſcilicet, & honore præcedentiæ.Quem quidem Græcorum morem, & ſi Phil. Berterius Pithan. Diatr. 2.cap.1. reprehendat,nobis tamen lucem præbet,qua noſſe poſſimus, ritus à Græcis Patriarchis inuectos fuiſſe,non ſolum in Orientis,ſed etiam in illas Siciliæ,& Italiæ Prouincias,atque Vrbes,quibus Græci Imperatores dominabantur. E quarum numero extitiſſe Neapolim noſtram,certum eſt.Quo circa,obſeruat Authbertus Miræus Not. Epiſcop. lib.3.in ſerie Epiſcoporum,ſub Patriarcha Conſtantinopolitano ex diſpoſitione Leonis Imperatoris fuiſſe eo tempore 39.Archiepiſcopos eiuſmodi, hoc eſt, ſolo Archiepiſcopi vocabulo cohoneſtatos:quibus quidem, nulli ſuffraganei Epiſcopi attribuerentur. Itaque non eſt mirandum, id quod ſupra produxi:nempè,Leonis Imperatoris æuo,Neapolim etiam habuiſſe eiuſmodi honorarium Archiepiſcopum.Hoc enim,non alibi legitur,præterquam apud Græcos Scriptores,eoſque iuxtà faſtuoſos Græcorum titulos,ritusque loquentes.

Stet igitur firmum, ratumque Chronici Vulturnenſis teſtimonium à me relatum. Nimirum, Neapolitanam Eccleſiam, non ante Ioannem IX. Summum Pontificem,ad Archiepiſcopalem dignitatem fuiſſe euectam.

Quot verò, quoſque Epiſcopos, Neapolitano Metropolitæ, Ioannes IX.Pontifex attribuerit,nunc reſtat exquirere. Sunt qui ſeptem recenſeant, Nolanum,Acerranum,Puteolanum,Iſclanum,Miſenatem,Cumanſi, Atellanum,ſiue Auerſanum.Autbertus autem Miræus,ex vet. Cod.Prouinciali,ſex enumerat,Auerſanum,quem tamen aſteriſco notat, quòd exemptus ſit,Nolanum,Puteolanum,Cumanum,Acerranum,Iſclanum.Hëricus Bacchus, ſiue quis alius auctor Deſcriptionis Regni Neapolitani toties euulgatæ,pauciores attribuit:videlicet,Nolanum, Puteolanum, Acerranum, Pythecuſanum,ſiue Iſclanum. Ego verò,diſtinguenda eſſe tempora arbitror,vt hi Scriptores vtcumque concilientur.Antiquitus,Neapolitanę Eccleſiæ,plures Epiſcopi attribuebantur. Nunc pauciores. Nam ante quadringentos circiter annos,nempe antequam Cumæ,Miſenus,& Baiæ Ciuitates, quas ſupra memoraui, in parietinas abijſſent, iſtarum etiam Ciuitatum Epiſcopos ſibi ſuffraganeos, Neapolitanum Archiepiſcopum habuiſſe,ex D.Gregorij epiſtolis,atque ex veteri Cod.Prouinciali,videtur colligi poſſe.Poſtea verò quàm ex exciſæ ſunt Vrbes,augusta illa, & perampla ditio,reſtricta aliquanto eſt.Sed quantum multitudinis hominum,Prouincia Neapolitana,ob iam dictarum Ciuitatum clades amiſit,certè, non modò par, ſed decuplo etiam maior numerus Vrbi Neapoli poſtea accreuit ciuium,& incolarum.Habeant igitur ſibi, Capua decem, & Beneuentum

viginti

viginti Comprouinciales Epiſcopos. Vna noſtra Neapolis, vtramque exuperat Prouinciam: non ſolum magnificis ædibus, & maris, terræque delicijs, ſed celebritate etiam, & frequentia populorum. Nam Metropoles illæ, ſuis Ciuitatulis eminus poſitis laxè ambiuntur. Neapolis autem, multas, vt iam dicam, Ciuitates, pomerio ſuo ipſa ambit, & claudit. Vt, quod de Roma olim dictum eſt à Polemo Sophiſta, de Neapoli nunc veriſſimè dici poſſit. *Multa Vrbes in iſta Vrbe*.

## *A Canonicorum, aliorumque ſacrorum Adminiſtrorum numero, & varia dignitate.*
## *Sect. X I.*

EX his, in præſenti ſe mihi offert, Triginta Canonicorum ſacrum, & perilluſtre Collegium. Quos pone adſunt viginti duo, ( vti nunc loquimur ) Hebdomadarij ſacerdotes. Præter alios diuerſorum graduum, atque indutuum adminiſtros: quos, ne ſim faſtidio, proprijs eos officiorum appellando vocabulis, ſuperſedèo recenſere. Hos verò Eccleſiæ Neapolitanæ proceres, Io. Vill. Hiſt. Neapol. lib. 1. teſte, Coſmus Neapolis Epiſcopus, reddita iam Chriſtiano Orbi pace, Baſilicæ Cathedralis exaugendo ſplendori, Syluestro Summo Pontifice annuente, & Magno Conſtãtino procurante, ſi Hiſtoricis noſtratibus, monumentiſque antiquis, vti par eſt, credimus, primus inſtituit.

Ex hoc autem honorifico Canonicorum ordine, præter Cimeliarchã, hoc eſt, rerum pretioſarum cuſtodem, aliquos etiam Presbyteros, atque Diaconos, *Cardinales*, nobili titulo legimus fuiſſe olim nuncupatos. Nam, vt vnicum, idque ſatis vetus, ac locuples, de ijs proferam teſtimonium, in diplomate, quod etiamnum extat, Petri Archiepiſcopi Neapolitani, Eccleſiam Sancti Archangeli cognomento ad Morſiſam, Dominicanis Fratribus anno 1231. concedentis, leguntur quatuordecim Canonicorum nomina, qui poſt Epiſcopum, illi ſubſcripſerunt: & ex ijs, quatuor, *Cardinales*, appellati. Poſterioribus quoque temporibus, idem factitatum, conſtat ex antiqua inſcriptione ſepulchrali in Eccleſia Sanctæ Reſtitutæ, his verbis. *Dominus Petrus Nicolaus de Marcheſijs* Neap. *ſacerdos, alma Eccleſia Canonicus Diaconus Cardinalis, hic ſitus eſt, anima cuius migrauit ad Cælos anno* 1472. *die* 14. *Ianuarij*. Ad eumdem profectò modum, in Compoſtellana nobiliſſima Hiſpaniarum Eccleſia, licet complures ſint Canonici, ſex tamen, vel ſeptem ſoli, *Cardinales Canonici*, Ioanne Mariana teſte lib. 10. de reb. Hiſp. cap. 6. vocantur. Quibus proinde ſolis, conceſſu Paſchalis II. Romani Pontificis, Sacrum ſolemni ritu facere licet, in Ara maxima, ſub qua, Beati Iacobi Apoſtoli pretioſa lipſana iacent. Scio etiam, teſte Beroldo, lib. de ritibus, & poſt eum Gernionio lib. 3. de ſacrar. immunit. cap. 6. olim in Italiæ primoribus Eccleſijs, & poſt Romanam præſtantiſſimis, videlicet, Aquileienſi, Rauuenenſi, Mediolanenſi, Piſana, Capuana, & Beneuentana, Canonicos aliquot, vocari ſolitos *Cardinales*. Idque factum eſt, vt decoro, eo vocabulo, ſignificaretur, Eccleſiarum illos *Cardinalium*, hoc eſt, principalium, eſſe Canonicos. Vel (quod propiùs verò eſt) quia reliquis eiuſdem Collegij Canonicis, in rebus aliquibus antecellerent, à quibus, nonnullis etiam honorificis inſignibus diſcernebantur.

Por-

Porrò non hic ſubſtitit Diuina largitas, in exornandis Neapolitanæ Eccleſiæ Canonicis. Quippe ex eodem præclaro,& ingentibus priuilegijs cumulato Collegio,multos ad longè ſublimiores dignitatum gradus,fuiſſe pronectos,certum eſt.Ex eo namque Canonicorum numero,Epiſcopi,& Archiepiſcopi plurimi,multi etiam S.R.E.Cardinales prodierunt.

Sed,quod omnem excedit dignitatem,in ſuprema quoque Orbis vniuerſi ſede,aliquos,qui Canonici Neapolitanæ Eccleſiæ antea fuerant,inſediſſe,vetera,& recentia monumenta confirmant.Et quidem,ſi de antiquioribus loquamur, Vrbanum VI. qui antea Bartholomæus Prignanus dicebatur, Neapolitanum fuiſſe Canonicum, ex inſtrumento colligimus anno 1362.confecto,quod ab Illuſtriſſimo D.D.Stephano Caſtelblanco, ex noſtra Religione,ad Sarnenſē Epiſcopatū in eius Eccleſię Archiuo aſſumpto, conſeruatur. In quo, cùm de beneficio quodam orta eſſet controuerſia, eiuſce litis deciſio,Bartholomæo Prignano Neapolitano committitur,Decretorum Doctori,& Eccleſiæ Neapolitanæ Canonico.Poſterioribus temporibus,Bonifacium IX.è ſtirpe Capycia Tomacella habemus, & ipſum antea,Metropolitanæ huius Eccleſiæ Canonicum. Recentius eſt,quod de Paulo IV.Carafa veriſſimè aſſeritur.Nempe, ipſum anno milleſimo quingenteſimo quinto,quando à Iulio II.Theatinus Epiſcopus electus fuit,Canonicatu,& Primiceriatu huius Eccleſiæ,extitiſſe inſignitum.Vnde,obiter obſerua Lector,quàm fuerit fabuloſum illud commentum,de Pauli Monachatu Benedictino,antequam Religionis noſtræ fundamenta,cum B.Caietano Thiæneo iaceret,olim à me in Collectaneis Vitæ Pauli IV.exploſum, vtpote per ſe deciduum. Quòd ſi intimius, vanitatem huius opinationis optas agnoſcere,lege exiguam quidem, ſed accuratam de ea ſcriptionem, Noſtri Ioannis Baptiſtæ Caſtaldi: qui falſitatis eam redarguit.I.Ex noſtrorum Scriptorum ſinceritate. II Ex externorum Scriptorum ſilentio. III.Ex Pauli aduerſariorum obmuteſcentia. IV. Ex matriculis (vt vocant) Ordinis Diui Benedicti. V,Ex Archiuo Metropolitanæ Eccleſiæ Neapolitanæ. VI.Ex Diplomatæ Iulij Papæ II·Epiſcopatum illi conferentis.VII.Ex Geſtis Pauli erga Benedictinum Ordinem. VIII.Ex iudicio de Folengi dictis, & Arnoldi ſcriptis. Ipſum adi.

### *A multitudine Chriſtianorum, ac denſis Religioſorum turmis.*
### *Sect. XII.*

IAm verò,ſi libeat Vrbis huius inclytæ excedere mœnibus, & Eccleſiæ Neapolitanæ amplitudinem,qua Diœceſis latè patet,inſpicere, eius profecto præſtantia,gloriaque magis,ac magis eluceſcet. Quippe quę quinque,& quadraginta Oppidis præſidet,veluti ſupra colles, cliuoſque minores,mons ſublimis,rutilum attollens caput. Legimus Theodoretum Cyri in Syria bonum,& doctum Epiſcopum,vt,ditionis, cui præerat, amplitudinem,ac proinde ſuę fructum operæ, & rectionis grauiſſimum onus, Leoni Magno Romano Pontifici declararet, ſcripſiſſe illi, octingentas παροικίας ſe habere ſubiectas. Quam Græcam vocem, alij Oppida, aut Vicos: alij,vt in Conc.Ancyrani Can. 18. accipitur,Eccleſias interpretantur. Eiuſmodi videlicet Eccleſias,quales hodie, Parochiales appellamus.

Et (quod verum,& magnum decus eſt) certiorem ille fecit Summum Paſtorem,omnes illos populorum turmas, octingentis Oppidis,ſiue paræcijs vix compræhenſas,eſſe Catholicas. Hoc eſt,Romanæ Religioni addictas, nihilque zizanij,quod Marcio Hæreſiarcha inſperſerat,ijs terris remanſiſſe. At verò,ſi res iuſto iudicio ponderetur, hæc ipſa certè laus, Neapolitanæ quoque Diœceſi, tribui debet. Compertum quippe eſt,ſolam propemodum Ciuitatem Neapolim,vtpote,quæ ampliſſimo ſuo gremio,ſexcenta circiter Chriſtianorum millia continet, omnes illas Cyrenſis Diœceſis paræcias,ſi nunc extarent,explere poſſe,& ijs forſitan ſupereſſe.

Quis verò præterea, numerando percenſeat,Neapolitanæ Vrbis, ac Diœceſis Presbyteros,Clericoſque,& Religioſorum virorum,ſacrarumq; Virginum capita,pœnè innumera,diuerſis Ordinibus, Veſtibus,Inſtitutiſque diſtincta? Tradunt Neapolitana Diaria Paſſari ad ann. 1494. in Ferdinandi I. Regis exequijs celeberrimè actis, adfuiſſe è Regni Prouincijs accerſitos,quinquies mille Monachos: Presbyteros verò, Clericoſque quatuor mille: Abbates circiter mille. Magnus ſanè numerus,& vix credibilis. At verò id,& credibile,& certum eſt, ſi hoc tempore eiuſmodi funebrem celebritatem fieri contingeret, non fore opus defatigare tabellarios, & è longinquo aduocare Eccleſiaſticum cœtum. Vna Neapolis cum ſua Diœceſi,totidem extemplò producere poſſet viros religioſos, totidemq; Clericos,ac Presbyteros ſæculares. Quinimo (ſi me non fallit æſtimatio) haud fortaſsè pauciores,quàm illa Thebaidis Ciuitas Oxyrinchus,quam xx.m. ſacràs Virgines,& x.m. Monachos,à Rufino presbytero traditur habuiſſe, lib. 2. de Vit. Patr. cap. 5.

Vniuersè autem, feraciſſima quidem hæc regio eſt, omne genus frugum: ſed non minus ferax eſt hominum,ſiue nobiles cenſere velis,ſiue plebeios. Et tamen,quaſi paucos pariat, alatque populares, brachia hinc inde porrigit hæc noſtra Syren,quò prætereuntes,& præternauigantes adſe vndiqne aduocet,& porrò trahat. Nonne enim ſunt quędam expapillata brachia,amœniſſimi illi colles Pauſilypus,Mergelline, Antinianum, Conicli, Capimontium? Dicam cum Plinio, Italiam, & in primis Campaniam collaudante, lib. 3. cap. 5. *Quid tota ea vitalis, ac perennis ſalubritatis cæli temperies? Quid fertiles illi campi, aprici colles, innoxij ſaltus, opaca nemora, munifica ſyluarum genera? Quid tot montium afflatus, tanta frugum, & vitium, olearumque fertilitas?* Quid verò Pagi, Oppidaque circa Neapolim ſita? Quid fertiliſſimus ager? Quid Neapolitanæ Diœceſis latiſſimi campi, placidiſſima littora? Nonne *latantis* quodam *natura* riſu, delicijſque blandis,& vicinas,& remotas gentes inuitant, vt huc veniant, hic maneant, hic quietè, ac placidè conſeneſcant?

MISE-

# MISERANDA MONVMENTORVM Campaniæ iactura.

## CAPVT SECVNDVM.

*Sect.I. MM.SS.Codd.clades à Diocletiano, Barbaris, Iuliano Apoſtata, Geiſerico, & alijs.*
*Sect.II. Nonnullorum Campaniæ Martyrum agones, orbati nunc narratione hiſtorica:*
*Sect.III. De Sinueſſano Concilio, & Epiſcopis Campaniæ, qui illi interfuerunt.*
*Sect.IV. Capuani Concilij Acta, quanto Catholicæ Reipublicæ damno perierint.*
*Sect.V. Nolanæ Ciuitati, alijſque, idem malum accidiſſe.*

### *MM.SS.Codd.clades à Diocletiano, Barbaris, Iuliano Apoſtata, Geiſerico, & alijs.* *Sect. I.*

MIrabuntur fortaſſe nonnulli, qui factum ſit, vt in tanta Campaniæ, ac Parthenopes noſtræ amplitudine, & celebritate, tantam nihilominus obſcuritatem, & tam miſeram calamitatem, Eccleſiaſtica huius regionis Monumenta incurrerint, vt vix pauca aliquot, veluti ex fœdo, atque immani naufragio, tabularum fragmina ſuperfuerint. Verùm enim verò, ſi ad teterrima retro lapſa tempora, oculos conuertamus, mirandum ſanè potius erit, quomodo hæc ipſa vetera ſcripta, quæ nunc habemus pauca, cladem tantam ab impijs, barbariſue gentibus, Campaniæ noſtræ continenter illatam, euitare potuerint. Præſertim ſi recogitemus impium illud bellum, quod Diocletianus Imperator, ſacris Chriſtianorum libris indixiſſe legitur apud Euſeb.lib.8.cap.3.Is enim, cum ſecum ſtatuiſſet, penitus extirpare Chriſtianum nomen, anno ſuæ tyrannidis decimonono, nefario edicto promulgato, iuſſit, vt Chriſtianorum Sacri Codices diligentiſſimè conquiſiti, & aceruatim collecti, comburerentur. Vidiſſes itaque, eo truci tempore, quouis gẽtium, impios emiſſarios excurrere, in ædes piorum hominum irrumpere, capſas, pluteos, latibulaque omnia excutere: in adyta ipſa, & ſacraria diuinorum Templorum penetrare, vt immane Cæſaris Decretum exequerentur. Si quos verò Chriſtianos, impij Præſides

adorati eſſent,libros eiuſmodi apud ſe habere abſconditos, eos vt proferrent in lucem,atrociſſimis tormentis ſubijciebant. Et plurimis quidem, quibus diuinæ gratiç pondus animum aduerſus omnem vim contrariorum fluctuum ſaburrauerat;

*Mens immota ſtetit,ſcelere non ſubdere colla,*
*Et Chriſto ſeruare fidem:ſeruare depoſitum.*

Itaque cruciatus quoſlibet,diramque mortem ſubire,quàm ſancta canibus, & margaritas porcis tradere maluerunt. At multi contrà fuerunt, heu miſeri! qui victi doloribus,ſacros Codices exhibuerunt: atque inde, turpe *Traditorum* cognomentum adepti ſunt.Itaque animo tuo perpende,Lector, quàm atrox in turbulentiſſima illa tempeſtate Eccleſiaſticorum librorum iactura contigerit. Videlicet,cùm, tot ſæculis,Notariorum,ſiue Religioſorum hominum calamo exarata; atque,Eccleſiarum Secretarijs, Archiuiſque ſeruata Volumina,repente direpta,igni tradita,& conſumpta ſunt.

Cæterum poſt Diocletiani immaniſſimam perſecutionem, & ſi poſt Magnum Conſtantinum Auguſtum,Reſpublica Chriſtiana, pace tandem frui cæpit: paulò poſt tamen à Conſtantio eius filio in Arianam hæreſim lapſo,Chriſti Eccleſia,non ſolùm piorum hominum, ſed ſacrorum etiam librorum,magnam cladem paſſa eſt: direptis videlicet per Chriſtianum Orbem tot Ædibus Sacris, profanatiſque Templorum Chriſti Secretarijs, in queis Eccleſiaſtica Monumenta condebantur. Tunc quippe, & ſequentibus quoque temporibus,adimpleta eſt Magni Antonij Prophetia,& viſio illa horribilis,ferocium mulorum aduerſus Chriſti Altaria calcitrantium. Hoc eſt,Arianorum hæreticorum ſacra omnia profanare, atque euertere conniteatium:vti Athan. narrat in vit. Antonij. Contendit quidem Baronius cap.3.Tract.de Martyrol.Rom.nullam à Conſtantio, alijſque Arianis Principibus,qui Vrbem Romam obſederunt,aut inierunt,illatam fuiſſe ibi vim in Acta Martyrum. Negari tamen non poteſt,alibi illatam; per il am videlicet barbarã gentium colluuiem, quæ non Romam ſolummodo, aut diripuit,aut ſaltem vexauit,ſed totam etiam Italiam depopulata eſt. Etſi enim, non primario intenderunt Barbari libros Eccleſiaſticos abolere,ex accidenti tamen, illam, quam impiè ipſi patraſſe leguntur, Monaſteriorum,& Eccleſiarum direptionem,atque euerſionem, ſecuta eſt Bibliothecarum,Codicumque veterum ea clades,quam nos in præſentia,triſtes, dolenteſque memoramus. Sed redeo ad lineam.

Conſtantio igitur Imperatore mortuo (vt mala ex malis progigni ſolent) Iulianus ille impius, Imperium adeptus, cùm idolatriam iam penè funditus ſublatam, in priſtinum ſtatum erigere ſtatuiſſet, quid non nefaria illa ſua calliditate,& veteratorio vafrámento molitus eſt, vt Chriſtianos à litterarum ſtudijs,ad ignauam humanarum,diuinarumque rerum inſcitiam traduceret? Prohibuit itaque Chriſtianos bonas artes profiteri:atque adeo, dum profeſſoribus carerent,addiſcere. Ijſdem, præclaros quoſque libros ademit:aduerſus diuina Euangelia,& ipſe calumnias ſtruxit teterrimas;&, vt alij gregales eius,impio ſtudio idem facerent,procurauit.Denique, nullum non mouit lapidem,vt Chriſtianam omnem doctrinam, omnes ſacros Codices,hoc eſt,vniuerſam veræ ſapientiæ officinam deſtrueret, penituſq; deleret.

Poſt huius autem impij Deſertoris,&,qui illi ſucceſſit,Valentis Ariani,qui paulò poſt imperauit,miſeram,& promeritam mortem; ſecuta ſunt,

ſi Ita-

ſi Italiam ſpectemus,fortaſſis deteriora tempora. Primùm enim ab Alarico, mox à Genſerico , tertiò à Totila Gothorum Regibus Ariana perfidia imbutis,direpta Vrbe Roma , Italia penè tota Barbarorum, atque hæreticorum populationibus vexata,& quaſſata eſt . Et exinde Campania maximè varijs externis dominis,Græcis,Oſtrogothis, VVandalis,Lõgobardis,Sarracenis,Francis,Germanis,Hungaris, Nortmannis, Sueuis, magno ſuæ dignitatis,libertatiſque damno ſeruiuit:quouſque Gallis, Hiſpaniſque Principibus ea regio ceſſit. Illi verò,dum ſe inuicem , ex hoc pugnarum campo pellunt,atque extrudunt,quot,putamus,vetuſti Codices,imò quot integræ Bibliothecæ direptæ,vaſtatæ,atque incenſæ fuerunt? Nam,quibus euertere,& deuaſtare Vrbes totas libido fuit,ij quid de Eccleſijs,Monaſterijs,libriſque fecerint,tu ipſe prudens Lector exiſtima .

Certè de Genſerici perſecutione,non in homines ſolummodo catholicos,ſed in libros etiam graſſante diuinos , hæc habet S.Victor Vticenſis Epiſcopus lib. 1. *Accenditur propter hæc*,miracula,*aduerſus Dei Eccleſiam Genſericus. Mittit Proculum quendam in Prouinciam Zeugitanam , qui coarctaret ad tradendum miniſte[illegible] ,vel libros,cunctos Domini Sacerdotes,vt primo armis nudaret,& ita [illegible]mes,hoſtis callidus captiuaret.* Hæc S.Victor. Qui & ad finem libri ſcribit, non ſolùm in Africa , ſed in alijs etiam Regionibus, hoc eſt(vt eius verbis enum[illegible]rem) *In Hiſpania,Italia,*Dalmatia,*Calabria,Apulia , Sicilia,Sardinia,Brutijs,Lucania.*Epiro,*vel Hellada*,impium Genſericum ſimiliter ſæuijſſe in libros . Certè Sarracenorum crebras excurſiones per Campaniam,Latium, Lucaniam, Calabriam, atque Apuliam, magnam feciſſe cladem,non ego ſolus lamentor:ſed etiam Oct.Caiet. in Idæa Siculorum SS.pag.27.de ſuæ Siciliæ clade lamentatur .

Denique præter hæc mala,aliud,ſi rem ipſam ſpectemus,& nuncupare,& his iam dictis admunerare malum, æquum fortaſſe erit. Anno Chriſti 1440.vt Fulgoſius tradit lib.8. Argentorati in Germania,ars Typographica ingenioſè quidem,&,ſi operarum lucellum æſtimetur, vtiliter reperta eſt. Ea nihilominus,quantam MM. SS. Codicibus cladem intulerit , haud facilè dici,æſtimariue poteſt. Libris enim quotidie è prælo prodeuntibus, ſpreta,&,ab indoctis maximè,abiecta ſunt manu exarata volumina;ac proinde antiqua Monumenta miſerè diſtracta, lacerata ; & in viliſſimum quẽque vſum adhibita . Hanc itaque antiquæ literaturæ perniciem,quam ego vltimam, & maximam voco , ea ſolummodo Monumenta euaſerunt , quæ ſummi,& cordati Principes, doctis viris procurantibus, in ſuas Bibliothecas,bono publico ædificatas,conuectanda,& conſeruanda curarunt. In his profectò, digna laude extitit induſtria ſapientiſſimi Regis Alphonſi hoc nomine Primi. Qui ornatiſſimam,& omnigenam MM.SS.Codicibus refertiſſimam , Neapoli in Regia Arce condidit Bibliothecam .. Sed ea paulò poſt miſerè perijt. Nam à Gallorum exercitu Arcem illam inuadentium, diſſipata,dilacerata,in mare (proh fera rabies!) demerſa eſt.

Non-

## *Nonnullorum Martyrum Campanorum agones orbati nunc narratione hiſtorica.*

### *Sect. II.*

MArtyrologium Romanum,& Menologium Græcorum ad diem ſextum Iulij, quorundam Chriſti Martyrum, ſola aliquot exhibent vocabula orbata narratione hiſtorica. Hi ſunt Rixius,Antoninus,Seuerinus,Diodorus,Dion, Apollonius, Papianus, Cotyus, Oroxus,Dapincus,Satyrus,Victor,Lucia:quæ natione Campana Rixium conuertit adChriſtum. Aliorum verò nouem,qui iam dictorum,in cruciatuum perpeſſione,ibidem leguntur fuiſſe collegæ,& in corona conſortes,ne ipſa quidem vocabula exprimuntur. Multò minus ſcire poterimus,quo Campaniæ loco,quo Imperatore,quo tempore, quoue mortis genere ijdem interempti ſint,nullo videlicet (quòd ſciam) nunc extante Codice, Monumentoue vetere, hæc narrante.

Eadem ſexta Iulij,Romani Faſti,Dominicam Virginem in Campania Martyrium ſubijſſe nobiliter memorant. Acta,iniuria temporum exciderunt.Itaque geſtorum inſignis huius Martyris,nõ apud Campanos ſolùm, ſed etiam apud Calabros,qui ſacrum eius corpus poſſidere dicuntur, magna ignoratio eſt;ſed ob Scriptorum Monumentorumque penuriam excuſabilis.

Inclyta illa Romana Virgo Victoria, non, vt quidam putant, & ſcribunt Baron.nempe ad 9.Iulij, & Octauius Pancirolus in fine illius Romanæ Ædis XLV. quæ Mariæ Maioris dicitur, Trebulæ, quæ Sabinorum eſt Oppidum; ſed Tribulæ in Campania, durum exilium,& pro Chriſti fide necem, Decio Imperatore paſſa eſt, quamquam nunc corpus eius Oppidum Piceni, quod Sancta Victoria nuncupatur, meritò ſe poſſidere congaudet;translatum videlicet illuc è Campania. Sicut etiam è Campania, Dominicæ Virginis,& Martyris Tropæam: & Vitaliani Epiſcopi Capuani Catanzarium:& Felicis Nolani Martyris, ac Germani itidẽ Capuani Epiſcopi(Ferrario atteſtante)Placentiam,aliorumque etiam Sanctorum lipſana,alia in loca translata ſunt.Tribulæ itaque in Campania paſſa eſt Victoria,Beato Aldhelmo Epiſcopo teſte, qui carmine de virginitate ita canit; tom.7. Bibliothecæ veterum Patrum.

*Interea Romam linquens Victoria Virgo*
*Exul in exitium Tribulana ducitur Vrbi.*

Quocirca,non bene recentiores quidam,hanc noſtram Tribulam, Trebulam vocant. Nam Halicarnaſsæus,& Ptolemæus, Τριβύλαμ, per,ι,cõſtanter enũciant,Trebulam autem,Τρεβύλαμ,per,ε,legit in Sabinis Strabo. Quodſi apud Liuium lib.10.& 23.atque Plinium lib.3.cap.4.hæc etiam Campana Ciuitas,Trebula nunc in aliquot Codicibus legitur, id mendum forte, ex vocum propinquitate, vt fit, contractum fuiſſe,eruditus Lector intelliget. Porrò Tribulanam in Campania Vrbem, nobilis ille Deſcriptor Campaniæ Sanfelicius, inter Sueſſulam, & Capuam olim extitiſſe meritò exiſtimat,Liuio atteſtante lib.23.Combulteriam, Tribulam, & Auſticulam Vrbes fuiſſe circa Capuam. Mihi verò ſuſpicio eſt, eam corruiſſe funditus terremotu illo ingenti,quod contigit An.Chriſti 345. Amantio,& Albino

Conſu-

Conſulibus.Eo quippe duodecim,ſiue,vti Cedrenus ait (qui tamen multò citius figit)tredecim Campaniæ Vrbes euerſæ traduntur.Quid mirum igitur,ſi & Codices MM.SS.veteraque monumenta,non Tribulanę Vrbis ſolummodo,ſed etiam totius propemodum Campaniæ, ipſis exciſis Vrbibus perierunt?

Narrant præterea Diui Sebaſtiani Martyris acta, multa Chriſtianorum millia,B.Caij Papę monitu,Duce Chromatio nobiliſſimo viro,ex Vrbe ad Campaniæ litora ſeceſſiſſe. Martyrologium tamen Romanum, & Sueſſana Eccleſia, decem tantummodo ex tanto Martyrum numero nominatim celebrat. Alij verò omnes,quam Campaniæ Vrbem, aut Oppidum incoluerint,quid interea egerint,quem ſignatè locum ſuo ſanguine conſecrauerint, ecquis nunc hominum, nulla præeunte luce Hiſtoriæ, reſcire certò poterit?

In Romano item Martyrologio ad diem 21.Auguſti,de Paterno Martyre tantùm legitur, illum ab Ægypti Alexandria,in Italiã, & Campaniam adueniſſe,atque in agro Fundano, occiſorum pro Chriſto Martyrum, curaſſe ſepulturam. M.S.autem Codex Fundanæ Eccleſiæ, è quo excerpta aliquot, Illuſtriſſimo Epiſcopo Belmoſto mandante, nuper ad me miſſa ſunt, paulò ſanè latius hæc digerit, traditque, necatos per ea loca fuiſſe, Decio,& Valeriano Imperatoribus, Chriſtianos bis mille quingentos nonaginta ſeptem. Quo autem anno, quo Præſide, quoue mortis genere interempti fuerint,nulla adſunt monumenta, quæ tradant. At eiuſmodi tamen,& merito,& numero hi ſunt,de quibus certa, diſtinctaque memoria, & cognitio Fundis extare deberet. Vah,quàm multa tempus atrox falce metit!

Sinueſſæ item,quæ clara olim Campaniæ ciuitas extitit, Martyrium perpeſſi ſunt, aut Epiſcopatu dignè perfuncti Sancti viri non pauci. Qui nihilominus adeo nunc ſunt obliuione,tenebriſque obruti,vt,ne ipſa quidem ciuitas Sinueſſa, quo loco extiterit, certò, ſignatèque poſſit agnoſci. Adeo illa,Iuit *in antiquas ſyluas,ſtabula alta ferarum.* Itaque vix duo ſoli,Caſtus videlicet,& Secundinus, hodie memorantur Sinueſſæ Epiſcopi, Martyreſque.Porrò Caſti Martyris Acta quædam, Caietana ſeruat Eccleſia, Secundini autem geſta omnia,& tempus, quo floruit, genuſque necis, ob Scriptorum penuriam ignorantur.

## *De Sinueſſano Concilio, & Epiſcopis Campaniæ, qui illi interfuerunt.*

### *Sect.*III.

SEd quis pro merito deplorabit,trecentorum illorum Præſulum, qui Sinueſſanum Concilium celebraſſe leguntur,adeo memoriam omnẽ interijſſe,vt vix nunc ieiuna vocabula aliquot (nam de trecentis circiter,centum ſolummodo ibi nomina proferuntur) veluti arida quædam folia ex arboribus autumnali tempeſtate decuſſa ſuperſint? Quantum verò nunc Italiæ,& Campaniæ noſtræ potiſſimum decus accederet, quanta lux Campanis antiquitatibus ſacris effulgeret, ſi tam antiqui Concilij, in media ipſa Diocletiani perſecutione,ex Italia præcipuè, vti par eſt credere, congregati, plenam, perfectamque Hiſtoriam haberemus? Liceret nobis pro-

profectò noſſe Campanos Epiſcopos multos, quos modò neſcimus, eorumque geſta, dictaque ad imitandum proponere. Et ex ijs plurimos peracto Concilio, iuſſu Diocletiani Imperatoris occiſos, meritis laudibus extollere poſſemus, qui nunc in obſcuro latitant, & Deo tantùm, atque Cœlitibus noti ſunt. Quid? Tantùm abeſt, vt de Epiſcopis, qui Concilio illi interfuiſſe dicuntur, notitia vlla diſtinctior habeatur, vt, ne Concilium quidē ipſum Sinueſſæ celebratum vnquam fuiſſe, nunc certò conſtare poſſit. Adeo multa, & in ſpecie valida argumenta ſunt, quæ aduerſus eiuſmodi hiſtoriam (quam ego tamen veram exiſtimo) ij, qui apud Baronium anno 303. illam pernegare audent, intorquent. Reperi nihilominus veſtigia aliquot iam dicti Concilij, quibus ſanè (vt alia omittam) eius veritas perſuaderi poſſe videtur. Siquidem præter Flauij Dextri, in fragmento, quod extat, Chronici de hoc Concilio ab Hiſpanis etiam Epiſcopis, vti narrat, celebrato, quale quale ſit, teſtimonium. In antiquis Actis B. Felicis Epiſcopi Hiſpalenſis, quæ in Eccleſia Hiſpalenſi haberi Ferrarius lib. de Sanctis Italiæ, ad diem 18. Maij teſtatur, legere eſt, ipſum Felicem vnà cum Ioanne Epiſcopo Spoletino adfuiſſe Concilio Sinueſſano, quo Marcellinus Papa crimen ſuum proprio ore confeſſus eſt. Ex hoc autem tam vetuſto, & tam aperto teſtimonio, quo Concilium Sinueſſanum nequaquam fictitium, ſed verum eſſe oſtenditur, gradum mihi facere poſſe arbitror, ad indagandos Præſules Campaniæ aliquot, quos eidem Concilio interfuiſſe, non abſque ratione conijcimus.

Itaque, cum in eiuſdem Concilij Epiſcoporum catalogo, duo legantur Epiſcopi nomine Maximi, probabile exiſtimo, vnum ex ijs fuiſſe Maximum illum Nolæ Epiſcopum, cuius Martyrologium Romanum 18. Kal. Februarij, & Faſti Nolani 7. Idus Februarij meminerunt. Tempus ſanè congruit, nam iſte Diocletiano imperante Nolanam Eccleſiam ſanctiſſimè rexit, & veriſimile non eſt, à Concilio Sinueſſæ, hoc eſt, Nolæ vicina Vrbe congregato, Nolanum Epiſcopum abfuiſſe. Nihil in hac re pro certo aſſero: ſed cordatus Lector, ſat ſcio, mecum ſentiet. Præterea Sanctus Ariſtæus Epiſcopus, & Martyr, quo tempore Capuæ ſederit, neque ipſi Capuani, neque in ijs Bellarminus eruditiſſimus Præſul, qui Epiſcoporum Capuæ catalogo digerendo incubuit, ſcire hactenus potuerunt. Mihi nihilominus ſuſpicio eſt haud prorſus vana, hunc eſſe Ariſtonem (nam magna eſt MM. SS. Codicum in ijs nominibus variatio) qui iam dicti Concilij Sinueſſani primæ ſeſſioni ſubſcripſit. Illud certum eſt Ariſtæum, ſiue Ariſtonem, ante Protum ſediſſe. Protus enim Capuæ Epiſcopus ſubſcriptus reperitur Conc. 1. Arelatenſi An. Chriſti, vti Baronius ſignat 316. celebrato. Conciliū autem Sinueſſanum coactum eſt Anno 303. quo non Protus, ſed forte Ariſtæus, ſiue Ariſto ſedebat; Sed hæc coniectanea ſunt: quæ tamen, & ſi planè firmare non poſſum, reijcere profectò, aut negligere nequaquam debeo.

Ca-

### *Capuani Concilij Acta, quanto Catholicæ Reipublicæ damno perierint.*
### *Sect. IV.*

MErito Cardinalis Baronius ſacræ Antiquitatis ſtudioſiſſimus, ſuis in Martyrologium Romanum Notationibus ad 3. Septembris pronunciauit. Monumenta vetera nobiliſſimæ Eccleſiæ Capuanæ, ob tot Bellorum turbines fuiſſe deperdita; indeque factum, vt Acta SS. Martyrum Ariſtæi, & Antonini, quæ Beda, & Vſuardus, ſuo tempore extitiſſe teſtantur, nunc neque in ipſamet Eccleſia Capuana reperiantur. Inde itaque euenit, vt omiſſo penitus, & obliuioni propemodum tradito Ariſtęo, tantùm de Antonino breuiſſimè agatur in Breuiario Capuano. Hoc ipſum accidiſſe dolemus eiuſdem Campanæ Vrbis Martyribus Quinctio, Archōtio, Donato. Quorum, & ſi Beda, & Vſuardus, & Martyrologia quædam Capuana meminerunt, in Breuiarium tamen Eccleſiæ Capuanæ, magnum de ijs ſilentium eſt: ob eam videlicet cauſam (vt etiam Ferrarius arbitratur) quod nullum extet Capuæ, de ijs Martyribus vetus monumentum, ſiue veſtigium. Legitur etiam in Notationibus Molani ad Vſuardi Martyrologiũ, S. Quintinus in Campania Epiſcopus: ſed quiſnam iſte fuerit, & cuius Cāpaniæ Ciuitatis Epiſcopus, nemo prodit.

Synodus item illa celeberrima Capuana, ſiue, vt olim vocata eſt, Capuenſis, ad ſchiſma, quod inter Euagrium, & Flauianum Antiochenos exarſerat, auertendum, agentibus Syricio Papa, & Valentiniano, ac Theodoſio Imperatoribus, coacta eſt circa Annum Domini 389. In ea, grauiſſimæ cauſæ, videlicet, iam dicti Antiocheni ſchiſmatis, atque etiam Bonoſi Hęreſiarchæ tum primùm inſurgentis, latè diſcuſſæ, & ſalutaria Decreta nonnulla ſancita ſunt. Ea tamen Sancta Synodus, eiuſque Acta omnia, vno excepto argumento, quod Baronius breuiſſimè refert tom. 4. ann. 389. adeo perierunt, vt, ne quo quidem Anno Patres Capuam conuenerint, nunc definitè ſcire poſſumus. Vah infandam Sacræ Antiquitatis iacturam, quæ poſteris tot Sanctorum Virorum, & *tantorum*, vt Beatus Ambroſius vocat, *Sacerdotum*, qui Capuam adierunt, Virtutem, Sapiētiam, Labores, Geſta, Dictaque, immo Nomina ipſa, & memoriam prorſus omnem ademit; atque adeo magna proinde gloria Campaniam noſtram à Diuinis illis Præſulibus, ſua ipſorum præſentia cohoneſtatam orbauit! Enimuerò plurimos Occidentis Epiſcopos ſanctitate, & doctrina percelebres, ac Romanis Sanctorum Faſtis adſcriptos, ea ætate floruiſſe, inque Concilijs Arelatenſi, Aquileienſi, & Mediolanenſi, non multò ante quàm Capuanum celebraretur adfuiſſe, clarè patet ex ipſorum ſubſcriptionibus, atque ex Epiſtola illa Synodica ad Siricium Papam, quæ extat inter Ambroſianas Epiſtolas n. 89. In ijs (vt aliquot Italos tantummodo Diuis adnumeratos, modò recenſeam) fuerunt SS. Euſebius Bononienſis, Philaſter Brixiēſis, Heliodorus Altinenſis, Chromatius Aquileienſis, Diogenes Genuenſis, Baſſianus Laudenſis, Sabinus Placentinus, Geminianus, fortaſſe ille Sanctus Epiſcopus Mutinenſis. Alijque complures: inter quos, vt illuſtriſſimum ſydus effulgebat Sanctiſſimus Mediolanenſis Antiſtes Ambroſius. Hos propemodum omnes, alioſque etiam, præcipuè iam dictum ſanctum Ambroſium veniſſe ad noſtram Campa-

paniam, iniјſſe Capuam,& Capuenſem Synodum cum alijs celebraſſe, ipſemet ſignificat Ambroſius epiſt.78. In qua meritò çonqueſtus,quòd Flauianus Epiſcopus Antiochenus,iudicio Capuanȩ Synodi ſtare noluiſſet,atque ad Imperialium Reſcriptorum ſuffragia confugiſſet,vt videlicet,Imperatores iuberent,aliam Synodum in Oriente celebrari, ad quam ipſe conuenire,& cauſam ſuam in eo coram agere poſſet,B.Ambroſius lamentabūdus hæc ſubijcit. *Fruſtra ergo tantorum Sacerdotum fuſus labor . Iterum ad ſaculi huius iudicia reuertendum. Iterum vexabuntur Sacerdotes ſenes,transfretabunt maria. Iterum inualidi corpore, Patriam peregrino mutabunt ſolo . Iterum Sacroſancta Altaria deſerentur,vt in longinqua proficiſcamur. Iterum pauperum turba Epiſcoporū, quibus ante oneroſa paupertas non erat,externa opis egentes, compellentur inopiam gerere,aut certè victum inopium itineris vſurpare. Interea ſolus exlex Flauianus ( vt illi videtur) non venit,quando omnes conuenimus .* Enimuerò , ſi paulò diligentius hæc verba conſiderabis,Lector,profectò animaduertes , clarè ſignificaſſe Ambroſium,ſe,ſuoſque Collegas ad Concilium Capuenſe veniſſe : cum accuſans Flauianum,quod ipſe ſolus, ad quem tamen maximè veniſſe pertinebat,ad eam Synodum non venerit, ait. *Solus ex lex Flauianus ( vt illi videtur) non venit,quando omnes conuenimus.*Et paulò ſuperius.*Iterum Sacroſancta Altaria deſerentur,vt in longinqua proficiſcamur. Conuenimus,* inquit. Et,*iterum proficiſcamur,* in prima verbi perſona,vt ſe cum alijs Epiſcopis iam Capuam conueniſſe,& iterum proficiſcendum ſibi eſſe in longinqua ſignificet, ſi altera iterum Synodus,vt Flauianus petierat,cogeretur . Et bene , inquit, *in longinqua* ſe,alioſque Præſules fuiſſe profectos,cum ad Campaniam vſque, & ad Campaniæ celebrem Vrbem Capuam venerunt.Nam ex Africa,Hiſpania,Illyrico,Gallia,Inſubria,alijſque Orientis regionibus profectos Epiſcopos,oportuit vtique,*& maria transfretare, & in longinqua abire .* Iam verò quis nunc nobis,tanti Concilij Actis miſerè orbatis , enarrabit, quamdiu Capuæ ij viri Sancti manſerint; quibus Chriſtianæ prudentiæ,& ſacrȩ Doctrinæ neruis ſententiam,& ſuffragium quiſque ſuum inſtruxerit; quos iuibi Campanos Epiſcopos congregatos inuenerint: quæ integritatis, conſtātiæ,paupertatis,humilitatis,ſtudij propagandæ Chriſti fidei,aliaque heroicarum virtutum exempla reliquerint .

*Quæ vel nota valent addere maximos*
*Virtutis cumulos,& Sapientia.*
*Vel neglecta ,beata*
*Vita perdere præmium.*

Cæterum mirari non debemus , adeo priſcum Concilium perijſſe , quando & duæ aliæ multò recentiores Capuanæ Synodi , altera videlicet anno Chriſti 1083. Victore 3. altera autem Anno 1118. Gelaſio 2. Summis Pontificibus celebratæ,ſiue hominum negligentia, ſiue temporum iniuria pariter perierunt.

*Nolanæ Ciuitati, alijſque, idem malum accidiſſe.*
*Sect. V.*

SEd iam è Capuana Ciuitate, ad vicinam Nolam, modico flexu oculos diuertere libet. Ibi ſanè haud multo minorem veterum Scriptorum amiſſionem, paucis nunc reliquis, veluti diſſoluti, & laceri magni voluminis chartis, contuebimur. Ad Sancti Felicis ſepulchrum ſoliti paſſim accurrere viri ex omni Chriſtiano Orbe quamplurimi, fama miraculorum eius, virtuteque permoti. In ijs, & Beatiſſimum Damaſum Romanum Pontificem, cò aliquando iuiſſe, apertè colligitur ex eius carmine Euchariſtico, apud Albertum Hungerum Theologum Ingolſtadienſem, in Theſauro Chriſtianarum precationum cap. 11. Qui ſcholijs ad oram libri ſcriptis, probè obſeruat, iam dictum Beatum Pontificem, ad Sancti Felicis tumulum aliqua do profectum, & ipſius ope, mortis periculo ereptum, vota ſoluiſſe his verſiculis,

*Corpore, mente, animo pariter, re, & nomine Felix*
*Sanctorum in numero Chriſti ſacrate triumphis,*
*Qui ad te ſollicitè venientibus omnia praſtas:*
*Ne quemquam pateris, triſtem repedare viantem.*
*Te duce ſeruatus, mortis quod vincula rupi,*
*Verſibus his, Damaſus, ſupplex tibi vota rependo.*

Idipſum verò, etiam Breuiarium Salernitanum vetus, à Romualdo Epiſcopo anno Chriſti 11 6. editum, diſertè tradit, lectione de S. Maximo, die 6. Februarij. Num autem antea, an verò, poſtquam Romanus Pontifex factus eſt Damaſus, Nolam adierit, non eſt facilè arbitrari. Ego tamen veriſimilius puto, id antea contigiſſe. Quia nullibi hactenus legi Sanctum hunc Pontificem, per decem, & octo annos, quibus Eccleſiæ prefuit, longius ab Vrbe fuiſſe digreſſum. Niſi velimus (quod ratio ſuggerit) conijcere, ipſum quoque Sanctum Pontificem, ad Concilium Capuenſe veniſſe. Quod, ſi conceditur, potuit vtique tunc Nolam Capuæ vicinam adire. Sed Breuiarium Salernitanum tradit, veniſſe eum Nolam, vt de Vrſicini ſchiſmate profligato, vota redderet. Quod quidem, multis annis ante Capuenſe Cōcilium, ſed poſt aditum à Damaſo Pontificatum contigit.

Vetus Capuanæ Eccleſiæ Breuiarium, die 14. Ianuarij, tres ſimul habet Nolanos Felices. Sed ſic eorum geſta, atque obitum narrat, vt & quartum, ſi illi aures prebeamus, opus ſit adijcere. Tradit enim, Felicem Preſbyterum, Præſide Dracco (ſic ſcriptum) ob Chriſti confeſſionem, capite plexum, corpuſque eius inhumatum coruis, & canibus fuiſſe derelictum. Fratrem verò illi cognominem, poſt Chriſti editam confeſſionem, ad Circeium deportatum. Ibi poſt duodecim exilij annos, die Dominico, data populo pace, peractiſque myſterijs expiraſſe. Tertium autem Felicem, patre Hermia in Oriente natum, Nolam profectum, eiuſdemque Vrbis creatum Epiſcopum: poſt multos in Præſulatu pro Chriſto labores, quieuiſſe in Domino. At vero Felix Presbyter à B. Paulino tantopere cultus, & toto Orbe celebratus, neque capite plexus, neque ſepultura priuatus, ſed à Chriſtianis honorificentiſſimè tumulatus fuiſſe in Pincis, à Beda, alijſque vetuſtis ſcriptoribus traditur. Eſſet igitur reperiendus, atque eruendus è

E 2 late-

latebris Campanarum, ſiue Nolanarum antiquitatum, Felix ille Martyr truncatus capite,& corpore laceratus,quem habet Breuiarium Capuanū. Aut (quod ego veriùs exiſtimo) non adeò multiplicandus numerus Felicium Nolanorum eſt,vt quartum,opus ſit reperire.Iſtam, aliaſque hiſtoricas dubitationes,quæ de Nolanis rebus ſacris ſuboriri poſſunt, quis liquidò ſoluet,antiquorum eius Eccleſiæ Codicum ſubſidio deſtitutus? Peruenit quidem ad manus Antonij Agellij noſtri, Codex quidam ex Nolano Archiuo depromptus,ſed nihil inde exſcribere potuit,noua luce dignum, niſi B.Paulini Epiſtolam vnam ad Amandum, quam Baronio tradidit in ſuis Annalibus inſerendam. Cætera,aut iam typis expreſſa fuerant, aut (cum Apuleio dicam) *Literis ignorabilibus prænotata,* nulli vſui eſse potuerunt.

Puteolis,nullus cultus eſt,nulla memoria Sancti Zoſimi Epiſcopi. Illum tamen reperi in vetuſto M. S. Martyrologio noſtræ Bibliothecæ Sanctorum Apoſtolorum his verbis adnotatum,XIII *Kal.Nouembris.Puteolis Ciuitate, Natalis Zoſimi Epiſcopi, qui translatus eſt in Monaſterio in Monte Petroſo.* Non aliunde igitur Puteolis tantum ſilentium de ſuo hoc Epiſcopo eſt,niſi ex iniuria temporum,quæ vetuſta eius Vrbis obruit monumenta.

Romanorum nobiliſſimi Pinianus, & Melania coniuges, vna cum ſeniore Albina,in Campaniam,teſte Palladio,ſeceſſerunt. Nempe,vt ſoluti curis omnibus,diuino Numini aliquandiù religiosè ſeruirent. De ijs igitur ſic Palladius. *Habitant in agro,aliquando quidem Siciliæ,aliquando vero Campania cum Eunuchis quindecim & Virginibus,& Ancillis. Habet autem* Melania, *ſecum quoque Matrem Albinam,quæ ſimiliter exercetur.* Melania hæc iunior,ſenioris Melaniæ neptis, & vir eius nobiliſſimus Pinianus, adeò ſanctam vitam in Campania,in Sicilia,in Africa,& denique Ieroſolymis geſſerunt,vt Romanis Faſtis Diuorum adſcribi meruerint 31.Decembris. Et Melaniam quidem ad Chriſtianam perfectionem à B.Paulino iuſtitutam eſſe, Metaphraſtes tradit in vita Melaniæ. Atq; adeo diu in Campania commoratos hos Sanctos Coniuges fuiſſe,dicere oportet. Ad eundem item Beatum Pinianum, dum aſceta in Campania noſtra ageret, viſendum, atque imitandum aduenisse Sanctum Pammachium Proconſularem Virum, ac Diuis Hieronymo,Paulino, & Auguſtino notiſſimum, teſtis eſt eodem lib.Palladius ita ſcribens, cap.122. *Ad eum* Pinianum aſcetam *acceßit vir Proconſularis nomine Pammachius, qui, cum mundo renunciaſſet, vitam egit optimam, & ſuas opes,partim quidem viuus diſperſit,partim autem moriens reliquit pauperibus.* Et tamen,capita tam præclara,tam ſancta,nulla nunc extat Campana pagella, quæ memoret. Sicut,neque apud quemquam noſtratium Auctorum, ſcriptum aliquod reperitur,Campaniam eo tempore,hoc eſt,ad finem circiter quarti Chriſtianorum ſæculi,viris ſanctiſſimis fuiſſe repletam. Quod tamē adeo verum,certumque eſt,vt eo nomine hanc regionem Ægypto, Syriæ, Meſopotamiæ, alijſque nobilibus Eremitarum, & Monachorum receptaculis,Palladius ad Laudum ſcribens adnumerauerit,his verbis: *Neceſſarium exiſtimaui,ſpiritualis vtilitatis gratia,tibi cupienti,in ſcriptis narrare,quæ à* SS.PP. *rectè,& ex virtute geſta ſunt,tam maſculis,quam fœminis, quos & ipſe vidi,& de quibus audiui ab animis fideliſsimis, cum quibus verſatus ſum in Aegypti ſolitudine, & in Lybia,& in Thebaide,& Syrene: ſub qua ſunt etiam qui dicuntur Tabenneſiotæ. Deinde in Meſopotamia,Palæſtina,& Syria,& in partibus Occidentis, & Roma,& in Campania,& in ijs,quæ ſunt circa eas,partibus.* Hæc ille: poſtremis his verbis,

non

non ſolùm Campanos,ſed etiam finitimos illis populos, hoc eſt, Sabinos, Latinos,Volſcos,Samnites,Picentinos, & Lucanos proculdubio deſignâs, & laudans. Multis quippe viris,& fœminis ſanctis,refertas fuiſſe has etiam regiones,veriſimile eſt:eo potiſſimum tempore, quo poſt vitam B.Antonij ab Athanaſio in Italia ex Ægypto illatam, innumerabiles viri, atque mulieres,religioſum vitæ genus,Ægyptios imitati Monachos, arripuerunt.

Et,quod ad Lucanos profectò attinet(vt hoc obiter,& præter inſtitutum,quod nunc mihi de ſola Campania eſt,attingam) valde dolendum eſſe videtur,ob penuriam Scriptorum intercidiſſe memoriam Sancti Lucani Epiſcopi,Exuperij,& fratris eius Vrſacij. His quippe elogijs eos exornat Vranius in vita Sancti Paulini cap.2. qui & duos alios Sanctos Epiſcopos memorat,videlicet *Sāctum Symmachum,& benedictum Hyacinthum, ſive Hyacinthinum*,qui ad moribundum B.Paulinum accurrerunt. Hos è vicinis Ciuitatibus, Nolam aduenisse, ac proinde,vel Lucanos, vel Picentinos, vel etiam Campanos Epiſcopos fuiſſe ego exiſtimo. Eximios verò hos fuiſſe, non dignitate ſolùm,ſed etiam vitæ ſanctitatē, colligo ex eo, quod *ſanctos, & benedictos*,Vranius eos appellat.Quamquam enim *ſanctis*,ea ætate,Epiſcopi promiſcuè propemodum audiebant, *benedictos* tamen, nonniſi excellentes probitate viros,& pro Chriſto,cruciatu aliquo affectos, appellari ſolitos, obſeruat apud Tertullianum doctiſſimus Pamelius lib. ad Martyres cap.2.num.3.& cap.3.num.41. & de præſcriptionibus aduerſus Hæreticos cap.30.num.167.Nonit id certè Baronius, ideoq; Notat.ad 30.Maij,Exuperium iam dictum, ſiue,vt ille vocat,Exuperātium,*ſanctitate inſignem* fuiſſe ſcripſit. Idemque proculdubio de Symmacho, & Hyacintho iudicium tuliſſet,ſi de his quoque,ſcribendi occaſio ipſi fuiſſet oblata.

Sanctiſſimi Ioannis Chryſoſtomi,factione Theophili, & cum eo conſpirantium Epiſcoporum,ab Arcadio Imperatore in exilium extruſi,ſectatores, amicique omnes variè vexati, & in longinquas terras immaniter ablegati ſunt,vt Palladius in Dialogo de vita Chryſoſtomi fusè narrat. In ijs, diſcipulus quidam Chryſoſtomi nomine Philippus, *Monachus,& Presbyter ſanctiſsimus* Palladij verba ſunt, *graui ægritudine preſſus in Campaniam ſeceſſit*. Extatque inter epiſtolas Chryſoſtomi pronuper editas, epiſtola ad hunc Philippum ab eo iam in exilium truſo ſcripta: in qua eius conſtantiam laudat,eumque ſuæ valetudini incumbere admonet.epiſt.213. Quid de eo poſtmodum contigerit,Codex nullus extat,qui referat:cum tamen certum ſit, matronas, & viros plurimos eo nomine vexatos, mortuoſque, fuiſſe poſtmodum numero Diuorum adſcriptos. Exempli gratia, Tygrius, & Eutropius 12.Ianuar.Atque Olimpias Virgo 17. Decembris. Et meritò quidem. Nam ſanctiſſimi Ioannis,ſede ſua iniuſtè deiecti cauſam conſtantiſſimè defenderunt;& cum intruſo, & ſchiſmatico Arſacio communicare noluerunt.Enimuerò Sancti Dionyſij Alexandrini ad Nouatum ſchiſmaticum ſcribentis,notabilis ſententia eſt. *Martyrium quiſquis patitur,ne dirimatur Eccleſia conſenſio,non minus certè,ſed multo plus, meo quidem iudicio habet commendationis,quam illud,quod ſuſcipitur, ne idolis omnino immoletur*. Euſebius ſic loquitur lib.6. cap.37.

De Sanctis Quoduultdeo,& Gaudioſo Africanis Epiſcopis,ſocijſque eorum Caſtrenſe,Tammaro,Roſio, Heraclio, Secundino, Adiutore, Marco,Auguſto,Elpidio,Canione,& Vindonio, & qui apud Bedam his adiungitur, Habetdeo, qui à Genſerico Rege VVandalorum,ob fidem catholicam

cam ex Africa pulſi, in Campaniam peruenerũt, prȩter nuda nomina, pauca admodum, eaque externorum potius, quam noſtratium relatu hiſtoricorum habemus. Geſta autem præclara, quæ varijs Campanorum, & Picẽtinorum Oppidis diſperſos, patraſſe credendum eſt, neque Baronius habuit, neque ego hactenus reperi.

Ob eandem Campanorum Scriptorum inopiam, puto contigiſſe, vt Sanctus Siluinus in Campania quondam Epiſcopus, de quo Martyrologium Roman. ad diem decimum Febr. cuiuſnam Ciuitatis Antiſtes fuerit, in præſentia neſcimus. Immo Cardinalis Baronius, hunc Diuum adimere Campanis nititur, & addicere Veliternis Volſcorum. Cùm illi tamen, nullam de eo memoriam faciant: ac ne veſtigium quidem aliquod oſtendant, quo, vel ſuſpicari quis poſſit, iam dictum Siluinum fuiſſe Epiſcopum Veliternorũ. Bene ſit igitur erudito, & diligenti viro Philippo Ferrario, qui antiquum hunc, & Sanctum Præſulem, Campaniæ noſtræ reſtituit lib. de Sanctis Italiæ, quamquam ipſe non ſit Campanus.

Sanctum item Cœleſtinum Romanum Põtificem, quo auctore, Epheſina Synodus coacta eſt, & Neſtoriana, ac Pelagiana Hæreſes profligatæ, Anaſtaſio Bibliothecario, & Abbone Floriacenſi teſtantibus, Campanum agnoſco, tametſi Baronius Luitprandum ſecutus, Romanum fuiſſe ſcripſerit. Nos interea neminem habemus noſtratium Hiſtoricorum, cuius auctoritate hæc dubitatio, & controuerſia dirimatur.

Sed quiſnam eſt ille Amphelicus, quem Ado, ſiue quis alius antiquus Benedictini Ordinis Monachus, Adonis ſectator, in eius Martyrologio habet, x. Kal. Maij, & in Campania collocat?

Quis item nos docere poterit poſt tantã Cãpanorũ Monumentorũ cladẽ, cuiuſnã Cãpanæ ciuitatis Epiſcopus fuerit, & quo tẽpore vixerit Sãctus ille Docibilis, cuius nudũ nomen legi in fragmento quodã vetuſtiſſimi Codicis Neapolitani, Monaſterij S. Marcellini? Et de Amphelico quidẽ, nihil hactenus nobis, neque coniectura ipſa, aut ſuſpicio ſuggerit, quod in mediũ proferre audeam. Vocabulum autem Docibilis, crebrum olim apud Caietanos maximè fuiſſe ſcimus. Anne igitur iſte, Caietanus Patria fuit, & Caietæ Epiſcopus? Arbitror: Priſci enim, ſæpe è ciuibus, ſuos Antiſtites eligebant. Verùm, cum ego hæc iam ſcripſiſſem, accepi literas ad me Romam miſſas, à Cõſtantino Abbate Benedictini Ordinis, viro è ſtirpe illuſtri Caietana, quibus ſignificauit, eſſe apud ſe ſcriptum, quo conſtat, hunc Sãctum Docibilem, fuiſſe primùm Formiæ Abbatem Sancti Eraſmi, & poſtea Epiſcopum Caietanum.

Legitur in Martyrologio Romano die 23. Martij, Benedictus Monachus in Campania, qui à Gothis ardenti clibano incluſus, ſequenti die repertus eſt illæſus. Ferrarius tamen id non in Campania, ſed in Latio contigiſſe exiſtimat. Quo argumento? Quia, inquit, clibanus ille 40. tantùm milliaribus diſtans ab Vrbe Roma deſcribitur à B. Gregorio 3. Dial. cap. 18. Et verum id quidem eſt; haud tamen is Diuus, Campaniæ noſtræ auferetur. Etenim, quænam iſthæc collectio eſt, clibanus in Latio fuit; ergò & Martyr ipſe, Latinus fuit, & in Latio obijt? Penuria nihilominus veterum Campaniæ Monumentorum facit, vt Patria eius, tempuſque beatæ mortis, nos penitus lateanr. Id ſolùm ex Gregorio ſcimus, fuiſſe Campanum.

Similiter, nequaquam licet veterũ Scriptorũ ſubſidio priuatis, Martyrum illorum, qui à Longobardis, vt B. Gregor. lib. 3. Dial. cap. 27. & 28.

refert

refert, occiſi ſunt, non ſolùm quinam ij fuerint, & qua Vrbe, locoue pro Chriſto necati, ſed ne numerum quidem expedire. Quamquam enim, octoginta fuiſſe, & in Campania paſſi legantur in Romanis Faſtis 6. Non. Martij, neutrum tamen, vt acutè Ferrarius aduertit, è Gregorio haberi poteſt. Nam Sanctus Gregorius, cum iam dicti libri cap. 27. quadraginta ruſticos à Longobardis, quòd carnes immolatas comedere nollent, interemptos præmiſiſſet, idem poſtea cap. ſequenti, ex alijs quadraginta captiuis, maximam partem interemptam fuiſſe, quòd caput capræ adorare contempſiſſent, aperte ſcribit. Cùm itaque non omnes hi quadraginta, ſed maxima eorum pars, occiſi fuerint, vtique hi cum illis quadraginta, non octoginta fuerunt, ſed pauciores. Itaque, ex alijs fortaſſe antiquis Monumentis, quæ modo non extant, Martyrologium Romanum hæc accepiſſe videtur.

Abundium Epiſcopum, & Martyrem, Cumis Campanorum adſcribũt nonnulli Scriptores, veteris cuiuſdam Martyrologij Topographiæ auctoritate ſubnixi. Alij refragantur, & Como Inſubrum adiudicant. Verum quis litem hanc dirimet, vetere, qui de his fusè agat, codice nullo extante? In re tamen ambigua, & obſcura, dicam equidem quòd ſentio. Abundium Epiſcopum, non verò Martyrem, Como tribuere profectò neceſſe eſt. Quoniam ex Concilio Calcedonenſi id liquidò conſtat. Alterum nihilominus Abundium, qui non modo Epiſcopus, ſed Martyr quoque fuerit, Cumis Campanis reddere, quid prohibet?

Ad noſtram quoque Campaniam ſpectare videtur Diuus Antoninus Abbas. Quamquam enim incolaru, obituq; ie Surrentinus, ſi tamen verum eſt eũ, Caſinatẽ fuiſſe Monachũ, Campanus rectè dicitur: eo quòd, Caſinum à Geographis, Campaniæ attribuitur.

Cuiuſdam B. Oliuæ, ſiue Oliuatæ corpus ſe habere Pythecuſani exiſtimant. Quænam autem illa fuerit, quoue tempore vixerit, nullo nunc ſuperſtite de vita, geſtiſque eius commentario antiquo, ne ipſi quidem Inſulani ſcire hactenus potuerunt.

Ab eadem Inſula fuit Maxima illa Vidua, quam libellus de Beati Ianuarij Martyris miraculis, ſanctiſſimam vocat. Eius tamen nulla prorſus, eo loci veneratio, aut memoria eſt: nihilque habetur, niſi quod, eximium ſanè miraculum, Sanctus Ianuarius à Vidua hac exoratus edidit: vt videlicet, vnici filij corpus exanime, linteo, quo Imago Beatiſſimi Martyris depicta fuerat, obuoluto, illico ſurrexerit rediuiuum.

Denique nouimus ex antiquis Scripturis Eccleſiæ Spoletanæ apud Ferrarium lib. de Sanctis Italiæ in Ioanne Abbate Pennarenſi, trecentos eximiæ probitatis Patres, Iuſtiniano Imperatore è Syria in Italiam, atque adeò etiam in Campaniam aduenisse, & has regiones tum numero, tum virtute compleſſe. Tantarum rerum tamen, vix leuicula hæc memoriæ aura peruenit ad poſteros. Qui id factum? Non, opinor, quòd literis ea mandatæ non fuerint, quandoquidem Iuſtiniano Principe Chriſtianæ legis zelum præſeferente, Religionis, & pietatis ſtudia toto propemodum Chriſtiano Orbe, atque in Italia, & in Campania maximè, quæ illi ſubdita erat, magis quàm Anaſtaſij, & Zenonis impiorum Cæſarum turbidis temporibus emicuerunt. Scripta igitur ea eſſe arbitror, ſed Barbarorum, qui in Italiam poſtea irruperunt, colluuie obruta, non extare.

Multa

Multa prӕterea commemorare dolenter poſſem, de nonnullis alijs Campaniӕ Ciuitatibus, Oppidiſque: quorum antiqua Commentaria miſerè deperdita, magnam profectò lucem noſtris ademit Hiſtoricis; Ac prӕcipuè cum de Neapoli noſtra agendum eſſet. Sed, ne paritate exemplorum, faſtidio ſim Lectoribus, ea ſciens, ac prudens omitto, & huic Capiti finem impono.

# S. PETRI NEAPOLIM ADVENTVS.

## CAPVT TERTIVM.

*Sectio I.Petrum eodem die, & Romam iniſſe, & Cathedram ibi fixiſſe demonſtratur.*
*Sect.II.Italicam Apoſtolorum expeditionem, quænam Vaticinia prædixerint.*
*Sect.III Quibus cum comitibus,Petrus ex Oriente profectus ſit:*
*Sect.IV.Petri iter ex Oriente deſcribitur.*
*Sect.V.Maritimo ne,an pedeſtri itinere, è Calabria Neapolim Petrus aduenerit.*
*Sect.VI Petri Neapolim acceſſus, argumentis firmatur.*
*Sect VII. Annus Chriſtianæ ſalutis ſtatuitur, Petri Neapolim aduentus.*
*Sect. VIII.Annus item aſtruitur conditæ Parthenopes, ingrediẽte illam Petro.*
*Sect.IX.Quo nam anni tempore Petrus aduenerit.*
*Sect.X. Quot, & quinam fuerint B.Petri comites.*
*Sect,XI.Petri Neapolim ingredientis Aetas, Vultus, Cultuſq; corporis exterior.*
§.1.*Aetas.*
§.2.*Forma,& Vultus.*
§.3. *Capillatura.*
§.4.*Veſtimenta in genere.*
§.5.*Tunica.*
§.6.*Pallium.*
§ 7.*Color.*
§.8.*Cingulus.*
§.9.*Calcei.*
§.10.*Pileus.*
§.11.*Baculus.*
§.12.*Subucula,& ſubligacula.*

§.13. *An plurimas veſtium ſarcinas & commeatum geſtarint Apoſtoli.*

Sect. XII. *Quænam præterea Neapoli Beatus Petrus egerit.*

Sect. XIII. *Vtrum alias Neapolim Petrus reuiſerit.*

### *Petrum eodem die, & Romam iniïſſe, & Cathedram ibi fixiſſe demonſtratur.*

### Sect. I.

HOc primùm ſtatuendum eſt, quod Petri geſta reliqua reſpicit. Eodem prorſus die, quo ipſe Romam adijt, & Cathedram quoque in ea Orbis Domina Ciuitate fixiſſe. Is porrò veterum Patrum ſenſus fuit? nempè eodem die decimooctauo Ianuarij, qui ex cyclo Dionyſiij incidit in Sabbathum, & Vrbem ingreſſum Petrum, & Cathedram ibi fixiſſe. Vt proinde, mihi ſemper diſplicuerit, Recentiorum aliquot, quãquam alioqui Virorum apprimè eruditorum opinatio, ſcribentium, Petrũ Apoſtolum, anno Chriſti 44. Romam ingreſſum, ſed 45. ineunte, & Claudij ſecũdo extremo, Romanã Cathedrã ſtaruiſſe. Quòd profectò placitum, ſi ſemel concedatur, ruet proculdubio, ea, quam ex Hiſtoricorum noſtrorum conſenſu ſtatuimus epocha, de qua fuſius infra. Nempe acceſſum Petri ad noſtram Neapolim, Decembri menſe, anni Chriſti 44. contigiſſe. Quippe ſi Petrus anno eodem 44. ſed incertum quo menſe, Romam inijt, incertum etiam erit, quo is menſe, antequam Vrbem Romam iniret, Neapolim acceſſerit. Sed, præter iſta, noſtram ſententiam, ſatis apertè confirmant Scriptores veteres. Quamuis enim, Petri ingreſſum, & ſedem, alij anno Chriſti 44. alij 45. ineunte, ſtatuant, omnes tamen, ingreſſum in Vrbem, & Cathedræ fixionem, vno, eodemque anno coniungunt.

In primis, antiquus ille hiſtoricus, qui annos Chriſti ad Euſebij chronicon adiecit, is quidem ab vno, eodemque anno Chriſti 44. numerat annos Romanæ ſedis.

Præterea Abbas Vrſpergenſis, *Satis*, inquit, *apparet, quod eodem anno, quo Petrus Romam venit, etiam Sedem Pontificatus accepit.* Hoc eſt, eodem Chriſti anno, qui circiter Ianuàrij Kalendas incipit (nam per Chriſti annos, Chronicon ſuum digerit Vrſpergenſis) ergo non diuerſis annis, vt iam dicti recentiores putant, ſed vno, eodemque anno Chriſti 45. vtrumque accidit. Nempe ingreſſus Petri in Vrbem, & conſtitutio Cathedræ.

Idipſum ex Paulo VVarnefrido eſt colligere. Qui cum ante ſcripſiſſet, Chriſtum natum eſſe V.C.D.CC.LI. deinde ait, Petrum Romam adijſſe V.C.D.CCC.V. Hoc eſt, Chriſti XLIV. ineunte. Et mox ſubdit. Exin Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt. Hoc eſt. Ab eo tempore, Epiſcopalis Cathedra in Vrbe inſtituta eſt.

Romualdus quoque Salernitanus Archiepiſcopus, vetus & ipſe hiſtoricus, è VVarnefrido fortaſſe excipiens, ſic habet in ſuo Chronico M. S. *Petrus Apoſtolus, cum prius Antiochenam fundaſſet Eccleſiam, Romam pergit in exordio Regni Claudij. Ibique 25. annis Cathedram tenet generalem: ideſt vſque ad vltimum Neronis annum. Exinde Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt.* Et iure quidẽ,

rem

rem ſic iſti digerunt. Non enim grex ſine paſtore. Et Eccleſia abſque Epiſcopo,& Sede Epiſcopali Romæ ſtatuta dari debet. *Exin*, inquiunt:nempe à Petri ingreſſu. Quamuis itaque & Euſebianus ille Chronographus, & VVarnefridus,à nobis,tum etiam,vt puto,à veritate ipſa diſcordent,in eo, quod ponunt,Petri ingreſſum in Vrbem anno Chriſti 44. (is quippe non conuenit cum anno 2. Claudij, ſed cum anno primo) tamen ex ijs apertè habetur,id,quod nunc quærimus. Nempe,eodem anno figendum eſſe ingreſſum Petri in Vrbem,& Cathedræ conſtitutionem.

Hoc ipſum in Caſſiodori Chronico,& in Anaſtaſij, & Luitprandi lib. de Romanor.Pontific.vitis,obſeruare eſt. Immo, ſi Euſebium his multo antiquiorem attentè legamus, profectò habebimus, neque ipſum diſtinguere tempus ingreſſus Petri in Vrbem, à tempore Cathedræ conſtitutæ. Sic enim ſcribit. *Secundo Claudij anno, Petrus Romam mittitur,vbi Euangelium prædicans 25.annis eiuſdem Vrbis Epiſcopus perſeuerat*. Hi autem 25.Epiſcopatus, hoc eſt Cathedræ Romanæ anni, vtique à die ingreſſus numerantur apud Euſebium. Ea videlicet ratione, quod nimirum eadem ſit Cathedræ ingreſſus Epoche,iuxta quam,priſcos nonnullos hiſtoricos, annos numeraſſe,legimus,vt faciunt Marcellinus Comes ad Conſulatum Philoxeni,& Probi: atque Anonymus ille græcus hiſtoricus,quem laudat Baron.ad annum 536.

Probè itaque hi iam dicti,alijque hiſtorici,non diſtinctis,vt facit Baronius,annis,ſed vno,eodemque anno,ac tempore,vtrumque ſimul ponũt. Nam profectò nihil expectandum erat Petro,totius Chriſtiani Orbis Epiſcopo, vt Sedem,Romam iam ingreſſus,Romæ figeret. Sicut neque Antiochiæ quidquam expectauit,vt colligitur ex antiquo Chronico Alexandrino,cuius hic recitabo verba. *Tiberii XXII.Laeliano & Plauto Coſſ. quarto poſt Chriſtum in cœlum aſſumptum anno,Petrus Hieroſolymis profectus,Antiochiæ verbum Dei publicè docuit. Et Pontificatus cura ſuſcepta,à Chriſtianis è Iudæa oriundis inductus,ſeipſum in Throno Epiſcopatus collocauit.A Chriſtianis*,inquit,*è Iudæa oriundis*. E Iudaiſmo,videlicet,pridem conuerſis. Ne fortè putares, Petrum non fixiſſe ibi Cathedram, niſi poſteaquam, ſua prædicatione magnam Antiochenorum multitudinem Chriſto aggregaſſet. Idipſum,& alibi quoque ipſum feciſſe conſtat: quoties,ſcilicet,varijs Vrbibus Epiſcopos dedit. Nam, Marcum præfecit Alexandriæ,etiam antequam eò ille proficiſceretur. Et Apollinarem Rauennæ. Et Martialem Lemouicis,cum Romæ eſſet, creauit Antiſtites,antequam eæ vrbes,Chriſtianos haberent. Id autem eo conſilio fecit,vt iſtorum opera poſtmodum in ijs vrbibus, grex fidelium Chriſto Domino acquireretur. Sicut itaque Antiochiæ,& alibi factum eſt,ita & Romæ Petrum feciſſe,merito quidem,vna cum iam dictis grauiſſimis hiſtoricis arbitramur.

Hinc profectò eſt,quod Eccleſia Romana in officio Romanæ Cathedræ, quod iniuria temporum intermiſſum, Sanctiſſimus Pontifex Paulus IV.noſtri Ordinis cum B. Caietano Thienæo Conditor, feliciſſimè reſtituit,illa Leonis Papæ verba recitat,quæ eiuſdem ingreſſum in Vrbem narrant. Vt,ſcilicet,intelligeremus,non eſſe dirimendum tempus in Vrbem ingreſſus,à tempore Cathedræ conſtitutæ. Ac proinde, cum celebratur ingreſſus,eadem opera,& Cathedræ fixionem celebrari. Verba Leonis hæc ſunt. *Ad hanc Vrbem tu Beatiſſime Apoſtole Petre venire non metuis, & cæt.* Mox ſubdit. *Eamque conſtantior,quam cum ſupra mare gradereris,ingrederis.*

Accedit denique ratio, mea quidem ſententia, valdè conueniens. Si alio tempore, & anno, Petrus ingreſſus eſt Romam, alio autem Sedem Romanam ſtatuit, tempus quidem conſtitutæ Cathedræ exploratè ſciremus, & certè ſcimus. Sed, quo menſe, & die, Petrus Vrbem inijt, prorſus ignoraremus. Ac proinde veteres hiſtoricos Eccleſiaſticos, merito negligentiæ in re tanta accuſare poſſemus, qui diem adeo memorabilem, reliquiſſent in obſcuro. Quin etiam, quis ſibi perſuadeat, Pauli quidem in Vrbem ingreſſum, adeo certum, & celebrem eſſe, vt die 6. Iulij, qua id contigit, iam pridē fuerit perpetuis monumentis notata in Martyrologio Romano veteri, & in Martyrologijs Bedæ, & Vſuardi, aliorumq; fere omnibus: Petri verò Apoſtolorum omnium Principis, in eandem Vrbem ingreſſionis dies, prorſus lateat in tenebris? Latere quippe fatendum, ſi alio die, ac menſe, quàm 18. Ianuarij, quo Cathedram fixit, Romam inijſſe arbitrabimur. Quocirca, cordatè, & eruditè, vt ſolet, Onuphrius in ſuis Faſtis, eodem die XV. Kal. Februarij, quo celebratur Romana Cathedra, figit primum Petri in Vrbem ingreſſum, his verbis. *Sanctus Simon Petrus, Chriſtianorum Epiſcopus primus, 15. Kal. Februarii, Romam primum ingreſſus, ſedit in Pontificatu Romano ann. 24. menſ. 3. d. 12.*

Porrò, tanti æſtimata eſt à priſcis Chriſtianis ingreſſio Petri, & Cathedræ fixio Romana, vt inde annos numerare conſueuerint. Vt conſtat ex Anonymo ſcriptore de geſtis Agapeti Papæ, in Vaticana Bibliotheca apud Baronium anno 536. circa medium. Neque id mirum cuiquam videri debet. Cum conſtet ex Diodoro Siculo Biblioth. lib. 16. Syracuſios, inſtituto nouo Magiſtratu Iouis Olimpij Amphipolios, ideſt famulatus, inde annos auſpicatos. Quidni ergo Petrus, veri Numinis famulus, annos apud nos numeret?

## *Italicam Apoſtolorum expeditionem, quænam Vaticinia prædixerint.*
## *Sect.* II.

VEnturos fore ad Occidentis regiones Apoſtolos aliquot, & ſignatè Beatiſſimum Petrum ad Italiam, atque ad ipſam Vrbem Romam abiturum, multa prænuntiarunt Oracula, tùm Hebræorum, tùm Gentilium Vatum.

*Tantæ molis erat Romanum condere Thronum.*

Illic enim (cùm magno Leone dicam ſerm. 1. de Apoſt.) *Conculcanda Philoſophiæ opiniones. Illic diſſoluenda erant, terrenæ ſapientiæ vanitates. Illic confutandi Dæmonum cultus. Illic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, vbi diligentiſsima ſuperſtitione habebatur collectum, quidquid vſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum.* Enimuerò, magnum aliquod bonum, Occidentalibus plagis portendit illud in primis Chriſti Ieſu notabile factum. Quòd ipſe, non caſu, ſed diuino conſilio, cùm eſſet in Caluario Monte, affigi voluit Cruci, eo ſitu poſitæ, quo Hieroſolymis terga, Italiæ autem, & vniuerſo Occidenti vultum obuerteret. Myſterio ſcilicet admirando. Adi Adricomium in Ecphraſi Ieroſol. pag. 148. Sed profectò, eo poſitu, oſtendens, quod paulò poſt, rerum euentus apertius declarauit. Miſſurum ſe videlicet ad Occidentis, & in primis ad Italiæ tractus, complures Apoſtolos, Diſcipuloſque ſuos, qui dere-

licta

licta in tenebris,perfida,& obſtinata Iudæa,Italiam,Hiſpaniam,Galliam, Germaniam, Britanniam, aliaſque Occidentis plagas, ſuo Euangelio, hoc eſt,æternæ veritatis luce perfunderent. Quod quidem D.Maximus Taurinenſis Epiſcopus,his verbis ſcriptum reliquit.Hom.5.de Apoſt.*Cum Dominus Orientis regionem propria illuſtrauerit paſſione, Occidentis plagam, ne quid minus eſſet,vice ſui,Apoſtolorum ſanguine illuminare dignatus eſt*. Mirum itaque videri non debet,tantos rerum motus,& tam felices in Occidente,Chriſtianæ legis ſatus,multis Sibyllarum, ac Prophetarum Vaticinijs, varijſque oſtentis,iam olim fuiſſe prænunciatos, enumerabo ea.

Sibylla Tiburtina, illuſtre Vaticinium edidit de Apoſtolis Orbem peragraturis, cum ait. Carmin. Sibyll.apud Obſopæum pag.515. *Quintus autem Sol, quinta generatio eſt. Eliget ſibi Deus duos piſcatores de Galilæa,& leges ſuas docebit,ad eos dicens.Ite,& doctrinam,quam accepiſtis a me,docete omnes gentes, & per ſeptuaginta,& duas linguas,ſubijcientur mihi omnes nationes*. Hæc illa Vates.Ego verò ſuſpicor ineſſe hic mendum,aut librarij,aut tralatoris:& pro, *duos piſcatores* reponendum eſſe *binos piſcatores*:quippe facilè fuit pro σὺν δύο ſcribere δύο omiſſo σὺν:etenim,non duos tantum, ſed binos vocauit Chriſtus piſcatores,Petrum videlicet,& Andream,Iacobum,& Ioannem:immò alios inſuper, nempè Thomam, & Nathanaelem cognomento Bartholomæum, ac fortaſsè Philippum. Nam hunc quoque piſcatorem fuiſſe, ex Euangelio,hiſtorijſque Apoſtolorum elicitur:adeoque multi ex duodecim illis viris,fuerunt piſcatores:vt, teſte Clemente lib.3. pæd. cap.11. per piſcantes,quos annulis ſolebant inſculpere, Apoſtolos intellexerunt, priſci illi Chriſtiani.

Sibyllæ verò Erithreæ, non ipſa verba, ſed verborum ſenſum habemus apud D. Antoninum Florentiæ Præſulem, Hiſtor. Par.1. Tit.3.cap.9. §.14.*Chriſtum* videlicet,*non bello,& gladio Aeneadum Vrbem*, hoc eſt Romam, *ſibi ſubiecturum:ſed hamo piſcantis*.Petri ſcilicet, qui Romam Chriſto acquiſiuit, & in ea Imperij Principe vrbe, Apoſtolicam Cathedram conſtituit. Hoc Vaticinium, tanti fecit præclariſſimus ſacrarum controuerſiarum auctor Bellarminus,vt ipſum hæreticis noſtri temporis,Petri Cathedrę infenſiſſimis hoſtibus obiecerit.Scio equidem,hodie non extare hoc Vaticinium inter Oracula Sibyllina. Sed ſcio etiam,permulta eiuſmodi priſca reſponſa,& monumenta, temporum iniuria, ſiue potius feritate hæreticorum Germanorum,& Gallorum, qui poſt B.Antonini ætatem prodierunt, & per quos, tot Monaſteria diruta ſunt, tot Bibliothecæ combuſtæ, cum magno literarum damno perijſſe.

His accedat tertium Oraculum,ſiuè potius Oſtentum, ab aliqua fortè Sibylla deſcriptum, quod refert Zonaras lib.3. & in compendium redegit Curopalates his verbis.*Erat Oraculum Sybillinum,in quodam Imperatoriæ Bibliotheca libro exaratum:qui non Oracula tantùm continebat,ſed etiam formas:& figuras eorum,qui crearentur Imperatores.Erat autem fera, leonis forma prædita in eo libro: & ſuper ipſius dorſi ſpinam,inſcripta erat X.litera,quæ vſque ad ipſum ventrem pertinebat.A tergo,quidam vir accurrens,lethalem plagam haſta ipſi feræ, per medium X.infligebat*. Hoc vetus Oraculum,& figurâ futuræ rei,etſi ad impij Imperatoris Leonis cædem,quæ anno Chriſti DCC.XLI.contigit,tunc vtcumque ab aliquibus aptata ſint, exiſtimo tamen multo certius, atque germanius,Neronem Imperatorem deſignaſſe. Conſtat enim ex antiquis notis, atque inſcriptionibus,literam X.Chriſtum ſignificare.Conſtat Apoſtolum

Pau-

Paulum 2. Tim. 4. 17. vocabulo Leonis, Neronem intellexiſſe. Conſtat deniq; Neronem eo ipſo anno, quo Apoſtolis necem intulit, ſeipſum interemiſſe. Is igitur, qui lethalem plagam truci feræ illi, haſta inflixit, Petrus ſanè fuit. Qui Crucis ſua valida haſta, paulò poſtquam in cœlum abijt, Leonem, hoc eſt, Neronem percuſſiſſe, & Orco dediſſe viſus eſt. Facit profectò huc Linus in vita Petri, narrans, paulò poſtquam in crucem Petrus actus eſt, eius iuſſu, ferum illum Neronem grauiter fuiſſe plexum.

Vniuersè verò, eiuſmodi Sibyllarum Oracula prænunciaſſe in vrbe Roma idololatriæ interitum (qui quidem Petri potiſſimum opera illatus eſt) Cicero ipſe præuidit: ideoque ſcriptum reliquit lib. de diuinat. *Sibyllinis libris, vti debere Romanos, ad deponendas potius, quàm ad ſuſcipiendas religiones.* Et in Antonium agẽs, Romanis ſuaſerat. *Ne inexpiabiles religiones in Rempub. inducerentur.* Nouerat enim, tam eſſe fœdas, vt expurgari nullatenus poſſent, aut expiari. Falſarum itaque religionum vanitatem, quarum magnum numerum in Vrbem, Romani inuexerant, adeo ſpreuit, atque contempſit ſapiens ille Orator, vt nullam vellet deinceps Romam introduci idolomaniam, ac nullam propemodum iam inuectarum relinqui.

Porrò, aut vnum ex iam dictis, aut potius aliud quoddam incerti Vatis Oraculum (niſi fortè noſtris Sanctis Prophetis id tribui debeat) fuiſſe puto illud, quod in toto penè Orbe, & in Oriente maximè adeò celebri fama percrebuit, vt ingentes varijs regionibus turbas, cladeſque conciuerit. *Percrebuerat*, inquit Suetonius Veſpaſ. cap. 4. *Oriente toto, vetus, & conſtans opinio, eſſe in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti, Roma potirentur.* In quæ verba Leuinus Torrentius prudenter obſeruat, neque Iudæos, neque Romanos, id Oraculum tunc intellexiſſe. Enimuerò, Iudæi nequaquam intellexerunt: quia id ad Theudam primò, deinde ad Iudam Galilæum, egregios eo tempore impoſtores, ſtulto conſilio adaptauerunt, ſpe vana capti, Iudaicum Regnum, quod Romani deiecerant, per hos fore reſtituendum. Ij autem, in quantam calamitatem, Iudaicam gentem induxerint, cùm Gamaliel apud Lucam Act. 5. tùm etiam Ioſephus ipſorum Hiſtoricus, lib. 18. cap. 1. & lib. 20. cap. 2. fusè narrant. De Romanis verò quid dicam? Certè ſi rem accuratè conſideremus, neque ipſi Romani, qui ad Veſpaſianum id pertinere arbitrati ſunt, ad Oraculi ſcopum collineauerunt. Primò, quia is, non eſt profectus Iudæa, ſed inde reuerſus. Impropriè quippe dixeris, quempiam Florentia profectum, qui Roma Florentiam adiens, reuertit inde Romam. Etenim cùm expeditio ſubiugandæ cuiuſpiam Prouinciæ ſuſcipitur, ex ea Orbis regione, aut Ciuitate, dicitur Dux proficiſci, in qua, comparando gerẽdoque bello, militum copias conſcripſerit: & è qua, exercitum primo mouerit. Veſpaſianus autem, nemo propemodum ignorat, quin Romanũ exercitum, Roma profectus duxerit in Orientem. Secundò, quia ſi Nicephoro creditur, *id Oraculum in ſacris Templi monumentis inuentum, ſignificabat ex popularibus eorum, quendam, eo ipſo tempore, vniuerſo Orbi imperaturum.* Veſpaſianus autem, Romanus erat, non Palæſtinus. Contrà mentem igitur Vatis eſt, id Oraculum Veſpaſiano tribuere: quaſi fuerit Iudæus aliquis profectus ab Oriente, qui contrà ab Occidente ad Orientem iuit, & inde redijt ad Occidentem. Accedit his, Suetonium referre, non vnum, ſed plures è Iudæa profectos, Roma potituros. Qua quidem ratione, neque Chriſto ipſi, immediatè, ſi verba preſsè, & propriè interpretemur, id conuenire apparet. Quãquam enim Chriſtus, Apoſtolos in mundum vniuerſum miſit prædicatum

omni

omni creaturæ Euangelium,nunquam tamen ipſe, vt Romam peteret, diſceſſit à Iudæa. Aduertunt hoc Euſebius, & Nicephorus, & de Apoſtolis à Chriſto miſſis,interpretati ſunt. *Nam,eodem ipſo tempore, inquit, ſonus, & vox Sanctorum Apoſtolorum,in omnem terram exiuerat, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Quocirca in ſolos Apoſtolos id Vaticinium aptè quadrare dicēdum eſt:in Petrum videlicet,qui primus omnium,Romam appetijt. In Paulum deinde,& Barnabam,Andræam,Thomam, Ioannem, atq; in Apoſtolorum Diſcipulos,Comiteſque Marcum,Lucam,Ignatium,Timotheum,Clementem,Dionyſium,Polycarpum,alioſque nonnullos,quos vtique diuerſis tēporibus Romam adijſſe,hiſtoriæ tradunt. De Petro quidem,& Paulo,atq; Ioanne,nemo dubitare poteſt,eos Romam acceſſiſſe. Aduentum quoque Barnabæ,quotquot de geſtis eius ſcripſere,teſtificantur. Andræam item,ad has Italiæ oras, & Romam ipſam perueniſſe, ex Slauorum priſcis Annalibus refert Orbilius lib.de Regno Slauorum, narrans è Thracia tranſgreſſum ad Roxolanos populos, qui nunc Ruſſi vocantur, & vicina etiam Regna prætergreſſum,adueniſſe demum ad Italiam,& ad vrbem Romā. Quem itineris filum,diligentius exequitur Robertus Guagninus ex Ruſſorum hiſtorijs. Ruſſi præterea hodieque gloriātur,ſe fidem Chriſti à SS.Thadæo,& Bartholomæo Apoſtolis accepiſſe, Vt vir diſertus Abrahamus Bzouius in Eccleſiæ Annalibus tradit,Tom.13.ad an.1233. Nō erit igitur abſurdum, opinari, hos etiam in Italiam deueniſſe, vbi Apoſtolicam Sedem fuiſſe à Petro poſitam, firmatamque, & Chriſtianam fidem late propagatam, ipſi probè ſcirent.

Porrò omnibus propemodum Apoſtolis, primoribuſque diſcipulis, Orientales regiones peragentibus,ſolemne fuiſſe videtur,Italiam, & in primis ipſam vrbem Romam inuiſere, ijs maximè, qui recto tramite, ab Oriente per Thraciam,& Ionium mare iter haberent. Itaque & Thomam Apoſtolum, magnum illum cœli alitem, quem Germaniam adijſſe,Hieronymus, & Sophronius in Catalogo tradunt,per Italiam noſtrā,illuc fuiſſe appulſum,æquū eſt arbitrari. Habemus autē per Dei gratiā nunc in Italia, horum Apoſtolorū ferè omniū,ſacra corpora,præterquā Ioannis(quem in cœlum è ſepulchro Epheſino rediuiuum trāslatum fuiſſe,exiſtimant grauiſſimi Scriptores)videlicet Petri,Pauli,Bartholomæi, Philippi,& Iacobi Romæ:Andreæ Amalphiæ apud Picentinos: Thomæ apud Frentanos Ortonæ. Vt proinde, reſtitutos potius nobis hos Apoſtolos,quàm huc primò translatos,meritò dici poſſit. Habet etiam Salernum corpus B. Matthæi, quamuis Italiā ipſe dum viueret,non attigerit,ſed hæc obiter. Ad lineam redeo:atque affirmo,Vaticinium iam dictum,quod Suetonius memorat,in neminem alium,niſi in hos Beatos Apoſtolos,& in Petrum maximè,qui ex Oriente ad Italiam,& Romam primus venit,& Roma admirandum in modum potitus eſt,probè quadrare. Hactenus Sibyllina Oracula.

Tranſeo ad Prophetica: quorum tamen pauca annotabo. In primis, mihi ſe obijcit Dauidica illa Prophetia,Pſalmo 67.ſcripta. *Iter facite ei qui aſcendit ſuper Occaſum, Dominus nomen illi.* Quibus profectò verbis,Apoſtolos Chriſti,ad Occidētalia Regna,magnis itineribus progreſſuros, & veri Dei cognitionem,noſtris iſtis regionibus illaturos,poetico dicēdi modo, Pſaltes vaticinatur. Deſignat enim Apoſtolos, veluti generoſos quoſdam equos:& Chriſtum Dominum ijs inſidentem,atque equitantem. Nā,quòd Vulg. habet, *aſcendit*, Hebr.eſt, *equitat. Locus ſane valde conſolatorius nobis,qui* ver-

*verſamur in Occidente*, ait hic doctiſſimus Genebrardus. Rectè itaque Theodoretus putat, ea verba, *eſſe hortationem ad Apoſtolos, vt ad gentes currant, iterque Chriſto præparent*. *Iter facite Chriſto*, inquit Auguſtinus, *vt per ſpecioſos pedes Euangelizantium, peruia ſint etiam corda credentium.* Etenim per ipſorum prædicationem, deuectus eſt Chriſtus ad Italos, ad Gallos, ad Hiſpanos, ad Germanos, ad Britannos, alioſque Populos Occidentis. Porrò eadem fermè metaphora, alibi in ſacra Scriptura equi vocantur Prædicatores Euangelij. Diuo Gregorio teſte lib. 31. moral. cap. 11. Ea quippe vſi ſunt, tum Iobus cap. 39. tum etiam Zacharias cap. 10.

Sed ad Prophetas conuertamur. Horum vnus Iſaias, ſatis nobis pro omnibus erit. Is itaque cap. 18. ſic vaticinatur. *Væ terræ cymbalo alarum, quæ eſt trãs flumina Aethiopiæ, quæ mittit in mare legatos, & in vaſis papyri, ſuper aquas. Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam, & dilaceratam. Ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius. Ad gentem expectantem, & conculcatam.* Huius nobiliſſimi vaticinij, alij alias expoſitiones promant. Ego cum Leone Caſtrio, doctiſſimo Iſaiæ interprete, Oecumenium ſequar. Qui in Prolegomenis Epiſtolæ ad Roman. hunc locum ita explanat. *Inuenimus in veterum commentarijs*, Euſebij, ſcilicet, & Iuſtini Martyris, è quibus, & Procopius ſumpſiſſe videtur, *quòd Sacerdotes, Scribæ, & Seniores, qui Hieroſolymam inhabitabant, exaratas literas, per omnes nationes tranſmiſerint ad Iudæos, vbicumque terrarum diſperſi eſſent, Chriſti doctrinam calumniantes, tanquam à Deo alienam. Iiſque Epiſtolis admonebant, ne illam ſuſciperent. Quod Eſaias præſignificat, illis verbis, Væ terræ nauium alæ*, interpretationem LXX. hic recitat Oecumenius: *Quæ mittis per mare fœdera, & epiſtolas papyraceas ſuper aquas. His enim verbis ſignificat, quòd vbicumque terrarum, etiam vltra Aethiopum regiones, & nouiſſimos terræ fines, ſonus malitiæ eorum, qui in Iudæa erant, per quædam veluti alata nauigia proceſſerit. Et illorum nuncii, ac legati, literas papyraceas deferentes, ſuper aquas nauigantes, mareque tranſeuntes, diſcurrebãt, famam, quæ de Saluatore noſtro erat, calumniantes.* Sic Oecumenius. Mihi verò, vim verborum prophetæ cùm eodem Caſtrio, & cũ Clario, Vatablo, alijſq; nonnullis, libet nunc breuiter ſic explicare. *Væ terræ Iudææ, ob alatas naues, quæ percuſſæ ventis ſonum reddunt veluti totidem cymbala, quas mittit in omnes partes Orbis terrarum, atque adeo, vltra Aethiopiam quoque ſunt profecti nuntii Iudæorum, vt abducant Iudæos, & nationes à Chriſto.* Obſeruanda autem eſt hic, ſynecdoche, quam & Tertullianus lib. de ſpectaculis aduertit, Æthiopiã ſcilicet poſſe pro omnibus extremis terminis Orbis terrarum intelligi. *Vaſa* autem *papyri ſuper aquam*, LXX. interpretati ſunt, epiſtolas papyraceas Iudæorum, per mare quoquouerſum miſſas. Quod certè Oraculum, videtur pepuliſſe Beatiſſimum Petrum, alioſque Apoſtolos, maritimas potiſſimùm adire regiones: atque in primis, eas gentes, & Ciuitates, quæ ad oras maris iacebãt, vt inter alias ſunt, Iapygia, Calabria, Sicilia, Campania, & ipſa denique proxima mari, Neapolis, Puteoli, Roma.

Confirmat verò hanc Eſaiæ expoſitionem, antiquiſſimus ille, quem laudaui, Apoſtolis proximus, Iuſtinus Martyr. Qui, quòd à Syria, vbi natus eſt, hoc eſt, ab Oriente venerit ad Occidentem, diuique Romæ fuerit, & Campaniæ Ciuitates maritimas peragrauerit, facilè potuit inſanas Iudæorum inſectatorum Chriſti molitiones, deprehendere: atque eiuſmodi Iudæorum nefarias epiſtolas, cùm Eſaiæ vaticinio iam dicto, probè conferre. Etenim, in Dialogo aduerſus Triphonem, apertè tradit, Iudæos miſiſſe legatos per totum Orbem, vt omne hominum genus, à Chriſto auerterent,

variis

varijs fraudibus,& calumnijs. Qui etiam Lucas Euangeliſta, primi illius Apoſtolici ſæculi diuinus hiſtoricus,cùm narrat congreſſum Pauli cùm Iudæis,qui Romæ erant,Procopio exponente, haud obſcurè ſignificat id ſibi voluiſſe Iudæorum Principes, cùm dixerunt Paulo, à quo Chriſti fidem docebantur Act.28.21. *Nos,neq; literas de te à Iudæa accepimus:neque adueniens aliquis Fratrum nunciauit,aut loquutus eſt quid de te malum.* Et panlò poſt. *De ſecta hac,notum eſt nobis,quod vbiq; ei contradicitur.*Quaſi dicerent.De te quidem ſignatè,ò Paule,& de accuſationibus aduerſum te,à Iudæis Palęſtinæ productis,nihil audiuimus.At verò,de Chriſtiana hac tua ſecta vniuerſa, abūdè nouimus,quòd vbique ei contradicitur.Id quippe videtur ſciuiſſe ex eo quòd,ſcriptis à Iudæis, qui in Palęſtina eſſent, literis, ſignificatum fuerit alijs Iudæis per Orbem diſperſis,Chriſtianam ſectam non debere admitti. Vide ſtudioſe lector,quàm perſpicuè, ipſe rei euentus, à Luca, primo illo ſæculo,& rurſus ſequenti,à Iuſtino narratus, declaret germanum ſenſum Eſaiæ vaticinij.

Sed non hic ſiſtit Eſaias.Nam poſteaquam nequitiam Iudęorum prophetauit,ſtatim ad Chriſti Apoſtolos, diſcipuloſque ſermonem conuertit: quos,quia omnibus hominibus eſſent futuri Nuntij cœleſtium donorum, meritò Angelos leues appellat: eoſque ad totum Orbem peragrandum, Chriſtique Euangelium vbique diſſeminandum, vehementer incitat,hiſce verbis.*Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam,& dilaceratam. Ad populum terribilem poſt quem non eſt alius. Ad gentem expectantem,& conculcatam.* Verba hæc,ab interpretibus ſic exponuntur breuiter ( neque enim hic eſt locus prolixius differendi)Ite Apoſtoli,Nuntijque Chriſti veloces,ad omnes gētes, etiam remotiſſimas,quæ diaboli tyrannide,& ſua infidelitate, ac ſceleribus,conuulſæ erant,& dilaceratæ.Ad Romanum præcipuè innumerabilem, & terribilem populum,ob robur ſcilicet,quo omnibus præualebat,ita dictum. Nam,Hieronymo interprete,*Roma* idem eſt,ac *Valentia*,& *Fortitudo.* Trahit quidem hæc verba, ſed prorſus inuita,Viuarius Fl. Dextri commentator, ad ann.Chriſti 37.comm.2.num.10. ad ſuam,vt alias ſemper facit, Hiſpaniam.Excuſo ego hominem amore Patriæ penè inſanientem. Sed qui poteſt Hiſpania,illo tempore quo eam Iacobus inijt,dici terribilis, cùm ſciamus,tunc debellatam fuiſſe, & proſtratam ſubditamque prorſus Romanis Ducibus,legibuſque? Pergo igitur, de Roma, Iſaiæ verba conuenientius interpretari,*poſt quem,*inquit,*populum,non eſt alius.*Quartum enim,& vltimum Imperium à Daniele deſcriptum,Romanum profectò fuit. *Ad gentem expectantem,& conculcatam.*Hebr.*Gens lineæ,lineæ,& conculcationis.*Hoc eſt,quæ pedetentim euertitur,& corruit. Nam *τὸ lineæ,& lineæ,* prouerbialis in ſacra Scriptura locutio eſt,idem ſignificans,atque apud nos,*à filo à filo*. Vt Clarius,& Vatablus benè explicant.Et verò,ſic euentus ipſe probauit. Nam Romana Monarchia, paulatim ſubuerſa eſt, & ciuilibus, atque inteſtinis bellis,ſenſim conculcata,non autem de repente,& vna die, vt Perſico Imperio contigit.Summa itaque eſt.Hoc Vaticinio, Apoſtolos, Petrum,Paulum,cæteroſque Romam à Chriſto fore mittendos: vt in ea perturbata,& conculcata ciuitate,Chriſtianam legem ſererent,& veram animis pacem, ſecuritatemque inferrent. Hoc enim Deus,paulò poſt Romanis promittit, iuxta LXX.interpretes.*Quia ſic dixit Dominus mihi. Securitas erit in mea Ciuitate.*Quid?Nonne idem Propheta prędicit,hos Apoſtolos,ad Occidentem, Romamque ipſam,Occidentis caput,nauigio Gentilium appulſuros? Sanctus

ctus Cyrillus quidem,ad cap. 11. Iſaiæ ſic exponit illa verba. *Et extendentur in nauibus alienigenarum,mare ſimul prędabunt.In nauigijs,* inquit, *alienigenarum, hoc eſt,Gentilium Idolatrarum Orbem Apoſtoli peragrabunt*. Vt conſtat de Paulo, qui in naui vehebatur,quæ inſigne gerebat Caſtoris,& Pollucis. Idemque de Petro factum,adeò probabile eſt,vt nemo ſit,qui neget.Itaque pulchrè repenſum eſt Iudæis.Illi nauigia commodauerunt Legatis ſuis,vt Synagogæ epiſtolas Chriſto aduerſas,ad varias Orbis partes hoſtiliter ferrent, Et è contrario Gentiles, Petro, ac Paulo, Chriſti Apoſtolis, naues ſuas exhibuerūt, vt citiùs Chriſti Ieſu nomē,eiuſq; Euangelium, per totum Orbem ſererent. Omnia hæc diuiniſſimus Vates Eſaias,his paucis verbis prędixit, & ſcripſit.

Alias item,harum rerum prædictionem Eſaias conſignauit,cap.26. ſic dicens,*Incuruabit* Deus *habitantes in excelſo,ciuitatem ſublimem humiliabit.Humiliabit eam vſque ad terram,detrahet eam vſque ad puluerem:Conculcabit eam pes, pedes pauperis greſſus egenorum*:exponam breuiter,& clarè. *Habitantes in excelſo*, Imperatores Romani ſunt, Romanæ vrbis colles, ſuis palatijs occupantes.*Ciuitas ſublimis*,ipſa proculdubio Roma eſt:non autem alia ciuitas.Nam Hieronymo interprete,*Roma,aut fortitudinis nomen apud Græcos eſt,aut ſublimitatis apud Hebræos*. Quocirca,miror recentiores nonnullos,de Hieroſolyma hunc locum interpretari:cuius nec vocabulum *ſublimitatem*, nec Apoſtolorum pedes,eam vrbem protriuerunt,aut deſtruxerunt. Immò Apoſtoli eorumque Diſcipuli,inde diſceſſerunt, & Pellam Galilęæ vrbem, ſe receperunt, eo tempore, quo illa obſeſſa, & demum deſtructa eſt à Romanis, vt Euſebius iterum à me citandus tradit. *Humiliauit* autem illam, *& conculcauit vſque ad terram*,quia impia illa,& fœda idolatriæ dedita Roma, funditus ſubuerſa,& deleta eſt. Eadem verò,cùm nouis Chriſti legibus inſtaurata eſt,noua quædam Roma excitata,& ædificata fuiſſe videtur. Id ſibi voluit B.Leo cùm ait. *Hic conculcandæ fuerunt philoſophiæ opiniones.Hic diſſoluendæ terrenæ ſapientiæ vanitates.Hic confutandi dæmonum cultus.Hic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda*.Pes,denique *pauperis,& pedes egenorum*,Apoſtolorum quidem pedes ſunt,Petri in primis,deinde Pauli,Andreæ,Ioannis,& aliorum, quos ſuprà commemoraui.Ad tantum enim opus,diuina potius,quàm humana virtute perficiēdum,primus omnium electus eſt Petrus, pauper quidem cenſu,ſed diues diuina gratia,& poteſtate. Quocirca, Hebræi ipſi huius loci expoſitores,*ciuitatem ſublimem*,Romam interpretātur:malo quidem illi ſenſu,& animo peruicaci:nempè, exiſtimantes, ac ſperantes, à pſeudo ipſorum Meſſia,fore expugnandam Romam,& diruendam. Sed ſi rectè,ad Prophetæ mentem intelligatur,pro vrbe idolorum cultrice,in bonum vertetur iſta *ciuitatis ſublimis* ſignificatio.Et quidem,ad hunc modū,alibi etiam in ſacra Scriptura vſurpatur vocabulum *ciuitas* pro ciuibus,incoliſque. Videlicet,à Chriſto ipſo,apud Matth.19. cum ait *Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos,qui ad te miſſi ſunt, Hieruſalem*, inquit Hieronymus,*non ſaxa,& ædificia ciuitatis,ſed habitatores vocat.Sublimem* itaque *ciuitatem* Romā *pes pauperis* Petri,& *greſſus egenorū ad puluerē detraxiſſe*:dicitur cū Romæ habitatores idololatræ deuicti,oppreſſi,ac denique extincti ſunt, ipſorum cœleſti prædicatione,& virtute victrice.

Sed & tertium quoque de hac re Vaticinium,idque præſtantiſſimum, ſcriptum reliquit Iſaias,*Mittam*,inquit cap.66.*ex eis,qui ſaluati fuerint, ad gētes in mare,in Africam,& Lydiam tenentes ſagittam:In Italiam, & Græciam, ad Inſulas*

*ſulas longè:ad eos,qui non audierunt de me,& non viderunt gloriam meam.* Iam ſupra vaticinatus fuerat,de Spiritus ſancti miſſione,& de dono linguarum, quo loco Spiritum ſanctum,ſic loquentem inducit, *Et ego venio congregare omnes gentes,& linguas,& venient, & videbunt gloriam meam: & dimittam ſuper eos ſignum.* Quis non videat hoc adimpletum fuiſſe,die Pentecoſtes,quo tẽpore,inquit Lucas. *Erant in Hieruſalem ex omni natione,quæ ſub cœlo eſt. Et repleti ſunt omnes*, Apoſtoli Diſcipulique Domini, *Spiritu ſancto: & cœperunt loqui varijs linguis,prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis*? Pergit igitur Iſaias prædicare Apoſtolorum profectionem ad omnes Orbis regiones,dicens. *Mittam ex eis ad gentes*,& cætera,quæ ſequuntur. *Completa eſt hæc prophetia*, inquit Theodoretus, *cùm Matt.28 dixit Dominus.Euntes docete omnes gentes, & Marci cap.16. Euntes in mundum vniuerſum,prædicate Euangeliũ omni creaturæ.* Et Theodoreto adſtipulantur omnes propemodum huius loci expoſitores, Cyrillus,Hieronymus,Auguſtinus: & ante hos,duo antiquiſſimi Patres,Cyprianus lib. 1.adu.Iudæos cap.21.& Euſebius Demonſtr. Euang. lib.6. cap.35. Recentiores item penè innumeri,his iam dictis adſtipulãtur: ij etiam,quos alioquin ſœpè delectat ſequi placita Rabbinorum:nempè Oleaſter, Vatablus,Clarius,Montanus, Adamus, & Forerius: cuius inſignis in Eſaiam commentarius,mihi quidem valdè placet, & in hunc locum maximè. Ipſum igitur excerpendo referam. *Mittam ex eis*, ex ipſis, inquit, Iſraelitis, *mittam,qui ſaluati fuerint:vel qui ſaluent,& euadere faciant, & auctores ſint euaſionis:conuenit enim hoc loco,vt actiuè accipiamus.* Et poſt pauca ſubdit Forerius. *Per Lydas intelligere oportet,ſagittandi peritiſſimos,per quos quoque Etruria intelligitur, Italiæ pars,quæ Lydorum eſt Colonia. Iubal autem vulgatus,Italiam dixit. Nomine autem Græciæ, comprehenditur bona Italiæ pars,quæ magna Græcia olim dicebatur. Tandem,nomine longinquarum inſularum, reliquæ regiones intelliguntur, ad quas, ex Iudæa per mare ibatur. Per Apoſtolos itaque,iſtæ omnes gentes, Chriſto congregatæ ſũt.* Hactenus Forerius. Iam verò,ſi quis interroget, quinam fuerint illi, per quos,Chriſti Euangelium prędicatum primum eſt in Lydia,& in tota Gręcia,tùm illa,quæ ad Ægeum mare,tùm etiam iſta,quæ in Italiæ ora maritima ſita,dicta eſt magna Græcia,& prætereà in Etruria,& in Italia tota. Reſponderi debet,fuiſſe Petrum in primis, & Paulum, ac deinde alios, atque alios Chriſti diſcipulos. Petrus enim, vt infra dicetur latius, peragratis Aſiæ Prouincijs, deuenit ad *Iapygas*, ad *Salentinos*, ad *Calabros*: & inde ad *Campanos*,vicinaſque gentes,quas omnes,magna illa Græcia, quam,iuxta Forerium,memorat hic Eſaias,profectò comprehendebatur. Mox verò, à *Campania* oris,hoc eſt,à *Neapoli* Ciuitate,Petrus migrauit ad Volſcos,& ad Latios populos. Ac denique peruenit ad vrbem Romam. Hactenus ex Forerio alijſque iam dictis.

Libet verò,eadem diuina huius Vaticinij verba referre,ex Muſa Ioãnis Carpentei Atrebatij, Poetæ nitidiſſimi:qui in fine ſuæ paraphraſis in Iſaiam,Chriſtum ſic inducit loquentem.

*Interea mihi ſeruatos ſigneq; notatos,*
*Per mare,per terras,totum ire iubebo per Orbem,*
*Legatos. Alios ſitientes ibis ad Afros.*
*Lydia Regna alius. Doctos hic tendere neruum,*
*Cappadocas,Thracaſque petet. Nec Græcia morum*
*Optima formatrix. Nec tu,cui bellica virtus*
*Imperium iam promittis, terraq; mariſq;*

*Italia, ò tellus armis memoranda viriſque!*
*Explodes ad te miſſos cùm pace prophetas.*

## *Quibus cum comitibus B. Petrus ex Oriente profectus ſit.* Sect. III.

EX *Oriente* itaque, *ad Occidentis oras tenebroſiores, miſſus eſt Petrus:* inquit his ipſis verbis diſcipulus eius Clemens epiſt. 1. Id verò contigit, Euſebio teſte, cui in hac re ferè omnes aſſentiuntur, anno 2. Claudij. Verùm exeunte eo anno id factum oportuit: quia ineunte, hoc eſt, eiuſdem anni verè, Petrus, vt ex Actorum cap. 12. colligitur, in Agrippæo carcere erat. Ex eo igitur ab Angelo liberatus, vrbem Romam, ad fundandum Eccleſiæ firmamentum, & ad debellandum Simonem magum, ait Hieron. de ſcript. Eccleſ. abire cogitauit. Eò quippe diuinitus vocabatur, vt Leo Pontifex tradit, *Ad arcem*, inquiens, *Romani deſtinabatur Imperij, quò illum, diuinis ordinationibus, anteibant honor poteſtatis, & gloria paſſionis.* Tantam igitur prouinciam aggreſſurus Petrus, ſumit ſecum aliquot itineris ſocios. Nempe Clementem, vt ſcribit Ignat. Epiſt. ad Antiochen. Marcum, Apollinaré, Martialem, & alios multos mox dicendos. Et verò vnà cum Petro, veniſſe iam dictum Clementem Mathidiæ filium, nobiliſſimum Romanorum, & Auguſtorum conſanguineum, apertè tradit Iulianus presbyter, qui floruit anno 1550. in Aduerſarijs ad ſuum Chronicon §. 102. his verbis. *Clemens primo adhaeſis S. Petro, illum Romam vſque comitatus.* De alijs autem tribus, teſtem profectò habemus Simeonem Metaphraſtem, qui oratione de B. Petro, totum hoc iter, quamquàm in aliquibus à Baronio meritò confutatus, fusè deſcribit. Antiochia autem Petrum profectum, ſecum duxiſſe etiam Priſcum, qui Capuæ, Pancratium, qui Tauromenijs, & Marcianum, qui Syracuſis poſtea Epiſcopi ab eo ſunt ordinati, Baronius diligenter, vt ſolet, ex corũ Actis elicit, atque affirmat. Quod quidem, multò probabilius eſt, quã id quod Metaphraſtes ſcribit: videlicet, Petrum ex ipſa Antiochia, miſiſſe in Siciliam Pancratium, & Marcianum. Nam ſi Romam abiens Petrus, acceſſurus erat, vt poſtea dicemus, ad Salentinos, Calabros, Siculoſque, certè oportunius potuit, in Sicilia ipſemet præficere, & relinquere, vel ſummùm ex Vrbe Roma, illo mittere iam dictos ſocios, quàm è Syria, hoc eſt, è regione tanto à Siculis diſſita interuallo, ſolitarios amandare.

Quòd ſi quis huc, maioris ponderis momentum adferri cupiat, profero in medium id quod caput eſt, & antea proferre debueram. Videlicet, nõ poſſe quempiam in Eccleſiaſtica hiſtoria probè verſatum, affirmare, Chriſtianum vllum, Euangelium propagaturum, in Italiam veniſſe, ante Petrum. *Primus enim Petrus in Italia prædicauit Euangelium*, inquit Oecumenius. Tract. de 12. Apoſtolis. *Et ad illuminandas Occidentis oras tenebroſiores*, hoc eſt, nõdùm luce Chriſti perfuſas, *miſſus eſt Petrus* teſte Clemente eius diſcipulo, paulò ante citato. Fuerunt quidem nonnulli, qui de Barnaba id aſſeruerunt. Sed eorum argumenta omnia, iam euertit doctiſſimus Baronius. Nec magno ſanè niſu opus fuit, ad explodendum Clementis Itinerarium, è quo turbido fonte, id hauſtum eſt à recentioribus. Quis enim ignorat, multa tum falſa, tum inſulſa, & fabulis ſimilia, in eo opere contineri? Adi Baronium tom. 1. Annal. & Notation. in Martyrolog. ad 12. Iunij, A Petro igitur effulſit pri-

ma Euangelij lux noſtræ Italiæ,& Inſulis eius. Ac proinde dicendum eſt, non ante Petrum,ſed vna cum ipſo,veniſſe Pancratium,& Marcianum .Vrbibus Siciliç præficiendos. Idipſum quoque dicendum, atque exiſtimandũ eſt,de Proſdocimo. Patauinæ enim Eccleſiæ veteta monumenta tradunt, Proſdocimum audiuiſſe Petrum,Antiochiæ,illumque Romam vſque fuiſſe ſecutum. Inde verò, à Petto datum Epiſcopum Patauinis., Ptolomæum quoque patria Antiochenum,Romam cùm Petro veniſſe, indeque Pantòpolis in Tuſcia (ea Vrbs Nepete, & Sutrio finitima ponitur) factum Epiſcopum,Sutrinæ,& Nepetinæ Eccleſiæ archiua teſtantur. Præterea, geſta Paulini primi Lucenſium Præſulis à Petro ordinati, habent, ipſum fuiſſe ciuem Antiochenum. Eſt igitur veriſimile,hunc etiam, vnà cum Petro ex Oriente in Italiam aduenisſe. Denique cùm lego apud VVarnefridum in Chronico Epiſcoporum Metenſium,Petrum miſiſſe Mediolanum Anathalonem, inclinat animus credere,illum Petri prius fuiſſe ſocium,& diſcipulum: poſtea verò Barnabæ adhæſiſſe. Et quidem fuiſſe græcum hominem, nomen ipſum indicat,& Alciatus comment.de Antiquit. Mediol. atque ex eo Baronius Notat. in Martyrolog. ad 27. Septembris,apertè affirmant. Certè Epitaphiũ vetuſtiſſimum à Mirocle Epiſcopo ſcriptum, prodit Anathalonem fuiſſe tunc Petri hoſpitem,& deinde ſocium Barnabæ. Illud legere quiſque poterit apud eundem Baronium loco citato. Inde autẽ conijcio,etiam hunc Anathalonem,è Syria,aut ex aliqua Græciæ Ciuitate, fuiſſe aſſumptum à Petro ſui huius itineris ſocium. Sed hæc coniectanea ſũt. Illa quæ ſupetius diximus, certiora. Porrò diligens perquiſitor, reperiet fortaſsè nonnullos alios in hac Occidentali expeditione, D. Petro fuiſſe comites: ex tanto videlicet diſcipulorum eius numero,quos poſtea, in varias Orbis plagas deſtinatos,quamplurimis ab eo ciuitatibus, legimus datos Epiſcopos: quorum pars cùm eo venit: pars obiter inuenta eſt.

Interea libet mixtim enumerare, & nominare complures, indicatis Scriptorum locis, vt cuique facilè ſit, illos adire: & noſſe Summi Paſtoris progeniẽ paſtoralem.Præfecit igitur Petrus Epiſcopos, Byzãtio, Stachin, Agap.Papa epiſt.ad Conſtantinopolitanos. Alexandriæ,alterum Marcum, Hieron.de ſcript.Eccleſ. Salonæ Dalmatam Domnionem. Tomcus lib. de gente Valeria pag.79.Amaſianum, Tarento,Tab. Eccleſiæ Tarentin. apud Iuuenem lib.8.cap.1.Neap. Aſprenatem. Brunduſio, Lucium,VVarnefr. de Epiſcopis Meten. Puteolis, Celſum, Vetus traditio Puteolana, apud Ferrar.in Martyrol.Photinum,Beneuento, Vetus traditio apud Beneuentanos.Triocalæ,Peregrinum, Octau. Caiet. in Idea de SS.Siculis, pag.28. Catanæ,Beryllum.Menolog.Græc.21.Martij.Treueris, Valerium Martyr. Roman.29.Ianuarij ex Beda alijſq; multis. Capuæ,Priſcum,Beda in Martyrolog.Sueſſæ,Symiſium,L.Saceus Hiſtor.Sueſſ.cap.8. ex Adricomio in Theatro Terræ Sanctæ. Bettoniæ, Chriſpolitum,Ferrar. Topograph. Tauromenijs,Maximum,& deinde Pancratium,Metaphr.Etherianus: & ex his Octauius Caietan.pag.103.Patauio,Proſdocimum,Martyrolog. Roman.7. Nouemb.Tarracinæ, Epaphroditum,Metaphr.& ex eo Baron. 22.Martij. Atinæ, Marcum, Martyrol. Roman. 28.Aprilis.Feſul,Romulum,Martyrolog.Rom.6.Iulij.Euprepium,Veronæ,Aug,Valer.pag.6.& Baron.21.Auguſti.Ticino,Syrum,Tab.Eccleſiæ Ticinenſis. Cœnomanenſibus, Iulianũ, Martyrol.Rom.26.Ianuarij.Senonenſibus,Sabinianum,Beda, & Ado apud Saulcium lib.1.Chronic.Aurelian,cap.3.Rhemenſibus,Xyſtum,Martyrolog.

log.Rom.1.Septembris.Saturninum,Toloſatibus, Acta apud Trugillum tom.2.Catalaunenſibus,Memmium,Martyrol.Rom.5.Auguſti.Neſtorium, Claromontanis, Tabulæ Claromont.Eccleſ.die 9.Decembris. Georgium, Velaunenſibus,Ferrar.ad 10.Nouembr.Aueuionenſibus,Rufum,Martyrol. 12.Nouembris. Frontonem,Petragoricenſibus, Martyrol. Rom. 25. Octobris. Clementem,Metenſibus,Democh.de Epiſcop.Met.ex VVarnefr.Petrus de Natalib.10.cap.13.Aruernēſibus,Auſtremonium,niſi is ſit idem,ac Neſtorius ſupradictus,Vita apud Surium,tom.7.Tullenſibus, Manſuetum, Democh.tom.2.Arelatenſibus,Trophimum, Martyrol.Rom.vetus 29.Decembr.Lemouicenſibus,& finitimis Galliarum populis,Martialem,Democh.de Epiſcopis Lemouic. Aurelianenſibus, Altinum, Beda, Ado, Sauſſ. lib.1.cap.3.Ampliſſimis Hiſpaniarum Regionibus,ſeptem illos Epiſcopos, quos Romanum enumerat Martyrologium die 15.Maij,videlicet,Torquatum,Cteſiphontem,Secundinum,Indaletium, Cæcilium, Heſychium, Euphraſium. Britannis,Ariſtobulum Chriſti diſcipulum è LXXII. Baron. 15. Martij,ex Dorotheo in Synopſi,& Græcorum Menologio.Treuerenſi Prouinciæ,Eucharium,Maternum,& Valerium,Martyrol.3.Decembris,29.Ianuarij,& 14.Septembris. Et fortè alios alibi. Inter hos verò,Aſprenum,ſiue Aſprenatem debebit meritò quiſque recenſere, Neapoli à Petro repertum, & Epiſcopum ordinatum, ijs edoctus teſtibus,quos ſupra produxi. Verum B.Petri diſcipulorum,nuda hic vocabula dedi. Alius cui id pro argumento fuerit,geſta eorum,diligentius,latiuſque exponet.

## *Petri iter ex Oriente deſcribitur. Sect. IV.*

MVltis igitur diſcipulis comitatus Princeps Apoſtolorum, dùm Hieroſolymis pergeret Antiochiã, maritimas Palæſtinæ Eccleſias,Vrbeſque viſitauit. Quæ cum illum amicè excepiſſent, ob eam humanitatem,iram immitis tyranni meruerunt. Nam,vt probè Baronius arbitratur,de hac re intelligendus eſt Lucas cùm ait Act.12. 20. *Erat idcircò Agrippa iratus Tyrijs,& Sidonijs*. Nempe quod Petrum è carcere diuinitus liberatum,humaniter excepiſſent.Petrus verò aliquantiſper moratus Antiochiæ, inde per Aſiam minorem, iter ſuum proſequens, multas fidelium turmas Chriſto peperit:quas poſtea Ioannes Apoſtolus educauit.Teſtatur id S.Sophronius, ſiue ille Hieroſolymorum Epiſcopus, qui vixit,& floruit Heraclio Imp. ſiue alter ille B.Hieronymo amicus; eiuſdemq; operum aliquot,in Græcum ſermonem tranſlator. Is itaque,libello de certaminibus,& peregrinatione SS.Apoſtolorum, cuius nunc vix paruum extat fragmentum.tom.7.Bibl.veter.Patrum,ità ſcribit de hoc itinere Petri.*Carceri mancipatus,ſoluitur ab Angelo: & occaſione perfidiæ Simonis Magi, Syriam diſcurrit. Ad hæc autem,& Pontum,& Aſiam,& Galatiam: & vbique ſeminando verbum vitæ,Romam peruenit,*Quæ quidem,& ſi Leo Magnus etiam retulit,cùm, ad Petrum ſermonem dirigens,ait:ſerm.1.de Apoſtolis. *Iam populos, qui ex circumciſione crediderant,erudieras. Iam Antiochenam Eccleſiam,vbi primum Chriſtiani nominis dignitas orta eſt,fundaueras. Iam Pontum,Aſiam,Cappadociam,Bithyniam,leg.bus Euangelicæ prædicationis impleueras,*&c. Ex his tamen cordatus lector intelliget,non haberi ita clarè à Leone, vt habetur à Sophronio, eas

Pro-

Prouincias,hoc ipſo itinere, quo Romam pergeret, fuiſſe à Petro peragratas.Quippe cum S.Leo miſceat Eccleſiæ Antiochenæ fundationem, cum prædicatione Euangelij per Pontum, Galatiam, reliquaſque Prouincias, quas enumerat. Et ſcimus nihilominus,ſeptem propemodum annis,antequam Romam Petrus pergeret,iam ab eo,Anthiochenam Eccleſiam fuiſſe fundatam. Complura item de hoc Petri itinere, diſtinctus narrare pergit Metaphraſtes,ſed quia, vt, certis argumentis Baronius oſtendit, is non vſquequaque fidus eſt auctor,tutius nos Leonem,& Sophronium audiemus, quamuis de his breuiſſimè ſcripſerint. Porrò Princeps Apoſtolorum,cum iam dictas Prouincias inuiſiſſet, in Thraciam profectus, Byzantinam fundauit Eccleſiam:quæ proinde,meritò gaudet,*quod primum Epiſcopum*, verba ſunt Epiſtolæ S.Agapeti in V.Syn.act.2.recitatæ,*primi Apoſtoli electione ordinatum receperit*.Poſtmodum è Thracia cum ſocijs in Italiam nauigantem, primum veniſſe Brunduſium:inde prædicata Chriſti fide,acceſſiſſe Hydruntum,inde Tarentum, inde Rhegium: & tranſuecto Scyllæo freto, Siculos inuiſiſſe,moxque Neapolim nauigio appulſum eſſe, nobis nunc eſt è vetuſtis monumentis,traditionibus,libriſque firmandum.Porrò,vt ab antiquiſſimis ad poſteriora teſtimonia deſcendamus,Occumenius in ſuo breui comment.de XII.Apoſtolis vniuersè ſcribit,Petrum peragrata Aſia,prædicaſſe primum in Italia,& poſtea Romæ.*Primus*,ait, *Petrus in Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia, Italia prædicans Euangelium Romæ tandem ſub Nerone crucifigitur*. Itaque quod vniuersè Oecumenius dixit,diſtinctè eſt nobis,ab alijs Scriptoribus, & Monumentis eliciendum.

Et primò quidem,aduenisse Petrum Brunduſium, ſuadet portus ille inſignis:& vetus,ac ferè perpetua conſuetudo, ex Vrbe in Orientem profecturis,Brunduſium appellendi: atque illinc,ſoluto nauigio per mare Ionium,abeundi ad Orientales plagas. Exemplis id demonſtrare,ſuperfluum iudico.Certè via Appia,vti ex Antonini Odæporico patet,eo potiſſimùm ſcopo eouſque producta eſt, quòd Romanis, Italiſque tritiſſimus olim eſſet,ex ea ciuitate,in Græciam tranſitus; & viciſsim è Græcia per eandem reditus.Fauent verò monumenta vetera Eccleſiæ Brunduſinæ : quæ traditione firmata,Principem Apoſtolorum, Brunduſium acceſſiſſe, conſtanter produnt.

Brunduſio autem, Hydruntum abijſſe Petrum, & itineris rectus curſus,& in primis vetuſtiſſima illa Eccleſia,quæ B.Petri nomine, & in ipſius illuc aduenientis memoriam,dicata eſt,vt tradit Roſellus in Hermetis Pymandrum lib.5.comment.II. Dial.5. ac denique vetera Hydruntinæ vrbis ſcripta,traditioque teſtantur. Hinc autem, Tarentum adijſſe, ibique dies aliquot manſiſſe,& illi ciuitati Amaſianum,quē in ſuburbij pomario quodam repeterat,ac deinde baptizauerat, Epiſcopum deſignaſſe, & ſecum Romam vſque duxiſſe, Ioanues Iuuenis lib.vlt. Hiſt.Tarentinæ cap.1.firmis ſpectatiſque argumentis oſtendit. Nixus videlicet,tum antiquis eius vrbis Commentarijs, tùm verò maximè S.Cataldi Tarentini Epiſcopi,vetere Romæ probato M.S.Lectionario.Idipſum Rhegini profitentur: tantique Apoſtoli hoſpitio,ipſiquoque iure,ac meritò gloriantur.Nam & Cardinalis Sirletus Calaber(nomen dixi,& ſatis eſt ad laudem viri toto Chriſtiano Orbe clariſſimi) ciuitatem illam Brettiorum, cui S. Marci vocabulum eſt,ita vocatam,eodem Iuuene teſte dicebat,quia Marcus Euangeliſta diſcipulus,& comes Petri,eo acceſſit, & fidē Chriſti vna cum Petro, Rheginis,

ginis,& Brettijs prædicauit. Quod quidem latius narratur in illo ipſomet Lectionario,à Iuuene verbatim exſcripto.

Cæterum aduerſus iam dictam, itineris Petri deſcriptionem, inſurgere poſſe videntur Tranenſes,Vrienſes,Andrienſes,& Sipontini. Atque adeo vniuerſi ferè Peucetij,Daunijque Apuli: B.Apoſtolum Petrum ad ſe certatim trahentes:qui illum,non nauigio, ad Campaniam, & Neapolim abijſſe,ſed vbi ex Ionio mari, littus Italiæ attigit, terreſtre iter, ad dexteram tenuiſſe,& per Daunios,ac Beneuentanos fines,perrexiſſe Neapolim, aſſerunt. Et verò,ipſi quoque oſtendunt vetera Eccleſiarum eius Prouinciæ monumenta. Eccleſias,videlicet,Vritani territorij,atque alibi ædificatas:quæ Petrum ijs locis excepiſſe teſtantur: & nonnullos etiam MM. SS. Codd. In queis præcipuum eſt vetus officium S. Richardi primi Andrienſium Epiſcopi,Romæ examinatum,& probatum. Horum illi auctoritate, aſſeuerant,B.Petrum Andriæ,& Siponti,prima Chriſtianæ fidei fundamẽta ieciſſe. His itaque perpenſis Hiſtorijs,ſic litem ego dirimere percupio, vt nulli tamen harum Vrbium videar refragari.Ac proinde, exiſtimo Beatiſsimum Petrum,non hoc primo itinere,neque hoc anno ſal.44. inuiſiſſe Apulos:ſed illac tranſiſſe,poſt quam fixa iam RomęCathedra,Vrbe diſceſſit,diuerſas Orbis partes peragraturus. Quod quidem iter, ſæpe illum feciſſe,inferius oſtendetur.Hac mihi ratione,viſum eſt omnia facillimè poſſe conciliari:nihilque obſtare, quin Petrus, primo Brundusium, deinde Hydruntum,mox Tarentum abierit. Inde verò Regium, Siculoſque petierit: Denique Neapolim,nauigio aduectus, Romam pedeſtri itinere peruenerit.Alioquin,ſi dixerimus,quod aliqui,vt Summont.lib.1.rom.1.pag.299. minus conſideratè dicunt, B. Apoſtolum primo Tarentum veniſſe, inde Hydruntum,inde Tranium, Sipontum, & Andriam, & ex Apulis ad Bruttios, Rheginoſque fuiſſe profectum, in magnas ſanè difficultates incidemus.Quis enim ſibi,aut alijs perſuadeat, B.Petrum poſteaquam Tarento, Hydruntum abijt,& inde Tranium,Andriam, ac Sipontum peruenit, rurſus per immane terræ mariſue ſpatium,quaſi turbine retroactum,ad Bruttios,Rheginoſque,hoc eſt,è ſupero mari,ad oras inferi,ſiue Siculi freti,deſcendiſſe?Neque ego ſolo meo arbitrio ſic digero acceſſum Petri,vt illum non primo hoc itinere, ſed ſecundo, aut tertio Apulos inuiſiſſe aſſeram. Nitor enim teſtimonio Apuleæ antiquitatis, à Franco in Hiſtoria S.Mariæ Andrienſis relatæ:in qua ille ſcribit. Petrum non ante annum à Chriſto reſurgente 24.iuiſſe Tranium,atq; Andriam. At verò quis neſcit primum Petri acceſſum in Italiam,longè ante ann.24.hoc eſt,decimo, aut vndecimo contigiſſe?

## *Maritimo ne, an terreſtri itinere, è Calabria Neapolim Petrus venerit.*
## *Sect.V.*

E Veſtigijs aliquot antiquis,quæ, vt ſuperius dictum eſt, Petri terreſtre iter,per Daunios, Peucetioſque ductum ſignificant, nonnulli ex ea regione arguunt, Petrum terreſtri itinere Neapolim acceſſiſſe.Quod quidem,ſi de primo eius aduentu intelligunt, falſum ſanè eſt: & tum antiqui illius Anonymi auctoris à me ſuperius laudati, qui ſcripſit

Tractatum de aduentu Petri ad Ciuitatem Neapolim : atque Ioannis Villani Hiſt.Neap..Scriptoris lib.1.cap.35. tum verò Baronij , quos Regius, Summontius,Romæus,Gordonus in Chron.& Panicarola libello de geſtis S.Petri magno conſenſu ſecuti ſunt,ſententiæ refragatur. Ea verò hac etiã coniectura firmari poteſt.

Ex recto, ſcilicet, itineris filo , quod iam ſupra ab Oriente vſque deduximus.Adſunt quippe,exempla quamplurima, & mos penè perpetuus, ex Oriente Romam petentium, qui legũtur Campanum littus nauigio per Tyrrhenum æquor attigiſſe.Proferam pauca aliquot,ſed illuſtriora.In primis,ille vt vetuſtiſſimus , ita & clariſſimus ſe nobis offert , Parthenopes filiæ Eumeli Regis aduentus:non quidem terreſtri itinere, quem tamen ingredi poterat, ſed nauigio ad Campanum hoc littus Columba duce delatæ : vbi poſtea ob eiuſdem nobiliſſimæ , & pudiciſſimæ Virginis memoriam, Ciuitatem conditam Græci illi παρθενοπην nuncuparunt.Sic quippe noſter Papinius Statius cecinit .

*Parthenope,cui mite ſolum trans æquora vecta,*
*Ipſe* Dionea *monſtrauit Apollo Columba .*

Vecta igitur huc eſt, trans æquora Parthenope : non autem per terram acceſſit.Romanis item è Græcia frequentiſſimè in Vrbem redeũtibus, ſolemne propemodum fuit, poſtquam Iapygium littus attigiſſent,ad Tyrrhenum deuergere:indeque nauigio Neapolim, Miſenumue , aut Puteolos, & dehinc Vrbem Romam appellere.Sic Titus Imp. ait Sueton. cap. 5. *Feſtinans in Italiam,cum Rhegium, dehinc Puteolos oneraria naue appuliſſet,Romam inde contendit expeditiſſimus* . Et verò Alexandrinos nautas , quotannis commeatum frumenti, ad Italiam conuectare ſolitos,Neapolim adijſſe , idem auctor his verbis planè ſignificat. Neron. cap.20. *Captus etiam* Nero Cæſar, *modulatis Alexandrinorum laudationibus,qui de nouo commeatu* Neapolim *confluxerunt*.Sic etiam Conſtantinus Magnus , vt Genebriſtus quidam antiquus,& hactenus ineditus Scriptor.lib.de Vitis Imperatorum,apud Iordanum,qui apud Nos eſt M.S.refert.*Ad Vrbem rediturus,primò in Adriaticum, mox enauigato* Ionio, *in Tyrrhenum deſcendit , & Calabram , atque Picentinam oram eradens , Neapolim deductus eſt.Ipſe ſtatim vna cum Matre Helena,è portu ſoluens,plenis velis intra paucos dies Brunduſium appulſus eſt:vbi neceſſe fuit,vt claſſis hybernaret. Inde ſoluens,Tarentum peruenit:Et mari tandem* Ionio *enauigato,in Baianum ſinum deſcendit.Nouus Cæſaris aduentus* , Neapolitanam Rempublicam *ſumma lætitia perfudit,illique obuiam ſollemni pompa,vt in Vrbem exciperet, ritè proceſsit* . Hæc ille , quiſquis fuit.Et Luciferum ſimiliter Caralitanum Epiſcopum,ab Oriente, quo exul fuerat,reuertentem , Neapolim perueniſſe, Marcellinus presbyter teſtatur in Epiſtola ad Valentinianum, quæ extat Tom.9. Bibliothecæ Patrum quartæ editionis. Sic denique,vt aliud idque ſanè conſpicuum afferamus exemplum,anno Chriſti 397. Melania ſenior, ex Orientali peregrinatione Romam petens , Neapolim nauigio aduecta deſcribitur à D. Paulino Nolano Epiſcopo epiſt.10.ad Seuerum his verbis.*Neapolim Vrbem breui ſpatio,à* Nolana,*qua degimus* Ciuitate,*diſtantem,adducta eſt.* Beata denique Virgo Patritia, è Græcia Romam aditura , Neapolitanum tenuiſſe littus , ſcribit Leo Presbyter in vita eius. Quòd ſi qui leguntur apprehenſo Brũduſino portu,triuiſſe viam Appiam,& per Daunios, Peucetios, Hirpinos, Campanos, Latinoſq; ad Vrbem pertexiſſe, ijs certè animus non fuit Cãpanum littus,aut littorales Campaniæ Ciuitates attingere , ſed propiorem

montibus itinere,inire Romam. Verum,quotquot è Græcia fretum Siculum,& hinc Romam profecti ſunt,omnes propemodum ad Vrbes Campani littoris,hoc eſt,Neapolim, Puteolos,ſeu Miſenum nauigio appulſi eſſe leguntur. Petrus igitur,quem Neapolim veniſſe probauimus, nauigio huc deuectus dicendus eſt.

## *Petri Neapolim acceſſus argumentis firmatur. Sect. VI.*

Apoſtolorum Principem veniſſe Neapolim, ibique Euangelium Chriſti diſſeminaſſe,iam hoc loco,multiplici,eoque ſolido teſtimoniorum genere fortiùs confirmare, erit quidem operæ pretiũ.Id igitur quatuor ſunt,quæ probent.Traditio,Lapides,MM.SS.Codd. & magnus numerus editorum Hiſtoricorum.

Et primò quidem traditio hæc,antiquiſſima eſt,quippe cuius initium, omnem hominum memoriam excedit: quamque cum lacte propemodum exſuxerunt,atque exſugunt Neapolitani Ciues: eandemque ſenes iunioribus,veluti per manus prebent,poſteriſque maiores. Huic planè traditioni patriæ,mirè conſonat,& fauet,ea traditio, quam apud Puteolanos, hodieque vigere, literis eius vrbis Ciuium,ætate, & morum grauitate præſtantium,dudum accepi.Videlicet, Petrum, cum Neapolim venit, & Aſpreno Præſuli,regendam Neapolitanam Eccleſiam dedit,Puteolis ſimiliter Celſum primum Epiſcopũ ordinaſſe, de quo ibi feſtum quotannis agitur Prid. Non.Nouemb.idque etiam ex antiqua inſtitutione: ſicut conſignatum legimus in peruetuſto Martyrologio Monialium Sanctæ Patritiæ, Ordinis D.Benedicti.

Adde lapides duos,qui in Diui Petri ad Aram: quorum Græcis alter, literis exaratus, in dextro cornu Aræ maximæ cernebatur: vt teſtatur Petrus de Stephano libro de Neapolitanis Eccleſijs. Latinus verò lapis,hęc habet carmina,à Schradero,libro de Monumẽtis Italiæ deſcripta, & euulgata:

*Quòd prima in Latio, Chriſto pia colla ſubegit*
*Parthenope,hic Petri præſtitit Ara fidem.*

Extabat præterea, his longè vetuſtior lapis, turri campanariæ, iam dictæ Aedis confabricatus:iſque aduentum Petri Neapolim,hodieque præclaro elogio teſtaretur,niſi Barbarorum exercitus, quo tempore ab eis capta, & poſſeſſa Neapolis eſt,hoſtili illum manu fregiſſet. Tantæ tamen antiquitatis memoriam, publicis tabulis conſcribi iuſſit Carolus hoc nomine Primus,Rex Neapolis. Verum enim verò quodnam, aut antiquius, aut illuſtrius reperiri,ſiue optari poteſt, de Petri aduentu teſtimonium, quàm ipſum Templum,quod Sancti Petri ad Aram dicitur, in tantæ rei memoriam iampridem extructum,ac dedicatum, quod Canonici Regulares incolunt, ipſo vocabulo aſſeuerans, quòd Neapoli à B.Petro.

*Ara panomphæo vetus eſt ſacrata Tonanti?*

Liceat hunc verſiculum ab Ouidio mutuari 7.Metamorph.Vera quippe,& conſtanti fama perhibetur, inque vetuſtiſſimis Codicibus ſcriptum legitur,eo loco,qui non admodum à mari remotus eſt,Principem Apoſtolorũ, vbi nauigio exſcendit,diuinum ſacrificium celebraſſe. Quod factum, nos

infrà

infrà fuſius exponemus,ac roborabimus. His prætereà,libens adijcerem, quod recentiores nonnulli afferunt, è vetuſtiſſimi Reſinenſis Templi antiquitatibus teſtimonium. Viri cuiuſdam nomine Ampelonis, à Petro ad Chriſti fidem conuerſi. Eſt enim Reſina Oppidum Neapoli finitimum, vt proinde, Petrum acceſſiſſe etiam Neapolim, inde proculdubio cognoſci queat. Verùm quia illa narratio multas habet ἀνακρονίας. Et quia tradit, Petrum eo acceſſiſſe,anno poſt Chriſti paſſionem vigeſimo, idcircò,cùm, non ad primum,ſed potius ad ſecundum B.Apoſtoli ad hanc ciuitatem aduentum ſpectare videatur, meritò eiuſmodi Reſinenſe teſtimonium nunc omittimus.

Tertiò,Codices MM. SS.ego ipſe vidi legique permultos: & quiſque alius poterit,qui diligenter Archiua, ac Bibliothecas excutiat Campaniæ, Italiæque. Recenſebo equidem ad præſens aliquot ſolummodo, priſco charactere inſigniores. Antiquiſſimum ſanè, & ante octingentos propemodum annos (vt harum rerū periti iudicant) literis Langobardicis ſcriptum,habebat in ſuo Muſeolo,Ampliſſimus, idemque eruditiſſimus Vrbini Archiepiſcopus Paulus Æmilius Sanctorius, celeberrimi illius Sanctę Seuerinæ Cardinalis ex fratre nepos. Alterum item,æquè fortaſſis antiquum Codicem apud Diui Renati in Picentinis, aliquot Neapolitanos Surrentinoſque Diuos enarrantem legerunt, atque exſcripſerunt è Noſtratibus multi: eiuſdemque exemplum,ante centum annos exceptum ſeruat noſtra Torenſis in agro Vicano Domus. Nunc è Diui Renati, aliò exportatum fuiſſe prototypon audiui,ac planè indolui. Porrò,ambo hi vetuſtiſſimi codices,vitam habent S.Aſprenatis,ſiue,vt alij vocant, Aſpreni, primi Neapolis Epiſcopi. Qua profectò,ſi non eleganter,dilucidè tamen,& diſtinctè narratur,B.Petrum,ab Oriente adueniſſe Neapolim: & Neapolitanæ Eccleſiæ à ſe fundatæ,præfeciſſe Epiſcopum Aſprenatem. His quoque adſtipulantur ſummo conſenſu,vetera eiuſdem Eccleſiæ MM.SS.Lectionaria, Martyrologia, Kalendaria,& ſacræ Tabulæ fide digniſſimæ. Quid? Nonnè & Atinenſis Eccleſia in vetuſto quodam codice,quo S.Marci primi Atinēſium Præſulis geſta narrantur, apertè ſcriptum habet,Petrum terreſtri itinere Neapoli Romam abijſſe,& Atinam in Volſcis vrbem,obiter inuiſiſſe? Ego ſanè codicem iam dictum non legi: ſed iure, ac merito habenda à me fides fuit Baronio,& Florio Vrbinati integerrimis Viris: qui ex eo deſumptum huius facti teſtimonium,cum fide retulerunt: ille Annali primo ad ann.Chriſti 44.num.16.Iſte verò in libello de Atinenſibus Diuis.

Ingens denique numerus eſt euulgatorum ſcriptorum omnis generis: qui rem hanc breuius fuſius teſtificantur.Porrò Beatum Lucam Euangeliſtam nunc profero: quem poſt Iſaiæ Vaticinium cap. præcedenti huc adductum,nefas eſt promiſcuè cùm cæteris numerare:ſed meritò dicere poſſumus,eum prælucere reliquis omnibus. Ipſe enim, cùm in Actibus Apoſtolorum deſcribit aduentum B.Pauli Puteolos,Act.28. verſ.14. prædicationem quoque Beati Petri videtur indicare,his verbis. *Flante Auſtro ſecunda die venimus Puteolos. Vbi inuentis fratribus, rogati ſumus manere dies ſeptem Puteolis.* Paulus inuenit fratres,hoc eſt,Chriſtianos. Id quippe, vigente tunc charitate,cognomen habebant Chriſtianæ legis Sectatores. Aderant iam igitur in ea ciuitate,ac regione Chriſtiani. Quæſo,quiſnam illos ad Chriſti fidem traduxerat ante Pauli aduentum? Certè non alius niſi Petrus. Nemo enim è Chriſti diſcipulis Italiam,Campaniamque legitur peragraſ-

ſe ante Petrum, vt ſacræ Hiſtoriæ periti, atque in ijs Baronius Cardinalis
Not. ad 11. Iunij probè notant, & adſtruunt. Itaque, ij Chriſtiani, quos
Paulus in Campanis vrbibus reperit, Petri Apoſtoli fuere diſcipuli: ipſo vi-
delicet, Neapoli, lociſque finitimis prædicante, ad veram fidem conuerſi.
Hoc ſacrarum literarum inſigne teſtimonium, de Beatiſſimi Petri ad Nea-
politanos acceſſu, ex illis Actorum verbis, elicuit etiam diligens explana-
tor Ioannes Lorinus, atque his verbis expreſſit. *Celebratur in Romano Mar-
tyrologio Sancta Candida Neapolitana Senior: quæ Sancto Petro ad eam vrbem ve-
nienti, prima occurrit, atque ab eo baptizata eſt. Id accidiſſe, Neapolitani annales fe-
runt, cùm primum, Petrus, Antiochia Romam venit. Et ſimul Aſprenum conuertit, qui
primus eius vrbis Epiſcopus fuit. Quare potuit Paulus, Puteolis Neapoli finitimis, fide-
les reperire.* Obſeruandum verò eſt, id argumentum eſſe adeo firmum, & ef-
ficax, vt doctiſſimus ille Card. Bellarminus, prorſus huic ſimile conflauerit,
ad Petri aduentum ad vrbem Romam, aduerſus hæreticos inſanè illum in-
ficiantes, adſtruendum. *Certum eſt*, inquit tom. 1. lib. 2. controu: *ante Pauli ad-
uentum, Romæ plurimos fuiſſe Chriſtianos. Quis ergo eos Chriſto lucratus fuerat? Nō
alius niſi Petrus.* Vniuersè autem, id docuit Summus, & Sanctus Pontifex
Innocentius Primus, in Epiſtola ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, 2
vbi, *Manifeſtum eſſe*, aſſerit, *omnem Italiam, Siciliamque, non ab alio, quàm à Petro,
aut ab eo miſſis, fuiſſe Chriſti legibus inſtitutam.*

Neque minus appoſitè, hoc ipſum elici fortaſſe poterit, ex vniuerſali
illo inclyti Belliſarij pronuntiato, quod Procopius lib. 1. de bello Gothico
diſertè refert. Id ſanè, & ſi, ſuperius memorauimus, hoc tamen loco, præ-
ſtat diligentius excutere. Belliſarius igitur, cum reſponſum legatis Neapo-
litanis daret, ſuaderetque, deditionem potius facere, quàm ancipitem belli
aleam, & duræ obſidionis ærumnam experiri, ſic inquit. *Neapolitanam ciuita-
tatem vetuſtiſſimam, ac incolas Chriſtianos Romanoſque, vt ab antiquo iam nactam,
ita & ad id tempus, intra ſe continentem, in miſeram hāc fortunam incidere, haudqua-
quam optauerim.* Aſſerit itaque Belliſarius, Neapolim *ab antiquo habuiſſe inco-
las Chriſtianos*. In quæ verba expendo illud *ab antiquo*, quod initium
ipſum rei, temporiſque de quo loquimur, planè ſignificat: idemque eſt, at-
que, A primordio. Sic enim ſumitur Act. 15. verſ. 21. (vt omiſſis alijs com-
pluribus exemplis, quæ ex Iureconſultis proferre poſſem, hoc vnum, quod
inſtar multorum eſt adducam) quo ſanè loco, *ab antiquis temporibus* ſiue, vt
græcè eſt ἐκ γενεῶν proculdubio, ſignificat principium legis Moſaicæ, de
qua tunc ſermo erat, B. Iacobo Apoſtolo in Concilio Hyeroſolimitano
perorante. *Moſes*, inquit, *à temporibus antiquis, habet in ſingulis ciuitatibus, qui
eum prædicent in Synagogis*. Paulò item ſuperiùs, cùm Beatus Pétrus inquit.
*Viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus, Deus, in nobis elegit, per os meum,
audire gentes verbum Euangelij, & credere:* quis non videt, his verbis tempus
illud, quo Chriſtus prædicare cæpit, & quo Petro prædixit, ſe homines de-
inceps, Euangelicis retibus eſſe capturum, apertè ſignificari? Id quidem
præclarè denotant exemplaria græca, quæ hoc loco habent, ἀφ᾽ ἡμερῶν ἀρ-
χαίων hoc eſt. *A diebus primis*. Quocirca vertit Syrus *Kadmaie*: quæ vox,
non ſignificat, niſi id quod iam pridem ab ipſo penè rerum initio factum
eſt. Ad hunc igitur modum, iure arbitror græco τὸ *ab antiquo*, in iam dicto
Belliſarij Principis oraculo, idipſum ſignificare, ac ſi dixiſſet. *Ab ipſo legis
Chriſtianæ initio*, Neapolim habuiſſe incolas Chriſtianos. O præclarum, &
inuidendum elogium!

Sed

Sed accedunt prætere a Scriptores alij anriqui, & recentiores ferè innumeri: qui rem hanc indubitanter aſſeuerant. In primis extat Procopij Chartophilacis Tom. 2. Surij ad diem 25. April. encomium de B. Marco Euangeliſta: quo, cùm illum Italis, hoc eſt, Calabris præcipuè, & Campanis prædicaſſe tradat Chriſtianam fidem, nos, non alio tempore, quàm cùm is Petrum ex Orienre Romã vſq; comitatus eſt, id accidiſſe, latè docebimus, cùm de hac ipſa re inferius ſermo redibit.

Porrò, præter hunc græcum orarorem, adſunt quamplures latini Hiſtorici, Noſtrates, ſcilicet, ac exteri. Videlicet duo Ioannes Neapolitani, alter S. Ianuarij Diaconus, in vita Aſprени. Alter cognomento Villanus, in ſuo Chronico Neapolitano. Petrus item Subdiaconus Neapolitanus: & Petrus alter Diac. Caſſinenſis: Atq; longo poſt hos interuallo, Volaterranus lib. 6. Geograph. Sigonius, Perrus de Stephano, de locis ſacris, Lindanus de Miſſa B. Petri, Leander in ſua Italia, Maurolycus, & Galeſinus in Martyrol. Guliel. Spirenſis Centenario I. Cont. Magdeburg, Baronius in Martyrologio, & in Annalibus. Pighius Herc. Prodicio. Stengelius in Vita Petri, alijque ſatis multi, id apertè teſtificantes. Quorum ego Scriptorum, idem prorſus affirmantium, verba ipſa referre, ſuperfluum, ac moleſtum iudico.

Nihilominus haud debeo Clementis VII. Pont. Max. grauiſsimum dictum, præter Diploma de Iubilæo Neapoli conceſſo, vllatenus omittere. Is quippe, in literis Apoſtolicis ad Ioannem Petrũ Carafam tunc Theatinum Epiſcopum, & B. Caietanum Thienæum, alioſque eorum Socios, Clericos Regulares Venetias, anno Chriſti 1534. ſcriptis. *Vobis*, inquit, *in virtute ſanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, vt aliquos ex veſtris Clericis, ad eandem Ciuitatem Neapolitanam, quam citius deſtinetis. Qui loca quæcumque oblataq; recipere, atque in ijs, diuino cultui, atque humanæ ſaluti ſeruiendo, iuxta Clericalia inſtituta, & veſtras laudabiles conſuetudines, Altiſsimo valeant, in virtutum exercitio famulari. Nè illius fidelisſimæ Ciuitatis, quæ fidem Catholicam ab ipſo Beatiſsimo Petro Apoſtolorum Principe, vt pie ibi creditur, acceptam, ſemper conſtantiſsimè fideliſsimèque ſeruauit, deuota deſideria, diutius differantur.* Hactenus Romanus Pontifex Clemens. In cuius verbis, illud prætere a obſeruatu dignisſimum eſt, Epitethon *fideliſsimæ*, quod Neapoli noſtræ, hodieque tribuirur, ob id illi potiſsimum inhæſiſſe, quia religionem Catholicam, à primo Chriſti ſæculo, ad hanc vſque diem, ſumma fide, conſtantiaque retinuit: hæreſeſq; in ea clanculum ſatæ, ſtatim iuuante Deo, euulſæ, atque extirpatæ ſunt. Sed redeo ad lineam.

Hoc itaque quadripartito teſtimoniorum genere, adſtruitur aduentus B. Petri Neapolim: atque adeo ipſa Neapolitana Eccleſia, his firmamentis ſolidè fundata conſiſtit. Verùm ſi & coniecturæ etiam rationabili, vti par eſt, detur locus, addere his pro coronide poſſum, Neapolim eiuſmodi eſſe, & tunc fuiſſe ciuitatem, quæ adeunte Romam Summo Paſtore Petro, Epiſcopalis ſedes conſtitui quodammodo mereretur. Nam, ſi in fundandis Eccleſijs primoribus, habita plerumque ſæcularis politiæ ratio eſt, vti ſanè habitam ab Apoſtolis eſſe, Clemens I. epiſt. 1. tradit, quis neget noſtram Neapolim fuiſſe viſam Apoſtolorum Principi, dignam in qua Chriſtianam Cathedram figeret? Vtpote cui Forum, Prætorium, Duum viros, Archontes, Sradium, Theatrum, Gymnaſium, & quod dici prius debuit, Templa, & multa, & ampla ineſſe cernebat? Hæc etenim illuſtrem, & celebrem arguere

gnere ciuitatem,Modeſtinus in lib.6.ff.de excuſ. tutorum, & Pauſanias in Phocid.docent.Videſis Pancirolum in Theſ. var.lect.lib.2. c.154.& 253.

## *Annus Christianæ ſalutis ſtatuitur, Petri Neapolim aduentus.* *Sect.VII.*

ANno Chriſti XLIV. Claudij verò Imperatoris II. Claudio II. & Licinio Largo Coſſ. Petrus ex Oriente Romam petens, multis diſcipulis comitatus,huc appulit.

Rem iſtam ſic breuiter colligo.Cõſtat ex Euſebij Chronico, Apoſtolum Petrum inijſſe Romam, anno ſecundo Claudij Cæſaris.Is verò annus, vti communior, meliorque chronologorum ſupputatio, nempe Onuphrij, Genebrardi,Baronij, & aliorum multorum, incidit maiore ſui parte in annum Chriſti quadrageſimum quartum,terminaturq; VIII. Kal. Februarij, anni quadrageſimi quinti. Extendebantur enim anni Claudiani, vſque ad IX.Kal.Februarij:quo videlicet die, Caius Caligula occiſus eſt. Ineunte igitur anno Chriſti quadrageſimo quinto, die decima octaua Ianuarij : videlicet,durante adhuc anno ſecundo Claudij,B. Petrus Romam ingreſſus, Cathedram ibi fixit Pontificiam. Ac proinde,ad finem anni à Chriſto naro quadrageſimi quarti,& Claudij Imperatoris anno ſecundo,illũ Neapolim adijſſe,benè ſcripſimus.

Ex Gymnico quinquennali ludo,qui Neapoli ad Olympiadum rerum imaginem, Octauiano Auguſto imperante inſtitutus eſt, poſſem id etiam tempus diducere,ſi de anno conſtaret,quo primum ludus cœpit. De qua re,adeundus Strabo lib.5.& Sueton:Octauian. cap.98.

Coſſ.ſcripſi eũdem Claudium II.& Licinium Largum.Hi fuere Coſſ. an.795.ab V.C.vt Dio lib.58.& Faſti Græci conſignant. Itaq; cum Chriſtus natus ſit ab V.C. ſecundum Varronianam ſupputationem, an.751. ſequitur,vt anno Chriſti 44.hi iam dicti,fuerint Coſſ. Siquidem annis 751. adiecti 44.faciunt 795.

Porrò,in hoc loco,obſeruare eſt, Neapolim Ethnicam in Liciniorum fuiſſe clientela.Vt lib.5.Genial.dier.cap.24. Alexander Neapolitanus aſſerit.Vtq;vetus teſtatur inſcriptio,à Capacio lib.1.Hiſt.Neapol.c.8.edita, his verbis.

ALFIO. LICINIO. V. P.
PATRONO. COLONIÆ. EX
COMITIBVS. REGIO THERMEN
SIVM. VERE PATRONO.

In Græca enim vrbe Neapoli,non eſt mirum extitiſſe Thermenſes,hoc eſt, Cilices.Nam ij,Piſidiæ Ciliciæ ſunt populi.Vt idem Capacius, græcæ antiquitatis apprime gnarus,ex antiquis lapidibus eo loco demonſtrat : Mos autem fuit,Appiano tradente lib.2.de bello ciuili,vt ſingulę nationes,atq; adeo,populi omnes,Romanæ Reipublicæ ſubiecti, Patronos Romæ peculiares haberent:qui viciſſim,clientibus,parentum loco eſſent. Hoc igitur anno,quo Licinius Conſulatum gerebat,facilè eſt credere,Neapolim ſperauiſſe,non ſolum tutam ſe fore ab iniurijs,ſed beneficijs inſuper maximis cumulandam.Atqui,faciente Deo,hoc ipſo anno,in medio Neapolis Ethnicæ,

nicæ,excitata eſt Neapolis Chriſtiana: quæ non iam Licinium,Romanum Conſulem,ſed Bethſai denſem Petrum, totius Chriſtianæ Reipublicæ Dictatorem verum,& cœlitus datum ſibi,Patronum,& parentem experta eſt. Et,quod ſupplices vouemus,ad nouiſſimum vſque diem, maximo omnium ciuium bono, experietur.

### *Annus item aſtruitur conditæ Parthenopes,ingrediente Neapolim Petro.*
### *Sect. VIII.*

INueſtigabit curioſulus aliquis,quiſnam annus Neapoli flueret ab eius ædificio,quando Apoſtolorum Princeps feliciter illam inijt? Cui reſpondendum cenſeo,fuiſſe ſeptuageſimum tertium, ſuprà milleſimū. Quam temporum rationem,ex Euſebij chronico,ſic colligo, quamuis ea ſit,diuerſis recentiorum ſententijs implicata. Euſebius igitur, Cumas in Italia conditas refert in annum Dauidici Regni 25.Troiæ exciſæ 131.Hoc eſt dictu,in annum mundi Euſebianum 3004.Diluuijque Noetici 1348.videlicet,ante Vrbem Romam,annis 298. ſiuè,vt alij 250. circiter. Et ante Capuam 606. Si verum eſt,quod à Diodoro, Nomenclator hiſtoricus tradit,Capuam fuiſſe extructam M.Genutio Agrippa, ſiue, vt alij, Augurino, & Curtio Philone Coſſ.Hi ſiquidem,ann.308.ab V.C.geſſere conſulatum. Colligitur item,extructas fuiſſe Cumas,antè Chriſti natiuitatem,an.1049. & ante Romanam Petri Cathedram 1094.Hæc de Cumarum, ſiue, vt in Euſebio eſt Cymarum origine,breuiter dicta ſint.

Parthenopen verò noſtram,fuiſſe conditam,anno circiter 20.poſt Cumas,hac ratione mihi videor euidēter poſſe colligere. Liuius ſcribit,Chalcidenſes, qui Cumas ædificauerant, ea ipſa claſſe nauigijſque, quibus è Chalcide vecti,appulſique ad littus Campanum fuerant, occupaſſe priùs Inſulam Pithecuſas,atque Ænariam. Deinde,& continentem mari proximam: hoc eſt,littoralem oram,vbi Neapolis eſt,acquiſiuiſſe.Ipſa Liuij verba libet repræſentare.*Palæpolis*,inquit.*fuit,haud procul indè,vbi nūc* Neapolis *ſita eſt. Duabus Vrbibus,populus idem habitabat. Ab* Chalcide *Euboica originem trahens, claſſe,qua aduecti ab domo fuerant,multum in ora maris eius,quod accolunt potuere. Primùm in Inſulam Acnariam,& Pithecuſas egreſſi: deindè in continentem, auſi ſedes transferre.* Hæc Liuius. Quem,extremis his verbis,Neapolitanam,ac finitimas littorales oras intellexiſſe,facile eſt cognoſcere ex Strabone,&Plinio: qui & ipſi,tum Cumas,tum Neapolim,Chalcidenſium opus fuiſſe ſcribunt. Nempè eorundem virorum, qui Cumas, aliquot annis antè condidiſſent. Quocirca,nonnulli veterum,qui ab Cumanis, Parthenopem ducere originem tradunt,nullatenus mihi diſſentire videntur ab ijs, qui Chalcidenſes aſſerunt auctores pulcherrimæ huius Ciuitatis. Ab ijs quippe,Chalcidenſes,Cumani appellantur,quod Chalcidenſes iàm Cumas condiderant,eaſque plurimis annis incoluerant: poſtquam, videlicet,ſedes fixiſſent in Cāpaniæ continente. Cùm igitur conſtet,conditam fuiſſe Parthenopem,ab illis ipſis Chalcidenſibus, qui Cumas condiderant, ijſdemque eos nauigijs, quibus è Chalcide aduecti,ad Cumanum primum,poſteaque ad Parthenopæum littus appulſos fuiſſe,profectò conſequitur, vt rectè exiſtimare poſſimus,nonniſi aliquot annis (viginti videlicet plus minus) poſt Cumas ædi-

ficatis,

ficatas,ipſos Parthenopem ædificaſſe: Idque viginti, aut triginta annorum ſpatium,ſatisfuit VelleioPaterculo,vt ſcribere potuerit.*Pars horum Ciuium, Cumano Chalcidenſium, magno poſt interuallo Neapolim condidit*. Magnum quippe eſt,viginti,aut triginta annorum interuallum,in hominis ætate,quę ſeptuaginta,aut octoginta circiter annis ferè concluditur.

Neque me repræhendere,Lector,Iure poteris, cerneus in incerto anno,conditæ Parthenopes,nos fundare,& ſtatuere tempus. Accidit quippe, vetuſtis valdè rebus,& cineroſa canicie venerandis, vt ſublimium montiũ inſtar,nube caput abſcondant. Nam, vt Capuæ,& Carthaginis incerta primordia nunc prætercam,Romam ipſam,Vrbium omnium celeberrimam, ſimili morbo dubiæ originis,palam eſt laborare. Videſis Hiſtoricorum diſſonantiam.L.Tarruntius,cui conſcutiunt plurimi,docuit Romam fuiſſe cõditam ſextæ Olympiadis anno tertio. Appollodorus cum Dionyſio Halicarnaſſæo, & Theophilo Antiocheno, Olympiadis ſeptimæ anno primo. Polybius,& DiodorusSiculus,Olimp.VII.an.ſecũdo,Fabius Pictor,Olymp. VIII.an.primo,L.Cincius Olymp.XII.anno quarto.Quidni, igitur, licebit mihi,cum longè minore temporis incertitudine,ad inſtar Romanorum Faſtorum,eius fundationis tempus extruere?

Dicet aliquis:Ergò Cumanis,Parthenopes ędificationem ego tribuo? Ità profectò:& cum tua,Lector,bona venia, prolixius id conabor adſtruere.Huius itaque Vrbis,quæ poſtmodum à Cumanis,qui eam diruerant,reſtituta,Neapolis dicta eſt,antiquiſſimam eſſe originem,illud ſanè declarat, quod diù ante Romam, & Capuam, celeberrimas illas toto Orbe Ciuitates,& de Imperio vniuerſi,ad proprium vſque excidium cõtendentes,fuerit feliciſſimè excitata. Quocirca V.C. Belliſarius, Parthenopem hanc noſtram, ab antiquitate potiſsimum laudat, apud Procopium lib. 1. de bell. Goth.& merito.Nam,Velleius Paterculus, Procopio longè clarior, & antiquior,non Roma ſolum,ſed Capua,Carthagine etiam,quæ ab Eliſſa Tyria,& Nola Campanorum,quæ à Tuſcis, antiquiſsimum ortum habuere, Neapolim vetuſtiorem feciſſe videtur. Vt,hiſtoriæ eius Romanæ librum primum attentè legenti,patebit.

Non ſum equidem neſcius,nonnullos Strabonem ſecutos lib.4.Geographiæ,Rhodijs eius ædificationem tribuere. Nonnulli item ſcripſere, Neapolim,vel ante Æneam,vel ab ipſo,poſt exciſam Troiam,fuiſſe conditam.Illud ſanè videtur cenſuiſſe Ouidius 14. Metam. Cùm deſcribens iter Æneæ Romam petentis dixit.*Parthenopeia dextra Mœnia deſeruit*. Sed profectò,eo loco Ouidius,figura prolepſi vſus eſt, quam Poetæ, atque etiam interdum Oratores, immò ipſæ quoque ſacræ litteræ vſurpant. Non itaque de Parthenope,quæ Æneæ tempore iam exiſteret, ſed de ea, ſua ætate florente,loquebatur Ouidius.Alioquin enim, Velleius, qui, vt probè Lipſius obſeruat,res Troiano excidio antiquiores,non attingit, & alij pleriq; omnes,qui Campanarum Vrbium origines tradiderũt,falſi fuiſſent,ſi Parthenope ante Troiæ cladem,diceretur ædificata. Neque etiam ab Ænea ipſo, fuiſſe Parthenopen extructam,quod ſcribit Alexander Abbas Cæleſtinus, lib. 3. de geſtis Rogerij Ducis Apuliæ, verius eſt, quàm quod idem ſæpè φιλόμυθος eodem libro narrat,eius Vrbis Dominum olim, Octauiano Auguſto annuente,Virgilium extitiſſe.

Itaque vetuſtiſsimus Lycophro in ſua Caſſandra,Phalerum eam ædificaſſe probabilius aſſerit. Vocatque idcircò Parthenopen φαλήρου τύρσιν, ideſt,

ideſt *Phaleri murum*, vel, vt alij vertunt *Arcem*: eadem nimirum phraſi, qua Virgilius vrbem Romanam ab Euandro Rege in Palatino fundatam, ſiue ampliatam, Æneid. 8. verſ. 313. Euandri Arcem appellat. Nimirùm, quod in ſublimi loco inſtar Arcis emineret.

*Tùm Rex Euander, Romanæ conditor Arcis.*

Quocirca, Stephano quoque de Vrbibus, & nouiſsimè Abrahamo Ortelio viſum eſt, Neapolim, Phalerum olim fuiſſe vocatam: quod apertiſsimè ante Stephanum, Pauſanias dixit: quem ſequutus Stephanus Niger Græcè exculciſsimus, & Leoni X. P. M. charus, ita ex Pauſania ſcribit in Dialogo pag. 70. *Phalerus etiam eſt ciuitas in Opicis: in quam Parthenope ex Syrenibus vna, eiecta eſt, qua Neapolis appellatur.*

Quis autem fuerit iſte Phalerus, nemo ex omnibus, quos legi ad veri ſcopum hactenus mihi collineaſſe videtur. Non quidem Iſaacius Tzetzes, græcus Lycophronis interpres, qui Phalerum Siciliæ Tyrannum eſt interpretatus. At nullum reperire eſt in tota Siculorum hiſtoria Regem, aut Tyrannum, nomine Phalerum. Ac miror id non vidiſſe, & Stephanũ Pighium Herc. Prodicio, atque Meurſium Schol. in Lycophr. ſed eos Tzetzis græculi litterionis errorem, clauſis oculis imbibiſſe. Alij verò recentiores, Phalaridem pro Phalero Lycophroni, & Tzetzi ſuppoſuerunt. Hoc eſt, amœniſsimæ, & humaniſsimæ Neapolis, truculentiſsimum illum Tyrannum Phalaridem (ſi Deo placet) conditorem faciunt. Quod tamen craſſum erratum, facilè eſt refellere, & apertæ falſitatis euincere. Tùm quia, ſcriptor nullus antiquus, nuperuſuè, tradit Phalaridem illum Agrigentinũ, aliquam extra Siciliæ fines, aut ædificaſſe, aut cœpiſſe ciuitatem. Tùm etiam, quod vniuersè, nuſquam gẽtium reperire eſt, Inſulæ Siciliæ Tyrannum aliquem, Campaniæ noſtræ quidpiam, Parthenopes temporibus, aut poſtea poſſediſse: excepto Hierone Syracuſano, qui per hebdomadas fortè aliquot, Pithecuſas habuiſſe legitur: vndè tamen ſtatim, vi erumpentium incendiorũ, abacti ſunt ij, quos illuc miſerat: vt tradit Strabo lib. 5. E contrario autem, Campanos, qui Mamertini, hoc eſt Martiales, ſeù Bellatores dicti ſunt, ſub Agathocle in Sicilia militaſſe, & partem quandam Siciliæ ad Pelorum regionis poſſediſſe, auctor eſt Polybius lib. 1. Atque eoſdem Campanos, iterum in Siciliam irrumpentes, Entellam, & Ætnam Vrbes occupaſſe, tradit Siculus ipſe Hiſtoricus Diodorus lib. 1. & 16. Dicendum eſt igitur, Phalerum, quem Lycophro memorat, non fuiſſe illum Phalaridem Siciliæ Tyrannum, ſed vnum ex ijs heroibus, qui ad Colchicam expeditionem traduntur profecti, & Argonautæ exindè vocati. Et certè omnes, qui eam deſcripſere, tùm Poetæ, tùm Hiſtorici, nempè Orpheus, Apollonius Flaccus lib. 1. Argonaut. & Pauſanias in Atticis lib. 1. vna cum Hercule, Iaſone, Theſeo, cæteriſque Ducibus, recenſent etiam hunc Phalerum: ipſumque, non ſolum in Campania Parthenopen, quod Lycophro ſcribit, ſed in Boetia quoque Cyrthonem vrbem ædificaſſe tradit Orpheus.

*Venit, & Alconis, Eſepo ab omne Phalerus.*
*Cyrtonem, validis muris, qui condidit vrbem.*

Magnus igitur hic Heros, magnarum extitit Vrbium ædificator, Cyrthonis ſcilicet, & Parthenopes.

Porrò in eadem prorſus incidunt antiqua tempora, ſcriptores illi, ſi qui ſunt, vt Angerianus, & alij quidam, qui ab Hercule extructam Parthenopen volunt. Hercules enim, Phaleri ſocius, non eſt profectò Phalero vetuſtior:

 tuſtior:

tuſtior. Quanquam, vt liberè dicam, ij qui Herculem, Parrhenopes auctorem faciunr, longè falluntur. Neque enim, vt putant, Herculis Campus Parthenope dicta eſt, ſed Cumę ſic dictę, & Cumanus ager, Bauli. Eo quippe, Diodoro reſte lib. 5. Iberos boum greges, Hercules duxit, indeque hi. boues Baulis fecere vocabulum, quaſi ***boum Caulis:*** vt noſter Sanfelicius in Chorographia Campaniæ doctè adnotar. Quin etiam, Marcianus Capella lib. 6. Philol. cap. de conditoribus Vrbium, Herculem, Oppidi Herculanij ad radices Veſuuij, auctorem fuiſſe tradit, non Parrhenopes. Hanc enim ab Syrenis ſepulchro dictam, rectè Capella exiſtimat, & tradit.

Igitur maximè omnium probabilis, ac celebris ſententia eſt, à Chalcidenſibus Attica ortis, Cumaniſque, fuiſſe conditam. Nimirum, ab ijs ipſis, qui profecti Chalcide Euboææ Inſulæ vrbe primaria, Cumas Campaniæ, primi condiderunt, atque inhabitarunt. In hanc conueniunt Liuius lib. 8. Velleius lib. 1. Plinius lib. 3. cap. 5. Strabo lib. 5. Stephanus de vrbibus, & Dionyſius Afer in Periegeſi, & ipſe etiam priſcus Latinus Poeta Neapolitanus Statius lib. 5. Silu. Plinius quidem breui compendio id narrat egregiè lib. 3. cap. 5. his verbis. ***Littore autem Neapolis Chalcidenſium, & ipſa Parthenopes a tumulo Sirenis appellata.*** Hoc autem ideò dicit, quod Chalcidenſes, qui Cumas condiderant, cum eo loco, vbi nunc Neapolis eſt, Parthenopes ſepulchrum reperiſſent, nomen eius Vrbi indiderunt. Sed Cumani, poſtquam loci vbertate, atque amœnitate maiorem in modum frequentari Ciuitas cœpit, veriti, ne Cumæ defererentur, diruendi Parthenopen conſilium iniere. Quo facto, mox immani peſtilentia vexati, oraculo, vti ferunt, admoniti, vrbem reſtituerunt, eamque ***Neapolim,*** hoc eſt, nouam vrbem vocauere.

Hæc porrò, præter auctoritatem ſanè maximam, tot, tantorumq; Scriptorum antiquorum, firmari nonnihil quoque poſſe, mihi videtur illuſtri illo monumento Chalcidicæ originis, quod ad hanc vſque diem Neapolis ſeruat. Equo videlicet priſcæ Parthenopes, eiuſque antiquioris nobiliratis, hoc eſt Capuanæ, & Nilenſis inſigni. Quippe, & Chalcidenſibus Equum fuiſſe παράσημον tradit, docetque VVaſerus lib. de Nummis: quod miror Vlyſſis Aldourandi diligentiam præterijſſe. Veriſimile igirur eſt, Parthenopenſes à Chalcidenſibus, præter vrbis originem, habuiſſe etiam inſigne bellacem equum: qui videlicet equitandi, & bellandi eximiam peritiam in ijſdem ciuibus olim futuram, bono omine præſagiret: vt & ab ijſdem Chalcidenſibus, & Arhenienſibus, inſigne noctuam accepiſſe, antiquus nūmus apud Capacium lib. 2. cap. 20. oſtendit: quo, altera parre, Parthenopes vultus, altera bos, Hebon, cum ſuperſtante noctua cernuntur inſculpti, his adiectis literis, Νεαπολιτῶν. At vtinam numus aliquis antiquus extaret, qui id nobis repreſentaret! Hæc verò tametſi coniectanea ſint, probabiliora tamen, & veriora fortaſſe ijs ſunt, quæ à quibuſdam, nullo auctore priſco laudato, adducta, atque edita leguntur. Opinantibus iſtum equum, Neapolis vetuſtum inſigne, prodijſſe è Dioſcuris Neapoli peculiariter cultis, in quorum patrocinio equi. Id quippe, ad hoc probandum, pertenue eſt argumentum. Quanquam enim non ſim neſcius, Cyllaro equo Caſtorem inſediſſe, cuius Seneca in Hyppolito, Arnobius lib. 1. contra gentes, & Suidas meminerunt. Conſtat tamen Caſtorum equum non nigrum, neq; badium, ſed album extitiſſe, Luciano teſte in Deorum Dialogo propè finem. Neapolis igitur niger equus, nequit referri ad Caſtores. Noſtram autem opinionem

nionem valdè probabilem facit vetus mos priſcarum coloniarum, ſuorum conditorum inſignia, ad perpetuam originis memoriam retinentium : de quo ritu, legendus P. Vict. variar. lect. lib. 36. pag. 419. Videri quoq; poſſet Neapolitanos cultores Mithræ, cui Iuſtino teſte lib. 1. Equus eſt Sacer. exindè equum in inſignibus prætuliſſe : ſed quia, vt tradit Apollod. lib. 1. Mithræ equus albus erat, Neapolitanus autem ater, ſiue ſpadiceus, illum proindè huc referre, niſi coactè, non licet. Cur autem Capuani Sedilis nobilitas, equum aureum pro inſigni vſurpet, Nilenſis verò atrum, adhuc me latet.

## *Quonam anni tempore Neapolim Petrus aduenerit. Sect. IX.*

DE anno quidem, nihil opus dicere. Iam enim ſupra probatum eſt, B. Petrum anno Chriſti 44. Neapolim acceſſiſſe. Sed quo menſe aut die? Dies certè hactenus ignoratur. Digna profectò, ſi ſciri poſſet, quæ perpetuis Faſtorum Neapolitanorum notata monumentis, anniuerſaria ſolemnitate celebraretur. Quemadmodum, dies, qua Petrus, itemque dies altera, qua Paulus Romam inierunt, Romanæ Eccleſiæ Faſtis conſignatæ leguntur.

Menſem autem, Noſtratum quidam Scriptores affirmant fuiſſe Decẽbrem, Summont. to. 1. lib. 1. pag. 300. Attamen enodanda eſt nonnulla, quæ hic obijcitur difficultas. Nam ex Actis S. Cataldi, Romæ probatis, atque à Ioanne Iuuene in Hiſtoria Tarentina productis colligitur, Petrum veniſſe Tarentum æſtiuo tempore, hoc eſt, Iulio, vel Auguſto circiter menſe. Sic enim Acta illa lib. 8. Iuuenis cap. 1. *Ingreſſus iterum ſcapham Petrus, per eundem ſinum* Tarentinum, *iterum nauigauit: cumque in Reguli ipſius Vrbis pomarium deſcendiſſet, rogauit horti cultorem, vt aliquantiſper, dum æſtiuus deferueſceret ignis, ibi ſe vna cum ſuis, quieſcere pateretur.* Quid igitur, inquies, illum ad Vrbem Romã, vt par eſt credere, properantem, totos quatuor menſes, hoc eſt, ab Auguſto ad Decembrem diſtinere potuit, in ijs Iapygiæ, Calabriæque locis? Verum enimuerò, ſi ea quæ ſuperius dicta ſunt, recolamus, profectò colligemus, peragrandos fuiſſe Petro, non ſolum Iapygios, & Salentinos, ſed Brutios quoque, &, vt Sicula monumenta teſtantur, nonnullam etiam Siciliæ partem. Quod certè per ſe ſatis lõgum eſt iter, & Euangelij inſuper, ſingulis ijs locis prædicatione, magis magiſque productum. Itaque veriſimile eſt, id non minore trium menſium ſpatio confici potuiſſe. Quinimmò, ex ipſis iam laudatis S. Cataldi Actis, atque ex Hiſtoria Tarentina, liquido habetur, diù illum in Brutijs fuiſſe. *Proſpiciens demum Petrus*, ſubijcit eodem libro, & capite Iuuẽnis, *fore, vt poſt hac vniuerſus populus Tarentinus, qui frequens erat, & pronus ad pietatis cultum, in Ieſum Chriſtum crederet, Rhegium vetuſtiſſimum Calabriæ Oppidum commeaturus, reliquit ibi Marcum. Is multos in prædicatione menſes expendit: & nullus illuceſcebat dies, quo Tarentini illi veteres cum accolis, ad fidem non aduolarent.* Et poſt nonnulla alia narrata, hæc ſubdit. *His omnibus, ea qua dictum eſt ratione, peractis, & omnibus iam in fide confirmatis, B. Marcus ad præceptorem ſuum Petrum, qui Rhegij commorabatur, abiuit.* Ecce, multos menſes, & Marcus Tarenti commoratus eſt : & in Brutijs Siculiſque fundandis Eccleſijs, eos B. Petrus expendit. Tunc quippe, tranſuadato freto Scyllæo, Tauromeniũ,

vt Pancratij primi eius Vrbis Epiſcopi Acta habent, & fortaſſis Syracuſas, Catanamque,atq; in primis Meſſanam,præſens adijſſe dicendus eſt. Legatur harum Eccleſiarum Tabulæ, ab Octauio Caietano in ſua Siculorum Diuorum Idea recenſitæ.

## *Quot, & quinam fuerint B. Petri comites.* *Sect. X.*

QVibus cùm ſocijs,Petrus è Paleſtina,atque Antiochia diſceſſerit, iam dictum eſt.Neapolim autem(quantum fas eſt arbitrari)illum veniſſe cenſeo vna cum Marco Euāgelij Scriptore:& cum Apollinare,Martiale,Priſco,Pancratio,Marciano, Birillo, Amaſiano, Proſdocimo,Ptolemæo,Paulino,Anathalone.Cū Leucio etiam,& Clemēte,alijſque nonnullis.Clemente,inquam,non illo,qui tertius à Petro,Pontifex Romanus fuit,ſed eiuſdem nominis altero, qui poſtea Metenſem Vrbem Epiſcopus rexit. Nam nobiliſſimum illum Flauium Clementem, rediſſe ex Oriente Romam,ante hæc tempora,facilè colligitur ex Recognitionum libris,ſi modò illi Operi fides debeat adhiberi. De ſingulis, quos nominaui,agendum diligenter hoc mihi loco eſt. Quòd tot profectò tamque inſignes comites,Principis Apoſtolorum ad Campaniam, Neapolimque acceſſum,quamquam per ſe ſatis illuſtrem,magis magiſque condecorarint.

In primis,cum quolibet Apoſtolorum,miſſum fuiſſe aliquem è LXX. diſcipulis Domini in miniſterium, his ipſis verbis tradit Prochorus in vita Ioannis Apoſt.cap.1.Prætereà vetera Acta B. Apollinaris primi Rauennatum Epiſcopi,vniuersè ſignificant, multos B. Petro acceſſiſſe comites. *In diebus Claudij Cæſaris*, ita incipiunt ea Acta à vetuſtiſſimo ſcriptore literis mandata,fideque digniſſima,*Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti Nazareni,Romam venit,cum multis Chriſtianis ei miniſtrantibus*. Si cum multis Chriſtianis Romam venit,vtique & Neapolim,cùm ijſdem venit. Nam Neapoli Romam pergens,vno tantum,præter eos,quos ſecum duxerat,nempe Marco illo altero,Atinæ poſt modum creato Epiſcopo,auctus eſt ſocio.Sed id vniuersè in eo commentario ſcriptum eſt. Nos ad ſingulos nunc deſcendamus.

De B.*Marco* Euangeliſta,nulla poteſt eſſe dubitatio. Cum enim certum ſit,illum cum Petro diſceſſiſſe ex Oriente,& veniſſe Romam: certè,& cum Petro,Neapolim inijſſe,credēdum eſt:Sed & hiſtorici veteres, apertè id produnt.Nam, præter ſcriptorem illum vetuſtum vitæ,& geſtorum Sancti Cataldi,quem ſuperius adduximus, Græcus auctor Procopius Chartophilax Laudatione in Marcum,apud Surium Tom.2.diſertè ſcribit,B.Marcum Euangeliſtam,in Italiam cum Petro veniſſe,atque Euangelium Chriſti,vna cum eodem,Italis prædicaſſe. *Ita*, inquit,*erant ſplendida tua* Diuine *Marce facta,ita illuſtria,& admiranda victoriarum trophæa. His enim,captiuos duxiſti aduerſantis exercitus* Imperatores,*tu,idiota ille,& olim rudis. His gentium errorem expugnaſti,tu inermis,& vnica vtens veſte.His armis vna cum Petro ipſo,& Petri filius,Italorum gentem ſubiecisti, ab Oriente Sole motus, & ad Occidentem aduolans, prædicationiſq; eloquium latè fundens,qua parte & Sol ipſe radios ſuos in extremos mundi fines ſpargit:Non ſophiſtica argumentorum via, & ratione: non comptis, & concinnis argumentationibus, ſed ſimplici oratione, & veritate ſola vſus, qua om-*

*nium*

*nium victoriam inexpugnabilem reportas*. Extremis his verbis (vt id obiter adnotem) ad illud 3. Eſdr. 4. 41. pulchrè adludit. *Magna eſt veritas, & præualet.* Pergit verò Procopius: ac prætereà ſignificat, B. Petrum Apoſtolũ, & Marcum eius diſcipulum ſociumque, in illis præſertim regionibus Chriſtiana dogmata prædicaſſe, in quibus Pythagoricam philoſophiam, quæ ideò Italica dicta eſt, vigere ſciuiſſent. Eæ autem regiones fuerunt, non ſolum Iapygia, & Calabria, vbi Pythagoras ſcholam aperuit, ſed tota propemodum Italia, & potiſſimum vicinæ Calabris regiones: videlicet, Apulia, Lucania, & Campania fermè tota: inque ea Cyme, Dicæarchia, & Parthenope, Grę canicę ciuitates: Immò totam Italiam percepiſſe Pythagoricam diſciplinã, teſtis eſt græcus, & grauis auctor Conſtantinus Laſcares lib. de philoſophis Calabris, Alphonſo Calabriæ Duci dedicato. Nam Pythagoræ legibus, Italicæ quæque ciuitates per 300. eius diſcipulos, vt Diog. Laertius ſcribit, reformatæ ſunt, & Ariſtoctaticam in rebus publicis adminiſtrationem acceptarunt, tenueruntque per ſæcula aliquot. Adeò feliciter, vt ea, quæ nunc ciuitas eſt exigua Puteoli, olim à Samijs condita, in magnam vrbem creuerit: atque quod caput eſt, ac iuſtitiæ principatu, rectiſque Samij Pythagore legibus, eo inuectis, Dicæarchia meruerit nuncupari. Eaſdem itaque Pythagoræ leges, vicinam Parthenopen fuiſſe amplexatám, diuque ſeruaſſe, nullus equidem dubito. Norunt quippe veterum hiſtoriarum periti, quantum Parthenope noſtra (vt de Cumis nunc taceam) græcis facultatibus imbuta fuerit. Quãtumque in Neapolitano illo celebri Gymnaſio, quod græca, latinaque lingua perſonaſſe, Aulus Gellius lib. 9. c. 15. tradit, græcorum Philoſophorum, & in ijs Pythagoræ viri, vt ita dixerim, Græco-Itali, doctrina, inſtitutioque inualuerit. Diogenes ſanè Laertius, in vita Pythagoræ, ſcriptum reliquit, illum *non in Calabria ſolummodò: ſed paſſim etiam per Italiam, non paucos reddidiſſe bonos,* vt ille putabat, *& doctos viros,* eundemque adire ſolitos, diſciplinæ ſtudiorumque cauſa, è multiſque varijſque Italiæ prouincijs, virtutis amantes viros, adeò confertim, vt non pauciores ſexcentis eſſent, qui noctu ad illum audiendum confluerent. Quamquam, ſub vano Philoſophiæ nomine fanaticam ſuam μετεμψύχωσιν, atque nouos ſacrificandi Dœmonibus modos, aliaque veræ ſapientiæ protſus contraria dogmata, hoc eſt, teterrima inficiendis animis venena, auditoribus ſuis Pythagoras inſtillaret. Egebat igitur Italia, & in primis Campania, cœleſti illa Chriſti Domini diſciplina: quæ vanas huiuſmodi, falſaſque Philoſophorum inſtitutiones confutaret, &, vt Sol Oriens, tetræ noctis tenebras, diuina veritate diſpelleret. *Quod enim* ſubijcit iam dictus Procopius, *omnis ratio expugnari facilè poſſit, niſi, ea quæ vera ſunt colat, & prædicet, ex hoc ipſo cognoſcere poteris. Pythagoras ille, cum falſas opiniones fortiter defenderet, & multas fabulas diſputaret, Italos perſuadere non potuit, vt illas retinerent. Illud idem, & Democritus cum ageret, Abderitam ſuis dictis auſcultantem habuit neminem. Orpheus autem ille, qui ſermone feras ipſas mulcere dicebatur, ciuibus ſuis Thracibus non perſuaſit. Atqui, omnes iſti, multa orationis copia redundabant; & inani quadam ſapientia elati, nimium ſibi placebant: in qua & omnes perierunt, & alto ac ſempiterno ſilentio obruti ſunt. Talis enim eſt falſa, & imbecilla gloria. Marcus verò ea proponens, quę abſunt ab omni iactatione, & à Spiritu ſancto edocentur, illos etiam ipſos, quos aduerſarios habebat, ad ſibi obediendum, faciles reddidit.* Hactenus ex Procopio. Quem non eſt mirum dixiſſe, Pythagorę inſtituta, atque doctrinam, non retinuiſſę Italos. Nam ex Laertio, in Prooemio ad Philoſophorum vitas, liquidò conſtat,

ſtat,Italicam philoſophiam à Pythagora inſtitutam,deſijſſe tandem in Epicurum.Qui praua doctrina,& voluptuoſa vita ſua, totam ferè Græciam, Italiamque miſerè corruperat.Hæc autem Procopij verba, nos huc adduximus, vt B.Marcum,vniuerſos pœnè Italos, hoc eſt, non ſolos Calabros, Salentinoſque,ſed etiam Campanos, Romanos, & aliarũ Italiæ regionum homines,à Philoſophis Epicuræis antea malè inſtitutos, ad veram Chriſti philoſophiam,Euangelij luce traduxiſſe,demõſtraremus.Procopius enim, cum Pythagora,Orpheo, & Democrito, B.Marcum comparat. Quòd vir iſte Apoſtolicus,eo potiſſimum tempore,quo ex Oriente, vna cum Petro, Romam venit,Iapygiam,Calabriamque,& noſtram Campaniam,græcanicas ſcilicet prouincias,vbi quondam Pythagoras: & Thraciam, ac Bithyniam, vbi Orpheus, & Democritus docuerant, Euangelium prædicando peragrauerit:iſtaſque prouincias,Chriſtianæ philoſophię inſtitutis imbuerit. Sed de Marco hactenus.

De *Apollinari* autem,idipſum tradunt vetera monumenta,atque recẽtes etiam Hiſtorici paſſim.Adi Baronium Tom.I. Annalium ad ann. Chriſti 44. Gordonum in Chronico,Sanctorium in vita Petri: alioſque harum rerum tractatores. Et verò,Paulus Diaconus in Chron. Epiſcoporum Metenſium,cum ſcribit, B.Petrum ſtatimac Romam peruenit, ex ſuo conſortio deſtinaſſe, atque ablegaſſe Rauennam Apollinarem, apertè ſignificat, illum iampridem in Petri ſocietate fuiſſe: hoc eſt, ab Oriente cum Petro veniſſe. Quòd & Ado Treuerenſis in ſuo Martyrologio planè aſſerit, dicens. *Hic ab Antiochia ſecutus Apoſtolum Petrum,& ab eodem Apoſtolo ab vrbe Roma miſſus Rauennam,rexit Eccleſiam annis* 28.&c. Inuiſit igitur Apollinaris Neapolim,vna cum Petro,cùm ambo Romam pergerent.

*Martialem* quoque fuiſſe Petri ex Oriente,Romam vſque comitem, nemo eſt qui neget,aut ambigat: Multi autem ſunt,qui adſtrunt. Nempe Ioannes à Monte,Canonicus Lemouicenſis, & ex eo Demochares Tom.2. de ſacrificio Miſſæ pag.43. Quippe qui, cùm aſſerant eum vnum fuiſſe è ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis,& anno Chriſti 47. hoc eſt, duobus annis poſt fundatam à Petro Romę Cathedram,inſtituiſſe illum Eccleſiam. Lemouicenſem,aliaſque complures,vtique ſignificant, cum Petro è Palæſtina Orienteque veniſſe. Sed ante hos, Gregorius Turonenſis lib.1. Hiſt. Franc.cap.30.& de Gloria Confeſſ.c.27.& 28. ac Petrus Epiſcopus Equilinus lib.6.Catalogi Sanctorum c.29.apertè ſcribunt, vna cum Petro, Romam vſq; veniſſe Martialem,indeq; ab eo fuiſſe miſſum in Galliam.

Venio ad *Priſcum* noſtræ Campaniæ Epiſcopũ: quem vnum è ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis extitiſſe,tradũt quotquot de eo ſcribunt: videlicet Beda,Vſuardus,Ado in Martyrolog.Petrus Equilinus lib.8. Catalog.Sanct.cap.17.& alij,atque alij.Hunc verò à Petro ab Oriente ductũ, & Capuæ datum Epiſcopum,non autem,vt nonnemo recentiorum ſcribit, Rufum,patet.Tum ex iam dictis Martyrologiorum ſcriptoribus: qui cum Priſcum, antiquum Chriſti diſcipulum fuiſſe aſſerant, vtique ſignificant, non poſt Rufum,ſed multo ante, hoc eſt, in prima illa Chriſtianæ fidei in Campania prædicatione,Capuanæ vrbi præfectum. Tum etiam,quod Rufus ille,qui Capuæ fuit Epiſcopus, non ad hæc, ſed ad multo poſteriora tempora pertineat.Nam diu poſt B.Petri acceſſum ad vrbem Romam,immò etiam,poſt eiuſdem obitum,Rufus à B.Apollinari, ex Patricio Rauennate,Chriſti ſeruus effectus,Capuam miſſus eſt,circa annum Domini octogeſimum.

geſimum. Vt in Catalogo Capuanorum Epiſcoporum, à doctiſſimo Card. Bellarmino, dum ſedem illam tenuit, recognito, ſignatum eſt. Et Epiſcopus quidem Equilinus, id apertiſſimè affirmat his verbis. *Hic*, Priſcus, *poſt Aſcenſionem Domini veniens Romam cum Apoſtolo Petro, in partibus Campaniæ Euangelium prædicauit Qui & apud Capuam via Aquaria depoſitus eſt* Kal. Septembris: *vt dicit Ado*. Venit igitur Priſcus cum B. Petro ab Oriente Romam. Ergo cò itinere Neapolim obiter adijt. Num verò Priſcus Latinus fuerit, an Græcus, non eſt hic locus perquirendi. Dicam ſolummodò, lateres eius vetuſtæ Ædis, quæ in veteri Capua erat, inſculptum Priſci nomen habuiſſe ad Romanum modũ L. ANSI PRISCI. Eſt apud me, vnus ex ijs lateribus, quem ſeruandum ſepoſui, dum rudera dirutæ cuiuſdam Ædis peruolutarem. Sed de his alijſque Capuanæ Eccleſiæ monumentis, diligens & doctus vir Michael Monachus primarij Tẽpli Capuani Canonicus, fuſè tractauit. Quem tamen non ſequor in iamdicti nominis interpretatione τὸ enim *Anſi* Romanum eſt, non autem, vt ipſe exiſtimat, Hebræum cognomen, Eſt quippe apud Gruterum inſcrips. DCI. 3. *Anſius Cæſ. Miniſtrat.* & ſparſim alibi apud eundem. *C. Ant.us Magius, M. Antius Apollonius. M. Antius Ennius Sergianus.* Ergo is later ſcriptus, ſignificat, eam Ædem eſſe *Lucij Anſi Priſci* Sancti Petri comitis, & diſcipuli Chriſti. Sicut, cum dicimus, ad Diui Pauli, ad Diui Ioannis, intelligimus, Ædem, aut Templum Pauli, & Ioannis. Porrò iam cœperant Hebræi, poſtquam Græcis, & Romanis aſſueti ſunt, nomina illorum indere filijs, græca, aut Romana, cuiuſmodi ſunt Timotheus, Stephanus, Oneſimus, Eleazarus, Æneas, græca vocabula: & Titus, Paulus, Lucius, Marcus, Romana.

De *Pancratio*, ſiue, vt apud Sophronium, ſed mendosè Brancatio: & de *Martiano*, varia eſt ſcriptorum opinio. Metaphraſtes Comment. de peregrinat. SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, apud Surium to. 3. ad 29. Iunij, auctor eſt, à Petro, dùm eſſet Antiochiæ, in Siciliam eos miſſos, ordinatoſque, illum Tauromeniorum, hunc verò Syracuſarum Epiſcopos. At verò illud abſurdum, & planè falſum ex hac opinione ſequetur, vt ante Petrum non ſolùm Barnabas, quod quidem auctores Græci, Alex. Monach. Encomio de S. Barnaba, & Dorotheus in Synopſi, apocrypho Clementis Itinerario fidem inconſideratè præſtantes, perperam opinati ſunt, & à Baronio doctiſſimè confutati, Notat. in Martyrolog. ad diem 11. Iunij, & To. I. Annalium. Sed etiam hi duo Siculorum Epiſcopi, in Occidentem, atque in Italiam perueniſſe, & prædicaſſe dicendi eſſent. Immeritò autem pro hac ſententia citantur Martyrologium Rom. & Menologium Græcorum, ab Octauio Caietano in ſua Idea Sanctorum Siciliæ pag. 120. Nam, legitur quidem in Martyrologio, & Menologio, miſſum fuiſſe Pancratium in Siciliam à Petro: ſed non, ab Antiochia. Itaque mitti ab eo potuerunt, poſtquam in Italiam venit. Itaque multò probabilius eſt, id quod ſignificauit Baronius, to. 1. Annal. ad ann. Chriſti 44. §. 10. videlicet, hos ſanctiſſimos viros, veniſſe Romam vna cum Petro, atque ab eodem poſtea, ex vrbe Roma fuiſſe amandatos ad Siculos. Nam B. Marciani Acta à Baronio Not. in Martyrolog. die 14. Iunij, & à Capacio lib. 2. Hiſt. Neap. pag. 606. laudata, teſtantur, hunc, & B. Pancratium, fuiſſe creatos Epiſcopos, & in Siciliam miſſos, poſtquam Petrus, Marcum Alexandriam, & Apollinarem Rauennam amandauit. Hoc eſt dictu, poſtquam Romam Petrus peruenit, & Romanam Cathedram ſtatuit. Quid? Nonnè Sophronius libello de certamin. & peregrin.

Apoſtol.

Apoſtol.ait *Epiſcopos,ex ijs qui eum comitabantur ordinauit,*quorum multis enumeratis,ſubdit *Martianum in Syracuſa Siciliæ, Pancratium Tauromenii*. Hi igitur Diui,ex ijs qui Petrum comitabantur fuerunt: atque adeò,poſtquam Italicam expeditionem Petrus abſoluit,Epiſcopi Siciliæ vrbium facti ſunt. Atque hoc pacto verum erit, id quod initio huius capitis dicebamus, hos etiam Diuos, vna cum Principe Apoſtolorum in trāſitu adijſſe Neapolim.

Id ipſum aſſeri debet de *Biryllo*, Catanenſi Epiſcopo. Nam is etiam Antiochenus erat, & cum Petro ſe iunxit ad vrbem profecturo: vt Catanæ antiqua traditio docet. Id etiam de B.*Proſdocimo* dici ſanè poteſt. Ex Patauinis enim antiquitatibus, Scardeonius refert,illum,Apoſtoli Petri fuiſſe diſcipulnm:& ab eo,Antiochia Romam ductum, iuuenem adhuc, ob eruditionem,& vitæ ſanctitatem,Patauinæ Eccleſiæ ordinatum Epiſcopum,illuc abijſſe,quo tempore Marcus Aquileiam,& Apollinaris Rauennam deſtinati ſunt.

De *Ptolomæo*,& *Paulino* iam ſuperius ſatis opinor probatum eſt, eos ſimiliter, fuiſſe Petri diſcipulos, & cum eodem Antiochia Romam profectos,indeque alterum miſſum fuiſſe Pantopolim, alterum vero Lucam,antiquas Tuſciæ ciuitates.Itaque non eſt hoc loco, idipſum, cum lectoris faſtidio repetendum. Illud nihilominus ex iam dictis liquido ſequitur, hos Beatos viros,antequam Romam accederent,Neapolim Campaniāq; ſimul cum Petro propemodum peragraſſe.

De *Hermagora* item, qui Aquileiæ fuit Epiſcopus, idipſum aſſeri poſſe,aliquis fortaſſe arbitrabitur. Eo quod, vti ex Eccleſiæ Nepeſinæ,& Sutrinæ antiquitatibus, Ferrarius lib. de Sanctis Italiæ refert, is etiam cum Apollinare,& Ptolemæo,atque alijs multis, B.Petrum ex Oriente traditur eſſe comitatus. Verùm enimuerò,huic ego opinioni non facilè conſenſerim. Quippe qui ſciam,primum Aquileiæ Epiſcopum,cenſeri Marcum: Hermagoram verò, Marci potius,quam Petri fuiſſe diſcipulum: atque à Marco,Romam ductum ad Petrum, vt illum poſtmodum præficeret Aquileienſibus. Quod ex Breuiario Aquileienſis Eccleſiæ, is ipſe Ferrarius tradit.

Omiſſo igitur *Hermogora*,venio denique ad *Leucium*,& *Clementem*. De quibus equidem habeo grauem,& vetuſtum Hiſtoricum Paulum VVarnefridum,initio Chronici Epiſcoporum Metenſium ita ſcribentem.*Igitur cum Petrus Romam peruenißet,illico quos ſummas quaſque vrbes in Occiduo poſitas, Chriſto Domino per verbum fidei ſubiugarent,optimos eruditoſque viros,ex ſuo conſortio direxit.Tunc denique Apollinarem,Rauennam,Leucium,Brunduſium, Anatolium, Mediolanum miſit. Marcum verò,qui præcipuus inter eius diſcipulos habebatur,Aquileiam deſtinauit. Quibus,cum Hermagoram ſuum comitem,Marcus præfeciſſet,ad B Petrum reuerſus,Alexandriam miſſus eſt. Ea igitur tempeſtate,cum apud Galliam Belgicam, Mediomatricum,quæ etiam Metis appellatur,ciuitas in ipſa Moſellæ amnis ripa poſita, copioſis populorum turmis abundaret, ad eandem* B.*Petrus Apoſtolus vrbem, Clementem nomine virum egregium,ac meritis probatum,ſublimatum pontificali dignitate direxit*. Hactenus ex VVarnefrido exſcripſimus. Vt ex his cognoſcere liceat,nos hand immeritò exiſtimare,etiam Clementem iſtum,& Leucium, vna cum Petro inuiſiſſe Neapolim. Quippe cum VVarnefridus dicat,eos fuiſſe ex conſortio Petri: hoc eſt, eius ſocios domeſticoſqne, & ſtatim ac Romam peruenit,ab eo fuiſſe ablegatos, illum ad Mediomatrices, iſtum verò Brunduſium,quis neget, eoſdem Petri fuiſſe comites, antequam Romam

mam

mam intraſſet,ac proinde vna cum eodem Petro, Neapolim adijſſe ? Nec verò quis,& VVarnefrido, & mihi obijcere poterit,Leuciũ Brũduſij Epiſcopum,multò poſteriorem his temporibus, hoc eſt, Imperatore Theodoſio,vt ex vet.Capuano Breuiario, & ex monumentis Eccleſiæ Brunduſinæ habetur,extitiſſe.Nam ego,duos Leucios, Brunduſij Epiſcopos fuiſſe non dubito.Alterum confeſſorem,qui Theodoſio Imperat.vixit. Alterum verò Martyrem,de quo S.Gregorius Papa lib.9. Reg.epiſt.73. & VVarnefridus loco iam dicto loquuntur.Neque opus eſt,hos duos, vt aliqui faciunt, in vnum compingere , quos tempus,profeſſio , & fortè etiam nomen ( hunc enim *Leontium* Gregorius appellat) diuerſos facit . Sed licet quis contendat,vtrique fuiſſe nomen Leucio,nihilominus,quia in alijs non conueniũt, duos extitiſſe Brunduſij Epiſcopos Leucios exiſtimandum eſt.Sicut Veronæ,duos Zenones,& duos Peruſiæ Herculanos Epiſcopos, doctè Baronius cenſet . Eadem denique ratione colligitur *Anatbolium* , ſiue *Anatbalonem* , *Amaſianum*,aliosque nonnullos,quos Petrum tunc ſecutos, apud VVarnefridum , & Ioannem Iuuenem iam ſupra citatos legimus , cum eodem Petro obiter inijſſe Neapolim,& in ea,vti par eſt credere, publicè, & per domos docuiſſe Euangeliũ:teſtificantes *Iudæis,atque Gentilibus in Deum pœnitentiam,& fidem in Dominum noſtrum Ieſum* **Chriſtum**,ſicut Paulum in Aſia feciſſe teſtatur Lucas, Act.20.

O igitur verè Felicem Neapolim. Quæ tot ſimul,tantoſque Diuos,ſinu ſuo,eo anno complexa eſt ! Non poſſum equidem me reprimere, quin mutuatus ex Prudentio περὶ στεφ.Hymn.IV.hos verſiculos canam.

*Omnibus portis militum ſacrata*
*Phalanx, excludit genus inuidorum*
*Dæmonum:& nigras pepulit tenebras ,*
*Vrbe piata.*
*Nullus vmbrarum, latet intus horror .*
*Pulſa nam peſtis, populum refugit .*
*Chriſtus in totis habitat plateis:*
*Chriſtus vbique eſt.*

## *Petri Neapolim ingredientis Aetas , Vultus , Cultuſque corporis exterior .*
### *Sect. XI.*

§. 1. *Aetas*.
§. 2. *Forma,& Vultus* .
§. 3. *Capillatura*.
§. 4. *Veſtimenta in genere* ;
§. 5. *Tunica*.
§. 6. *Pallium* .
§. 7. *Color* .
§. 8. *Cingulus*.
§. 9. *Calcei*.

§. 10. *Pileus.*
§. 11. *Baculus.*
§. 12. *Subucula, & ſubligacula.*
§. 13 *An plurimas ſarcinas veſtium, & commeatum geſtarint Apoſtoli.*

PEtrus itaque, ad vrbem Romam abiturus, per ſummum Dei erga nos beneficium, ecce Neapolim noſtram ingreditur. Gliſcit profectò animus, geſtitque feſtinus occurrere prę de ſiderio videndi magnum hunc *Cœli clauigerum: qui infernas leges, & tartari portas, atque omnia mortis clauſtra diſſoluit*: vt Hilar. loquitur in Matth. 16. Accedant itaque propius examina populorum: & noſtri maximè ciues: atque diſcant à paginis iſtis nuncijs vetuſtatis, id quod oculis non datum eſt intueri. iucundum apprimè erit noſſe, quænam vitæ eius tunc fuerit Ætas, cùm felicem Neapolim Galilæus ille *Mortalium ſummus adiuit.* Quis item eius vultus, & oris habitus. Quæ ſtatura corporis, & quale illius indumentum. Si productior erit hæc deſcriptio, excuſa me Lector. Verbum eſt, *Longam muſicam docet amor.*

## *Aetas.*
## §. *I.*

ET quidem, cum Neapolim Petrus venit, fuiſſe eum ætate integra, poſſumus arbitrari. Attamen quotum ageret vitæ annũ, neminem reperi, qui ſignatè conſtituat. In cauſa eſt, ſciri non poſſe, quo anno natus ſit: quanquam probè ſciamus, obijſſe eum anno Neronis decimo tertio: qui quidem annus, incidit in Chriſti ſexageſimum nonum: vt Baronius ſupputat. Nam, quod S. Hieronymus, & Euſebius dicunt, eum obijſſe anno Neronis quartodecimo, id Baronius negat conſtare poſſe (& bene negat, ſi annos à Ianuario menſe ſupputat inchoatos) Nero enim, inijt Imperium menſe Octobris, Marcello, & Auiola Coſſ. ergo decimus tertius completus eſt eodem menſe Octobris. Annum autem quartumdecimum, inchoauit quidem Nero, ſed non peruenit ad 29. Iunij: quippe cum obierit die 10. eiuſdem menſis. Petrus igitur, quotum ætatis ſuæ annum tunc ageret, difficilè eſt conſtituere. Gerardus Voſſius, in comment. ad Homiliam Chryſoſtomi de duodecim Apoſt. Petrum, aſſerit, obijſſe octogenarium: aitq; ſe id alibi demonſtraſſe. Nullibi tamen inueni, id ab illo factum. Porrò, ſi compertum id eſſet, indubiè ſciremus, egiſſe B. Petrum annum quintum ſupra quinquageſimum, quando Neapolim iniјt. Nam certum eſt, ab anno quo Romam petens, ingreſſus eſt Neapolim, vſque ad necem ipſius, defluxiſſe annos viginti quinque: qui adiuncti annis quinquaginta quinq; iam dictis, faciunt annos octoginta. Sed reuera, ſupputatio Voſſij prorſus incerta eſt. Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 9. concedit vitam produxiſſe Petrum ad annum octogeſimum ſextum. Quod eſt dictu, egiſſe annum circiter ſexageſimum, cum Neapolim, & Romam primum venit. Nihilamen ad id probandum Bellarminus affert: ſed tantùm affirmat, Petrum valde prouectiorem ætate fuiſſe Paulo. Paulus autem, annum ſexageſimum octauum expleuerat, cum à Nerone vna cum Petro interemptus eſt: vti

Chry-

Chryſoſtomus tradit Orat. de Princip. Apoſtolor.

Poſſet nihilominus, hoc ſaltem explorari: ſcilicet quòd Petrus cæteros Apoſtolos omnes ætate exceſſerit: facta videlicet comparatione cum ætate ſingulorum Apoſtolorum,& præſertim Andreæ fratris eius. Tradunt enim Chryſoſtomus Orat.de laud. B.Andreæ,apud Surium,& Proclus in Panegyrica oratione de S.Andrea,ac rurſus idem Chryſoſtomus, atq; eius ſequaces, videlicet Titus Boſtrenſis, Euthymius, & Theophylactus comment.ad illa Chriſti verba Matth.17. *Inuenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me,& te*,pro Petro ſolo, inter Apoſtolos ſolutum fuiſſe tributum, eo quod primogenitus eſſet,hoc eſt,Andrea fratre ſuo,ætate maior. Quod & Beda in illa verba Ioannis cap.1. *Duxit illum ad Ieſum*,apertè affirmat. Immò Ioãnes Caſſianus lib.3.de Incarnat.Domini cap.12.ediſſerens illud diuinum Petri reſponſum. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui* Matth.16. aſſerit,Petrum non dignitate ſolummodo,ſed etiam ætate, cæteris Apoſtolis fuiſſe maiorem. *Primum*,inquit,*Petrum decuit reſpondere: vt idem eſſet ordo reſponſionis, qui & honoris,& ipſe antecederet confeſſione,qui antecedebat ætate.* Sed hæc quoque via, in incertum ducit. Nam fuiſſe Petrum in domo ſua primogenitum, etſi valde probabile eſt, non eſt tamen prorſus indubitatum, refragante his auctoribus Epiphanio Iudaicarum rerum peritiſſimo, Hæreſi quæ eſt Alogorum: & affirmante, Andream fuiſſe Zebedæi primogenitum. Itaque & illud vniuerſale Caſſiani dictum,pariter corruit: aut certè vacillat. Ex his igitur cõcludo, illud mihi eſſe certum, nihil certi proferre me poſſe de Petri ætate. Si quis autem certius quidpiam conijciet proferetque, habebo gratiam coniectori.

## *Forma,& Vultus.*
## §. *II.*

Repreſentabo nunc Petri formam,cum Nicephori verbis: *Staturam, & corporis formam,quantum per deſcriptionem ſimplicem aſſequi licet, talem habuit Petrus. Non craſſa corporis ſtatura fuit,ſed quæ, aliquanto eſſet erectior. Facie ſubpallida,& alba admodum. Capilli capitis, & barbæ, criſpi, ac denſi, ſed non admodum prominentes fuere. Oculi quaſi ſanguine aſperſi,& nigri. Supercilia propè euulſa. Naſus autem,longior ille quidem,non tamen in acutum deſinens, ſed preſſus ſimuſque magis.* Hæc Nicephorus. Addo. Vultu eum fuiſſe benigniſſimo: hoc eſt,valde blando,& ſuaui. Sic enim B.Gregorius deſcribit apparentem Sanctæ Gallæ Symmachi Conſulis filiæ, quæ defuncto marito, ſeſe in Monaſterium apud Vaticanam B.Petri Baſilicam incluſerat. *Hæc itaque*,inquit, Gregorius Dial.lib.4.cap.13. *Nocte quadam, vidit B. Petrum Apoſtolum, inter duo candelabra ante ſuum lectum conſtitiſſe: nec perterrita timuit,ſed ex amore ſumens audaciam,exultauit, eique dixit. Quid eſt Domine mi? Dimiſſa ſunt mihi peccata mea? Cui ille benigniſſimo,vt eſt vultus inclinato capite annuit, dicens. Dimiſſa,Veni.* Cœterum colligere quoque eſt ex his verbis,ipſum etiam B.Gregorium, qui hæc refert,vidiſſe aliquando vultum Beatiſſimi Petri. Alioquin non dixiſſet, *vt eſt*, ſed quia,& ipſe eum vidit,potuit certò affirmare, vultũ Apoſtolorum Principis eſſe *benigniſſimum*. Quin etiam,tum Petrum,tum Paulum(de cuius etiam Neapolim acceſſu intra erit nobis tractatio)Nicephorus ſcribit,diuini propemodum,& vt ita dicam, flexanimi, vel cum morta-

 les

les eſſent,fuiſſe conſpectus. *Ambo*, inquit loco ſupra citato, *Chriſti diſcipuli, cum inſpicerentur,diuinum quiddam præſeferebant,Spiritu ſancto, & diuina gratia referti,vt,qui eos viderent fideles, & ex aſpectu ſolo, arcanam quandam,& latentem conciperent gratiam,moreſque,& vitam, vna cum fide, rite conformarent, & in melius conuerterent*.

Cur verò B.Petrus,oculos haberet *veluti ſanguine conſperſos*, diligenter expreſſit Ioannes Carpathiorum Epiſcopus, in Hortatorio ad Monachos Indos cap.81. his verbis. *Petrus, firma illa petra,horribili caſu depreſſus, non deflexit à tramite,nec fracto animo deſperauit:ſed ſuſtulit ſe, & è corde contrito, amariſſimas lacrymas obtulit,ipſiſque vt flammis rapidiſsimis,oculis ardentes habens,reſiluit longè fugiens,& acerbè eiulans.*

## *Capillatura.*
## S. *III.*

PEtrum item, non extitiſſe caluum, vt quidam recentiores ſcribunt, aut pingunt,multa ſunt,quæ probent. In primis,occurrit is,quem paulò ante appellaui, Nicephorus, apertè caluitiem in Petro negans,cum ait. *Capilli capitis,& barbæ,criſpi,ac denſi*. Quid enim eſt caluitium, niſi defluuium capillorum à capite,capitiſque nuditas? Inde, *caluata* dicitur vinea,à Catone lib.de re ruſt.cap.33.& à Plinio lib.17.cap.22. in qua ſcilicet,vites quidem ſunt,verum paucæ,vt in caluitio capilli. Præterea,extant hodieque nonnullæ vetuſtæ Petri imagines, quæ Nicephoro mirè cõſentiunt. Vt proinde putem,illum nonniſi ab antiquiſſima aliqua, & vera Apoſtoli effigie,deſcripſiſſe eam,quam adeò diligenter,ac minutè exequitur,Summi Paſtoris iconem. His accedunt,venerabilis Beda Hiſtor.Angl. lib.5.cap.22.& Germanus C.Politanus in Theoria rer.Eccleſ.Tom.6.Bibl. Patr. Qui,eo ipſo,quòd Petrum aliquando ad cutem raſum fuiſſe tradunt, caluum profectò negant. Nullos quippe capillos caluities habet, qui deradantur. Ab hac autem raſura qua B.Petrus decaluatus apparuit, ſuſpicor D.Clementem ſcripſiſſe neſcio quid de Petri caluitie. Idque Beatus Hieronymus referens,in illa Pauli verba ad Galatas. *Veni Hieroſolymam videre Petrum*. Non vt *aſpiceret*, inquit, *vtrum frontem veſtiret comis,an,vt Clemens in periodis eius refert,caluitiem haberet in capite*. Quod quidem Clementis teſtimonium (ſi tamen Clementis liber ille eſt, quem, teſte Epiphanio Hæreſ.30. Clemens ipſe explodit, vtpote ab Hæreticis deprauatum) facilè interpretabimur,ſumpſiſſe illum caluitiem,pro raſura.Sicut ſumpſiſſe videtur,& is, qui in vita S.Brunonis ait,apparuiſſe B.Petrum caluo capite, & criſpo capillo. Frequentiſſima videlicet acceptione hac apud ſacros profanoſque ſcriptores.Sic Deus Deuter.14.1.*Nec facietis caluitium ſuper mortuos*. In eos ſcilicet,qui luctu immodico, capitis, & ſuperciliorum capillos reſecabant, quos offerrent defunctis:vt docet Theodoretus quæſt.14. Sic etiam caluitium accipiunt Iſaias,Ieremias,Ezechiel,Amos,Micheas, & in eos B.Hieronymus,alijque interpretes.Sic S.Auguſtinus ſerm.1.de Sampſone: *Quare*,inquit, *decaluatus eſt Sampſon*? hoc eſt,capite raſus. Sic denique Plautus Act.1.ſcæ.1.v.vlt.in Amphitruone: alijq; innumeri,quos prętereo.

Meritò igitur,pictorum recentiorum turbam qui Petrum caluum faciunt ego nihilipendo.Quippe qui,eadem licentia poetis, vt ille ait,atque

pictoribus

pictoribus vſitata, omnes ferè Diuos, & Pontifices maximè, amant dedecorare caluitie. Quos contra D.Ambroſius 6. Hexam cap.9. vniuersè deprædicat, *cæſarie venerandos*. Sane quidem ipſemet Petrus, Conſtantino apparuit ad eandem vultus comæque formam, quam imago apud Silueſtrum Pontificem ſeruata, & Conſtantino Imperatori poſtmodum, cæleſti apparitioni firmandæ oſtenſa, repreſentabat. Ea verò, vetuſtate carioſa, etiamnũ, in Vrbe extare perhibetur, & exempla inde diligenter excepta, circunferuntur innumera, quæ profectò non comatum modo, ſed triplici etiam comæ gradu, felici videlicet naturæ prodigio, diadematum Petrum oſtendunt. Vt proinde, non ſine cauſa, Franciſco Riberæ de Templo lib.3. c.14. & alijs quibuſdam pijs eruditiſque viris, eiuſmodi triplicem comæ ſuggeſtum, triplicem thiaræ gemmatæ coronam, quæ in eius ſucceſſoribus emicat, feliciter portendiſſe videatur.

*An, quia ſceptra tenet dominati ditia mundi.*
*Rex, Pater, Auguſtus per tria Regna potens?*
*An, quoniam triplici Ter maximus imperat Orbi.*
*Cœlitibus, Terra, Tartareoque gregi?*

Affirmo. Scio equidem olim, nonnullos, decoris augendi gratia, crines certis gradibus artificiosè diſtinctos, in altum ſolitos fuiſſe attollere: quod Virgilius triplicem iubam dixit.

*Cui triplici crinita iuba galea alta Chimeram,*
*Suſtinet.*

Et Statius noſter Theb.4.

*Arduus Hippomedon capiti tremit area caſsis,*
*Ter niuea ſcandente iuba.*

At B.Petro, capillitij gradus, natiui erant, nullo ſuggeſtum comæ diſtinguente calamiſtro. Hic, inuidendam dico fauſtam ſortem Eccleſiæ Hirſaugienſis, ad quam, an.ſal.MXCI.de ſacra Petri cæſarie, tres crines è Palæſtina delati ſunt, & honorificè ſeruati: vt Trithemius narrat in Chron. Hirſaug.pag.89. & 90.

Nunc de Chriſti, & Apoſtolorum, atque adeò Petri veſtimẽtis agendum.

## *Veſtimenta in genere.*
## §.IV.

SVnt nonnulli è recentioribus, pij alioqui & docti viri, qui Chriſtum Dominum diſcipuloſque eius, veſtibus circumſpectè cohoneſtatos, & tantum non graphicè comptos imaginantur, & ſcribunt. Auctores, vt puto, propemodum imitantes, qui Chriſtum Apoſtoloſque veſtitu non eleganti ſolùm, & ſinuoſo, ſed etiam pretioſo, atque Indicis coloribus pellucido repræſentant. Excuſandi fortaſsè iſti ſunt, quia id faciũt, vt Dei Filium, Diuoſque Cœli, eiuſmodi ornamentis reddant aſpectanti populo magis venerabiles. Theologos autem, atq; Hiſtoricos, quorum partes ſunt, ſolidæ ſemper inhærere veritati, equidem excuſare non poſſum. Præſertim, quòd aduerterim, illos, vt ſuam ipſorum ſententiam roborent, inuitos huc trahere antiquos aliquot ſcriptores, eoſque quandoque apocryphos. Cuiuſmodi eſt, ſpurius ille Abdias, à Paulo noſtro Quarto, meritò ac iure pro-

proſcriptus. Qui Bartholomæum Apoſtolum, auſus eſt depingere ſerica, & gemmata veſte ornatum. Hinc fortè, vt mendacium mendacium parit, orta eſt fabella illa quorundam imperitorum, Bartholomæum Ptolomæi Regis fuiſſe filium, ſomniantium. Sed hæc alias. Ego verò ſtrictim, & obiter, de Chriſti loquor veſtimentis: alijs enim id relinquo copiosè diſſerendum, Apoſtolica mihi indumenta pro Operis argumento reſeruans.

Igitur vniuersè dico, Apoſtolos, eorumque diſcipulos, admodum vili, & abiecto panno fuiſſe conueſtitos. Id namque nobis tradit antiquitas. In primis Lucianus ille Samoſatenus, qui ſcribebat nefarios ſuos Dialogos Traiano imperante: hoc eſt, non multò poſt Apoſtolorum necem, ita Chriſti ſectatorem irridendo depingit in Philopatro. *Pallium putre ſine calceis, ac tegmine: capite nudo incedens, detonſa coma. Pallium*, inquit, *putre*: hoc eſt, valde detritum, & maculis fœdum, quale pauperrimi quique mendici gerunt. Iacobus autem Apoſtolus, diu ante Lucianum (ne quis putet illum odiosè rem amplificaſſe, vt Chriſtianorum oſorem) vno verbo idem propemodum ſignificauit. Cum Fratres, hoc eſt, primitiuos illos Chriſtianos conſolando, ait cap. 1. verſ. 3. *Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua: diues autem in humilitate ſua. Exaltationem* vocat vitam pauperem, atque ægeſtate ærumniſque vexatam. Vel per pulchram quandam ironiam, vel per metonymiam, eo quòd veræ, & æternæ ſublimitatis cauſa ſit, ipſa paupertas, vilitas, & ærumnoſa egeſtas, propter Chriſtum forti animo tolerata. Quemadmodum è contrario, *humilitatem* vocat, diuitis factum, & elati animi ſuperbas opes. Quia in futuro ſæculo, humiliatio illum manet, ac inenarrabilis contemptus, & abiectio. *Glorietur* itaque *frater humilis*, græcè ταπεινός, id eſt, abiectus, vili indutu cultuque, & ob id deſpectus ab omnibus. Hæc enim erat omnis tentatio, & tribulatio Chriſtianorum: quod ab omnibus deſpicerentur quaſi viles, abiecti, pannoſi, fæx hominum, ac Paulino verbo, *omnium peripſemata*, hoc eſt, reiectamenta, & ſcobes. Idipſum etiam de primis illis Chriſti ſectatoribus, tradunt Sancti, & antiqui Patres. Et magno conſenſu aſſerunt, Apoſtolos, cæteroſque illius ſæculi Chriſtianos, extremam pauperiem in rebus omnibus, & præcipuè in vili indumento cultuque corporis præſetuliſſe. Itaque Hieronymus epiſt. 11. ad Ageruchiam, *Apoſtoli*, inquit, *toto orbe peregrini, non æs in zona, non virgam in manu, non caligas habuere in pedibus*. Ex Euangelio Matthæi hæc B. Hieronymus excepit: poteratque addere ex eodem Matthæo. *Non peram in via, neq; duas tunicas*, mutatorias videlicet, quibus, diuerſis temporibus induerentur: vt Hieronymus ipſe in hunc locum interpretatur. Et hæc perpetuò Apoſtolis prohibita fuiſſe, intelligenda ſunt, iuxta mentem, tum Hieronymi, tum etiam Hilarij, Chryſoſtomi, Ambroſij, & Auguſtini: quos in hanc ſententiam rectè adducunt Eſtius, & Maldonatus. Nempe, non in illa prima ſolummodo, & quaſi velitaria Apoſtolorum ad Iſraelitas miſſione, vt nonnulli non benè exponunt: ſed in ea etiã, quæ ad Gentes, à Chriſto facta eſt, expeditione, Matth. 28. 19. Quod nonnulli, vt dixi, è recentioribus, hos Patres probè ſecutis, ſolidis argumẽtis euincunt.

Ij igitur, qui non binis veſtimentis, ſed vnico pallio, vnica tantum tunica, eaque non vlterius, quàm ad medium crus promiſſa (quam *veſtem operariam* vocat vetus auctor Cyprianus, vel quis alius, tractatu de cœnæ diſpoſitione, hoc eſt, breuem, & ad operandum aptam) non pluribus calceorum paribus, vti poterant: certè conſequitur, eos, ſicut pauperes faciunt, ea-

dem veſtimenta,& calceamenta,longo vſu detriuiſſe, ac ſic detrita geſtaſſe. Conſentit his Anonymus Orator orat.de caten.& glad.Petri,apud Surium tom.4.*Apoſtolorum*,inquit cap.23. *veſtes,atq; indumenta, multum illa quidem vilia ſunt,atq; abiecta.Sed ſi quis eorum decorem,& magnificentiam, qua mente comprehenditur,inſpexerit, Diuina, & Cœleſti gratia repleta eſſe, & Apoſtolicis miraculis nihil inferiora inueniet*. Idemque auctor Inducens Chriſtum,de hac re laudantem Apoſtolos,ait. *Vna fide conſentiẽtes voluntaria animi ſubmiſſione æternis digna muneribus,ſeſe occultantes. Veſtitu deniq; ipſo,ſummam animi humilitatem præſeferẽtes,multa ad me diſcipulorum millia traduxerunt, me tanquam inſigne ferẽtium*. Quid eſt autem *Veſtitu ipſo, ſummam animi humilitatem præſetuliſſe*, niſi vili,ac detrito indumento,interiorem animi demiſſionem oſtendiſſe? Et Chryſoſtomus,homil.5.in 2.ad Timot.Paulo Apoſtolo,*tenuẽ, abiectamq; veſtem* attribuit.Et hom.35.in Geneſ.*Philippus Diaconus*,inquit,*in ſpeciem vilis,& veſtitu abiectus v debatur*.Et in eandem ſententiam ſcripſit, hom.9. in epiſtol. ad Phil. Deum voluiſſe Apoſtolos non venerabiles veſtitu præſtare,ſed abiectos: nimirum vt nobis eſſent exemplo. Sed multo clarius hom.56.ad Pop.& hom.69.in Matthæum,Eliam,Eliſæum, & Ioannem Baptiſtam,*è camelorum ſetis,Apoſtolos verò è caprarum pilis*,veſtitos fuiſſe tradit.Cuius auctoritate freti Caietan.in Pſal.34.& Lyranus in Ioan.cap.10. inconſutilem illam Chriſti tunicam,aſperam fuiſſe opinati ſunt: *qualis eſt ſaccus, aut cilicium*.

Porrò dicta hæc,poſſunt valdè confirmari,Iſidori Peluſiotæ dicto:qui Chryſoſtomi diſcipulus fuit,ac eruditione, & ſanctitate conſpicuus. Hic igitur epiſtol.74. vniuersè docet, plebeios è Galilæa geſtare ſolitos vile quoddam *indumenti* genus,idque *retractim contextum ad inſtar pectoralium*.Sic vertendum puto participium illud ὑφανόμενον non autem conſutum: vti apud Billium, fortè librarij, aut typographi culpa legitur. Nam de veſte inconſutili loquitur,quæ certè dici non poteſt conſuta,ſed contexta. Texebatur itaque id genus veſtis *retractim*,& ceſſim.Nempe à ſuperiori parte ad inferiorem. *Inſtar*,inquit,*pectoralium*. In hunc quippe modum thoraces lanei,ſiue linei,vel cannabini, quos Iſidorus vocat *pectoralia* ſupernè texũtur,deorſum verſus. Quocirca, illam Chriſti tunicam inconſutilem tradit Ioannes cap.19.23.fuiſſe,*deſuper contextam per totum*. Ad quam certè B.Iſidor explicationem, palàm eſt accedere Scaligerum ſchol. ad Feſtum arbitrantem, hoc genus veſtis eſſe, quod à Feſto, & Iſidoro Hiſpalenſi lib. 19. etymol.cap.22.*tunica recta* vocatur,græcè ὀρθοστάδιον, quòd à ſtantibus ſupernè deorſum verſus texeretur.Plura non debeo ego aggerere,explicando iam dicto Ioannis loco: quem antiqui recentioreſque eruditiſſimè explanarunt. Colligo tamen ex iam recitatis Peluſiotæ verbis,quibus Ieſum Chriſtum(vtpotè in Galilæa montana,& paupere domo adultum)eiuſmodi rudi,& vili tunica indutum ſcribit,Apoſtolos quoque,qui fermè omnes fuere Galilæi,& vilis artificij homines,iiſdem vilibus,& pannoſis veſtimẽtis,tum more gentis,tum exemplo ſui Diuini Magiſtri,toto vitæ curriculo fuiſſe indutos. Nempe illos,vt profectò decebat, qui adeo pauperes fuerunt,vt B.Hieronymus abſolutè pronũciauerit:*Nemo Apoſtolis pauperior fuit*.

Claudat autem inſignium horum teſtium agmen,B.Petrus cognomẽto Chryſologus. Qui ſerm.20.hæc,vt ſolet,ornatè dicit: *Petrus, & Andreas, Iacobus,& Ioannes,germanitas combinata,immò congeminata paupertas,in Apoſtolorum Principes eliguntur,pauperes cenſu,obſcuri vita,loco humiles, viles arte, præſidio* 

*relis*,

*retis,ſoloque piſcium captu,victum veſtitumque conquirentes.* Quod quidem,extremæ paupertatis encomium, cæteris quoque Apoſtolis potuiſſe Chryſologum aptare,nemo puto negabit. Hæc igitur reddebant eos populo honorabiles, non decora veſtimenta:vt Petrus Lintrenſis vir alioqui valde doctus,Comment.ſuo ad Act.cap.3.exiſtimat.

## *Tunica.*
## §.*V.*

HIs itaque vniuersè dictis, nunc deuenio ad Petrum: quem more Iudæorum veſtitum fuiſſe tunica, & pallio,nefas eſt dubitare. Id quippe ex Chriſti Euangelio, & ex Actis Apoſtolorũ clarum eſt. Cuiuſmodi verò veſtes eius fuerint,viles nè,an pretio aliquo commendabiles,ipſe Petrus dicat. *Mea vita inſtitutum eſt,* inquit Clementi Romano loquens,*ſolo pane,& oliuis,raroq; oleribus vti. Vnaq; veſte,& pallio attrito,hoc ipſo quo me amictum vides, contentus.* Et adducens tantæ paupertatis cauſam, ſubijcit. *Ego enim,& Andreas frater, à puero,non ſolùm in pupillorum vita educati, ſed etiã inopia, & paupertate coacti,ita in opere,& labore verſati ſumus,& aſſuefacti, vt facilem nunc iſtum tam longi itineris laborem feramus.* Hæc B. Petri verba retulit Clemens in Epitome, quam edidit latinè à ſe verſam Perionius. Opuſculum haud certè ſpernendum. Inde enim apparet ſumpſiſſe B. Gregorium Nazianzenum,id quod in Oratione de amore pauperum ſcriptum reliquit:nempè,Petrum adeò anguſtam ſeruaſſe parſimoniam, vt *lupinis ſe aſſe aluerit.* Quid igitur?plebeiæ ſortis hominem,quique ſibi victum,illumq; quotidiano labore,ac tenuiſſimum,vna cum Andrea fratre comparabat: & vt Apringius Pacẽſis Epiſcopus tradit in cap.3.Apocal. *Calloſas manus* vtique ob remigandi aſſiduitatem *habebat,* deſcribere poterimus, vt quidam recentiores,leuiculis ducti argumentis faciunt,circumſpecta veſte conſpicuum?Equidem non faciam ego.Sed,cum iſtorum,quos attuli,aliorumque antiquorum Patrum auctoritate, deſcribam Beatiſſimum Petrum, eo modo, quo ſeipſe deſcripſit, paupere ſcilicet tunica, & *pallio detrito veſtitum.* Adeoque vili,vt id ſpolium, carceri præfectus, ſibi vendicare contempſerit. Quod elicitur ex illis Angeli verbis Act. 6. *Circunda tibi veſtimentum tuum,* hoc eſt pallium,*& ſequere me.*

## *Pallium.*
## §.*VI.*

ID verò pallium(vt & hoc minutiſſimum dicam) nullum habebãt collare:ſic quippe Iudaicæ genti conſuetum erat:oblonga videlicet pallia,abſq; additamento aliquo ſimpliciter definita geſtare. Sic & Pœnis qui Iudæorum propemodum imitatores. Nam Tertullianus Afrorum pallium deſcribens,de pall.cap.1.*Pallium,* inquit,*extrinſecus habitus, & ipſe quadrangulus.* Hoc eſt,ſimplex panni portio, vt videlicet à textrina ſumebatur,nullo adiecto artificio,nulla ſupernè adſuta panni plaga,ſiue collare. Fibulis tamen id erat ſupernè inſtructum,vt in fibulæ morem, quotieſcũq; *liberet,* cum Tertulliano dicam *ab vtroque laterum regeſtus,& ceruicibus circumſcriptus,*

*ſcriptus,humeris acquieſceret.* Sic Afrorum,& Tyriorum,atque adeò & Iudæorum geſtamen deſcribit,vir ille doctiſſimus,& latinorum Patrum antiquiſſimus. Simplex igitur eiuſmodi pallium,iaciebant in humeros Iudæi,Phœnices,& qui ab Phœnicibus, Pœni:vt, cùm *liberet,vnico,*inquit Tertull. *Circumiectu,omnia hominis contegeret*. Vidi ego Romæ Orientales aliquot huius ſimplicis formæ,& ſine collare aliquo,pallijs obuolutos : qui quadrangulis:hoc eſt, vt benè Bullengerus contra Cauſab. Diatribe 3. docet,quatuor pannis inter ſe iunctis conſtabat:ob id tetragonon ab Halicarnaſſeo dictū. Quocirca , nullo negotio , pallium Chriſti in quatuor partes ſciſſum eſt: quia,quatuor pannis inter ſe conſutis conſtabat. Ex his , ni fallor , elicitur,non admodum benè,pallia Iudæorum deſcripſiſſe Lucam Brugenſem, virum alioquin eruditiſſimum:cùm ait ad Matth.cap.23. ea nō fuiſſe aperta ante,ſed in lateribus. Ac proinde is, vt quatuor angulos , quos ſacra Scriptura edicit,in pallio vtcumque reperiret,non pallium, ſed Iudæorum colobium quadrilaterum vnà cum Serario Trihær. cap.3. deſignaſſe videtur. Sed hæc mitto:& cum Tertulliani verbis,gratulor Petri pallio. *Gaude pallium,& exulta. Melior te iam philoſophia dignata eſt:ex quo, Chriſtianum* immò Chriſtianorum Principem *veſtire cæpiſti.*

## *Color.*
## S. *VI.*

SEd cuiuſnam coloris,Apoſtolicæ hæ veſtes longiores?Breuiter dico. Petrum, & pleroſque Apoſtolos,tunicam , ſubrufam ſiue pullam , pallium,album geſtaſſe arbitror. Pleroſque inquam,non enim puto omnes fuiſſe concolores:vt poſteà Monachi fuerunt,hodieque ſunt. Enimuerò,vt varia fuit Apoſtolorum ars,atque inſtitutum, ita vario indutu, varieque coloratas geſſiſſe veſtes, & antiquæ ipſorum imagines, & veſtium reliquiæ produnt. Extant enim Romæ, Apoſtolorum aliquot veſtium fruſta. Videlicet,teſtibus Pancirol. de Theſaur. Rom. abſconditis,& Hugon. de ſtation. Vrb. Petri in Sancti Matthæi,& S. Pudentianæ:Pauli,in S. Matth. & S. Euſtachij:Ioannis,in Baſilica Lateranenſi, & Diuæ Mariæ de Campitellis,Thomæ Colobium,in Æde SS. Apoſtolorum. Hæc pretioſa ſcruta Romæ ſeruantur , oſtenduntur que incolis , atque ex omni Chriſtiano Orbe illuc confluentibus peregrinis. Varius profectò color, quamquam præ vetuſtate fugiens in his cernitur. Scribit quidem Alemānus Lateran. Pariet. pag. 80. Petri imaginem,quæ in Leonis III. Triclinio viſitur,referre illum cum tunica,& penula albi coloris. At id exemplum fruſtra eſt. Nam eo loco Petrus,non vt nauta proponitur , ſed, vt Romanæ Sedis Pontifex,ac proinde Pontificalibus infulis,hoc eſt,Hierarchico pallio,& triplici clane decorus.

Et quidem, priuatam Petri tunicam fuiſſe ſubrufam, ſiue pullā,quod idem eſt,præter veſtium ſcruta,quæ attuli,hæc etiam probāt indicia. Quod pauperum veſtes,vt diximus,ſunt vt plurimū natiui coloris:hoc eſt, ſubrufi,*bonato cupo*,quem B. Hieronymus vocat,*fuſciorem*. Pauperibus enim,ſat eſt deferre veſtimenta non arte, aut fuco, ſed natura ipſa colorata : vt ſunt albæ,aut ſubrufæ lacernæ,tunicæque. Alterum indicium eſt:quòd antiquiſſimi illi Monachi Antoniani, Pachomiani, & Baſiliani, in veſtium forma,& colore,Apoſtolos imitabantur:vt Caſſian. lib. 1. de inſt. r. monac. cap. 2. &

L fuſius

ſuſius atque clarius Gulielmus Duran. in Rationali diuin. offic. lib.5. c.3. teſtificantur. Cùm igitur, & ex imaginibus antiquis, & ex Monachorum indumentis, abundè conſtet, eorum tunicas fuiſſe pulli, ſiue ſubrufi coloris, hoc eſt ex rubeo nigricantes, affirmandum eſt, & Petri quoque tunicam fuiſſe ſubrufam. Denique (quod primo loco ponendum erat) Petri profeſſio, maritimæ artis fuit. Cui certè, ferrugineum colorem, hoc eſt, rubiginoſum, & ſubrufum conuenire, Plautus apertè oſtendit. In Milite enim glorioſo Act.4. Scen.4. cauſia, hoc eſt, nautico pileo, veſtibuſque ferruginei, & ſubrufi coloris, Pleuſidem inſtruit, naucleri perſonam induentem.

Tunica igitur nautæ Petri, ſubrufa, & pulla fuit: Annè, & pallium? Videri poſſet fuiſſe tunicæ concolor, ſi ex Plauto conijcere liceret. Sed auertunt me, imagines, & illa præſertim antiquiſſima, quam D. Silueſter Conſtantino Magno oſtendit, Petrum, & Paulum Apoſtolos, ſibi per quietem viſos, recognoſcere cupienti: quæ hodieque in Vaticana Baſilica ſeruatur, exponiturque quandoque populo veneranda: quæ albo amictum pallio Petrum refert: tametſi, albus color, in ſubalbidum, & ferè croceum, ob vetuſtatem abiecit. Non multo autem poſt, D. Ioanni Chryſoſtomo adoleſcēti, apparuerūt Apoſtolorum Principes, albis induti veſtibus. Albatus item, Theodoro Manſionario, apparuit Petrus ſolus, Greg. Dial. lib.3. cap.19. Sicut & albatos vidit per ſomnium, Theodoſius Imperator, Ioannem, & Philippum, qui & ipſi nautæ, & Petro conterranei extiterunt. Albatos præterea, antiquæ Romæ imagines, in Templorum abſidibus, Apoſtolos propemodum repreſentant. Denique ex Cod. Arabico de vitis Apoſtolorum, non ita pridem typis expreſſo, Petrus Chirchenius editor tradit pag.16. Apoſtolos vocatos fuiſſe *albos* in Arabiæ prima Eccleſia, à veſtibus albis. In Vaticano etiam Codice vetuſto, & carioſo, adeò, vt ex Leonis Allacij viri græcis literis, & varijs facultatibus excultiſſimi ſententia, ætate Iuſtini II. Imperatoris, ſcriptus fuiſſe videatur, proſtat imago Petri tunicati, & palliati.

In qua, duo eximia antiquitatis monumenta obſeruanda ſunt. Alterum, quòd tunica ſit coloris thalaſſici: hoc eſt, vt ſupradixi, ferruginei. Pallium verò exalbidi, candore, à temporis corruptione nitorem ſuum amittente. Et certè ſi Petrus, vt Apoſtolus, hoc eſt, vt Doctor Orbis, & Euangelij ſator conſideretur, non alio colore, in extimo ſaltem indumento, vti debuit, quàm albo. Tradit enim R. Selomo in caput 5. Canticorum, apud Iudæos, literarum profeſſores Doctoreſque, candidam veſtem geſtaſſe. Alterum, quod in extremo limbo, intextum habeat Γ gamma; illum nempe, quod à ſutoribus amputari ſolet, cùm è panno, veſtem formant. Sed, quòd Princeps Apoſtolorum, ad paupertatis, & humilitatis indicium retinuit, tranſiuit poſtea in gloriam. Nam apud Græcos cautum fuit, vt Hierarchicum pallium, quod in Sacrorum ſolemnijs Epiſcopi gerunt, duas tantum notas habeat inſutas Γ videlicet, & ✠. Idque cernere, & obſeruare eſt, in Epiphanij, & aliorum hierarchicis veſtibus. Hoc ipſum videtur inſinuaſſe Abdias, in ſua Hiſtoria Apoſtolorum. Quamuis enim ille liber exiſtimetur ſpurius, auctorem tamen antiquum, quiſquis ille fuit, redolet, ob multos vetuſtos ritus, & antiqua monumenta, quæ habet. Is igitur lib.8. Bartholomæi Apoſtoli habitum ſic deſcribit. *Induitur pallio albo, habente per ſingulos angulos, ſingulas gemmas.* Suſpicor, aut Codicis græci, aut latini interpretis errore, ſcriptum eſſe *ſingulas gemmas*, pro *ſingulas gammas*. Vel, ſi mauis legere

gere gemmas,intelligendus forte eſt,non de lapillis pretioſis, ſed de iam dictis Γ notis,intextis rudi panno. Accedit huic ritui antiquo firmando, quod de veſtibus dictis Gammadijs,ſiue Gammatijs, in quibus Γ gamma intexebatur,ab Anaſtaſio Bibliothecario dicitur in Leone IV.

## *Cingulus*.
## §. *VIII*.

NVnc de Petri cingulo agendum eſt. Licet autem potius dicere, præcinctum zona,quàm cingulo,Petrum. Tum quia,hoc vſus eſt vocabulo Chriſtus Matth. 10. 9. Marc. 6. 8. cum Apoſtolis inhibuit pecuniam gerere. Tum etiam,quia zonæ Orientalium,& maximè Iudæorum,vt plurimùm lineæ eæque latiores, quàm cinguli, qui ferè funicei, aut pellicei. Non ignoro confundi aliquoties cum cingulo zonam. Attamen lego Hieremiam geſtaſſe *lumbare lineum:* hoc eſt, zonam. Hierem. c. 31. Et Monachos præterea omnes, ex Pachomij, & Oreſieſis inſtituto, linea zona præcinctos. Arbitror id factum à viris illis religioſis, vt Chriſti Apoſtolos diſcipuloſque, cinctus quoque genere vocabuloque imitarentur. Eiuſmodi verò lumbari,ſiue zona linea,præcinxit ſe Petrus,vt Angelo obediret,qui dixerat. *Præcingere, & calcea te caligas tuas.* Et vniuersè quidem, omnes qui tunicis vtuntur,indigent cinctu:quo,vt Tertullianus ait. De Pall. cap. 4. *tunicam corripiant.* Ne videlicet diffluat ad pedes vſque, & greſſum impediat. Quin etiam,longum iter aggreſſuri,apertæ tunicæ alas,hinc inde ſublatas,zona religant,aut cingulo quouis. Noctu verò, ſi non libeat, aut non liceat lecto diſcumbere expoliatos,laxato,vel amoto cingulo, tunicam defluere ſinunt ad talos. Quod in carcere Herodiano feciſſe Petrum,Chryſoſtomus adnotat Hom. 3. in epiſt. ad Epheſ. *Propter carceris rigorem,* inquit, *ligamenta tunicæ ad horam laxauerat Petrus. Vt tunicam,* inſit Beda *circa pedes dimiſſa frigus noctis vtcumq; temperaret.*

Habemus igitur,Apoſtolorum Principem palliatum,tunicatum, linea zona præcinctum. è qua tamen pependiſſe gladium,quod græculus quidam commentus eſt,falſum ego exiſtimo. Quippe qui,ex antiquis Patribus,atque ex ipſo Euangelio,ſciam,vt infrà demonſtrabo, ne baculum quidem cuſpidatum,Apoſtolis licuiſſe deferre. Is verò, qui Petrum gladio armatum inijſſe Romam ſcripſit,neque Chryſoſtomus fuit,neque Proclus,neq; Germanus Cõſtantinopolitani Antiſtites: ſed ignotus quidã declamator: & inter opera Simeonis Metaphraſtę immeritò à græculo aliquo collocatus, ſub Chryſoſtomi nomine.

## *Calcei*.
## §. *IX*.

PEdibus Petri contegendis,caligas damus. Caligas, hoc eſt, gregariorum militum,& ruſticorum calceos, atque adeò pauperum hominum ſoleas:quas idem ſæpè apud ſcriptores eſſe, ac ſandalia, B. Hieronymus in Iſai. cap. 20. probè cenſet. Differunt verò à pedum integumentis ditiorum: quòd illa totum pedem, caligæ autem plantam ſolum-

modò muniant. Itaque ſi Caſſianum audiamus, illa Apoſtolis, Matthæi cap. 10. Chriſtus prohibuit. Has verò caligas,ſiue ſandalia,Marci cap. 6. permiſit. Immò & Chriſtus ipſe,his vſus eſſe ſandalijs perhibetur. Tradit enim S.Paſchaſius Abbas lib.6.in Matthæum,ſua ætate, Romæ monſtrari calceos Chriſti,ſiue ſandalia cancellata. Viuebat autem hic Diuus,ante annum Chriſti nongenteſimum, Sanè quidem,Petrum Apoſtolum geſtaſſe caligas,Lucas apertè narrat: cùm tradit,ipſi concluſo in carcerem Herodianum, dixiſſe Angelum,*Præcingere, & calcea te caligas tuas*. Quo loco Græcus,ac Syrus,*ſandalia* habent. Vt proinde,magis magiſque pateat,caligas à vilioribus,& inornatis ſandalijs,in ſacris maximè literis, non differre. Porrò vſitatæ Hebræis caligę fuiſſe legũtur,ſiue sãdalia,quę ad pedẽ ligulis vinciebantur: quemadmodum hac etiam ætate, in Hiſpania gregarij milites:& ruſtici quoque noſtrates faciunt. Crura quippe tibialibus non tegebant priſci,ne locupletes quidem. Sed hi ad ſummum faſcijs decorè vinciebant,quæ ob id dictæ ſunt *crurales* in l.argumento,ff.de auro,& arg.leg.Deque his Cicero in Clodium. Cato apud Nonium.Plinius lib.8. cap.57.Columella lib.7.Val.Max.lib.6.cap.2.Breuiter eas deſcribit Quintilianus lib.2.cap.3.*Faſcias eſſe,quibus crura veſtiuntur.* Tenuiores autem, vt dixi,ſupernam tantummodo pedum faciem,vittis ſiue etiam chordulis alligabant,crura alioquin tegere non curantes. Singula hæc,antiquæ ſtatuę, optimè repræſentant:& Apoſtolorum quoque imagines. Immo etiamnum ſeruantur iſtiuſmodi ſandalia,ſiue ſoleæ,Andreæ,& Petri: illa Treueris,hę verò Romæ,teſtibus Cornelio,& Lorino in Act. cap. 12. Inde ortæ ſunt apud Chriſtianos,crebræ pedum lotiones,Apoſtolorum ætate, & ſequentibus quoque temporibus vſurpatæ. Nimirum,vt immunditiæ ſeminudis viatorum pedibus inhærentes, abluerentur. Quando & ſordes quoque ipſas pedum,ante lotionem exoſculabantur ij,qui pedes lauabant. Vt B. Laurentium factitaſſe, Acta eius produnt. Viguit enim hæc pietas, atque charitas erga hoſpites,beatis illis ſæculis, quibus tamen,non vt conuiuis (quod nonnulli putant) loti ſunt pedes hoſpitibus: ſed tanquam peregrinis feſſis, ac puluerulentis de via: & ob id *lotio pedum Sanctorum*, hoc eſt, Chriſtianorum,à Paulo commendatur, Tim.5.

Cæterum,an prætetea Petrus, alijque Apoſtoli, caligas ſoleaſque ſuas,clauis ſuffixerint,tunc præſertim cum longiſſimo ſe itineri commiſerunt,incertum quidem eſt. Ipſorum tamen exquiſita pauperies,id credere perſuadet. Nota quippe res eſt, ruſticos paupereſque,clauatis incedere calceis: qui mos antiquiſſimus memoratur à Theophraſte Charact. mor. cap. 5.laudaturque in Equitio Abbate,à Gregorio lib.1.Dial. cap.4. & 5. Vt recentiora taceam exempla.S.Bernardini Senenſis,& B.Andreæ Auellini Ordinis noſtri,quorum ego clauis munita calceamenta,huius Neapoli,illius Romæ,vidi,& oſculatus ſum.

## *Pileus.*
## §.X.

Sed quæres: Geſſit ne pileum Petrus, an verò intecto capite ſemper fuit? Profectò,niſi me fallit opinio, neutrum abſolutè aſſeri poteſt. Nam,ſi viri Romani,vt priſci ſcriptores produnt,aperto quidem capita

pite,ſed non omnes,aut ſemper,& vbique apud Lipſium inSaturnal.erant. Quoniam in ſacris ipſorum,in ludis,in Saturnalibus,in peregrinatione, & militia: præterea liberti,ægroti, ſenes, conuiuæ, & ad nonnullum tempus prodeuntes è balneis,caput operiebant,vel lacinia togæ,vel petaſo contrà ventum,& æſtum: vtique de Iudæis quoque,& ſignatè de Apoſtolis,cum eadem propemodum diſtinctione locorum, & temporum,reſpondi huic quæſito debere,res ipſa exigit: & antiqui etiam ſcriptores iconeſque ſatis oſtendunt. Nam,vt plurimum,hos aperto inceſſiſſe capite,tum veteres repræſentant imagines,tum Lucianus iam ſupra appellatus ſignificare videtur,deſcribens habitum Chriſtiani,*ſine tegmine,& capite nudo*. At verò, cùm domo longius abirent,vel imber arcendus eſſet,aut æſtus,pileato, aut ſaltem palliolato capite erant: Quocirca, Tertullianus latinorum Patrum antiquiſſimus,caput pallio tectos,deſcribit Chriſtianos,his verbis pallium laudans. *Vt ſuper omnes exuuias auguſta veſtis pallium Chriſtianorum, ita ſuper omnes apices,& tutulos,acer ſuggeſtus*. Inquies lector. Quid pallio cum apicibus,& tutulis? Multum equidem. Apices enim,& tutuli,operimenta quędam decora erant,& nobilium capitum ornamenta,maximè Sacerdotum: vt Varro docet,& Feſtus. Affirmat igitur eruditiſſimus ille Afer,omnibus capitis operimentis,& ornamentis,palliorum lacinias, quibus Chriſtiani, præſertim cum plueret,aut Sol æſtuaret,in caput reiectis vtebantur,longo interuallo excellere:& id ſuggeſtum eſſe omnium ſacratiſſimum. Verum enimuerò,Beatiſſimum Petrum, cæteroſque Chriſti Apoſtolos, etſi alias ſimiliter palliorum lacinijs vſos pro capitis tegmine fas eſt, ex his quæ diximus arbitrari,in itinere tamen longo,aut cum nauticæ rei ſtuderent, pileum operiendo vertici adhibuiſſe, iure exiſtimo. Quis enim credat,totum Orbem peragraſſe Apoſtolos ſine pileo,quo imbres æſtuſque ſolis auerterent? Petro quidem,vt addicto maritimæ arti, hac etiam ratione tribuendus eſt pileus. Nam Plautus,non latinorum modò, ſed Punicorum etiam, addo & Hebraicorum morum & veſtium, probè gnarus (nam cum Hannone in Pœnulo hæbraizat adeò benè, vt in Iudæa fuiſſe natus propemodum videatur: quod certè eruditiſſimi quidam eius commentatores in Pœnulo demonſtrarunt) In Milite Act.4.Sce.4. nauitæ veſtimenta deſcribens,nauigaturo Pleuſidi,*cauſiam* ponit, & *pallium*: Capitis ſcilicet operimentum,& corporis.

Quod ſi aliquis obijciat,Nullam Apoſtolorum imaginem, exhibere illos capite opertos. Fateor. Cauſa tamen non eſt, quòd nunquam ſint vſi pileo: ſed quod,cœlitum capita,vice pilei,Diuinis radijs redimita, & reſplendentia debeant repræſentari. Ipſimet tamen Apoſtoli, cùm in terris viuerent,eo veſtimento,& capitis tegumento vtebantur, quod, pro gentis more,ſuæ ſorti & arti,eſſet conueniens. Vide Romanas antiquitates typis æneis inſculptas. Ibi,inter alios, quamplurimos vario capitum tegmine pileatos,eſt cernere:antiqui.ſ.piſcatoris,calamũ hamis inſtructum in mare mergentis,preſſo pileolo opertum caput. Atqui,piſcator erat Petrus: igitur pileatus. Neque enim,in pilei vſu diſcrimen fuiſſe arbitror, inter Romanos,Iudæoſque piſcatores; præſertim cùm Palæſtina ſeuiore æſtu ferueat,quàm Roma.

## *Baculus.*
## §. *XI.*

QVòd verò Perrus,baculo nixus iter facere ſolitus fuerir,cùm nauigio egreſſus,viam pedibus rereret, conſtat ex Actis, Vitaque S. Frontonis primi Petragoricenſis Epiſcopi, & ex Martyrologijs, Bedæ,Vſuardi,Adonis, NotKeri, atque aliorum complurium, narranrium Sanctum Frontonem,à Petro Romæ ordinatum Epiſcopum,& in Galliam,vna cum B.Georgio presbytero miſſum, hunc ipſum ſocium ſuum in itinere mortuum, baculo Principis Apoſtolorum cadaueri ſuperpoſito,ad vitam reſuſcitaſſe. Enimuerò,Apoſtolis omnibus, Chriſti conceſſu,licuiſſe virgam,hoc eſt,baculum in itinere gerere,palam eſt ex Marco cap.6.*Præcepit*,inquit,*eis ne quid tollerent in via,niſi virgam tantum.*

Neque obſtanr Chriſti verba illa, apud Matth. Apoſtolis, *virgam in via prohibentis*. Nam,eſt baculus ad ſuſtentandum in itinere corpus: & eſt baculus ad defenſionem armatus ferro: quem olim vocatum,*in fuſte ſpathã*, ex Ennodio liquet Epiſt.131. Hunc,Procopio interprete in Iſai. 18. illis prohibet,illum concedit. *Etenim, quia Domini habemus auxilium*, infit Hieronymus de baculo armato, *baculi præſidium cur quæramus*? Ille aurem cõuenit Apoſtolis,vtporè inſigne paupertatis, & vitæ laborioſæ. Quod & in Iacobo Patriarcha,qui ſimiliter baculo nixus, Iordanem tranaſſe legitur Gen.31.v.10.norant expoſitores: inter quos optimè Oleaſter. *Dicit Iacob, ſe in baculo ſuo,ideſt,ſine vlla ſuppellectili,ſine diuitijs,ſine armentis,& pecudibus,ſine ſeruis: ſed ſolo baculi comitatu, tranſiſſe Iordanem.* Certè Apoſtoli,veri Iſraelitæ fuerunt,& generoſa Iacobæa proles: qui ob Chriſti Ieſu amorem, & honorem,omni humanarum rerum copia deſtituti,in toto Orbe peragrando, & Euangelij legibus vbique prædicandis, ſe longè pauperiores Iacobo præſtiterunt,nudo baculo nixi. Vtque Ambroſius lib.6.in cap.9.Lucæ ait, *Nulla ſubſidii ſæcularis adminicula requirentes. Quippe qui, fide tuti, putarent ſibi quominus ea requirerent,magis poſſe ſuppetere.*

## *Subucula, & ſubligacula.*
## §. XII.

EXteriora hactenus B. Petri veſtimenta digeſſi. Nunc interiora, & quæ curi hærenr propius,libet exquirere. Et verò,an Apoſtoli,& præſertim ij, qui nauræ fuerunr, Petrus videlicer, Andreas, Iacobus,Ioãnes,Thomas,Nathanael,ſiue Bartholomæus, et ſi quis alius maritimæ deditus arti,ſubuculam geſſerint necnè,in vtramque partem ſunt argumenta. Negantem arripuit Scripror quidam recentior. Eò quod purer, Apoſtolos in vili,& paupere cultu corporis,Cynicos illos Sophos, aut ſuperaſſe,aut ſaltem imitatos fuiſſe. Cynici aurem, laneam runicam è rudi panno,ſuper nudum corpus ferebant. Quod hodieque ſanctè faciunr Monachi plerique arctioris inſtituti. Addi huic argumento poſſet. Si prærer tunicam è panno,alteram è lino interiorem admiſiſſent Apoſtoli, videri potuiſſent Chriſti præceptum violaſſe,duas tunicas prohibentis:quod quidem

dem non eſt dicendum. Denique tunica Chriſti inconſutilis, de qua Ioannes cap. 19. v. 23. lanea profectò erat: vt ij qui fruſtum eius aliquod, vel totam ipſam inſpexerunt, teſtari poſſunt. Eaque intima fuit, & carni hærens, vt Arias Montanus tradit in Ioan. 21. *Tunicam*, inquiens, *ideſt ſubuculam acceperunt, vt nudus omnino eſſet*. Videtur igitur veriſimile, Apoſtolos in hoc etiam veſtium genere, Chriſti exemplum eſſe ſecutos. Pro affirmante autē parte, facit, quod ſubuculam lineam, ſuper nudo geſtare, non eſt præter nauitarum inſtitutum, & ſortem. Videmus enim, vel pauperiores nautas, indutos ſubuculis è craſſiore tamen lino, aut cānabe. Orientales verò homines omne genus, adeò gaudent induſio lineo, vt pene in prouerbium apud eos abierit. Nam obſeruaui in Prato Sophronij, ſiue Ioannis Moſchi, adagium ſapere, id quod B. Abbas Coſmas in Laura Pharan, hoc eſt in Palæſtina degens dixit Ioanni Moſcho cap. 40. *Cum inueneris aliquid ex Opuſculis S. Athanaſij, nec habueris chartas ad ſcribendum, in veſtimentis tuis ſcribe illud*. Ex quo dicto, id profectò colligi poteſt. In Palæſtina, adeò vſitata fuiſſe induſia linea (lanea quippe inepta ſcripturæ ſunt) vt in adagium, ſiue certè in gnomam abierit, *ſcribere in veſtimentis*. Præterea fauet his, Philonis Iudæi de Therapeutis narratio, quòd interulam lineam gererent. In Ægypto quidem illi degebant, Iudæi tamen erant, hoc eſt patrij ritus cultuſque tenaciſſimi. Hæc vniuersè dicta à me ſunto.

Deuenio nunc ad Petrum. Scribit Ioannes cap. 21. Cum audiuiſſet Petrus, quod is, qui ipſis piſcantibus, & nihil piſcium illa nocte capientibus dixerat. *Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis*, Chriſtus Dominus eſſet, *ſtatim tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare*. Omnes loci huius Expoſitores, negant intelligi poſſe Petrum, dum piſcaretur, fuiſſe penitùs nudum; aiuntque, accipi debere τὸ *nudus*, pro ſeminudus, more piſcatorũ. Neq; *enim conueniebat*, inquit Euthymius, *vt omnino nudus eſſet propter turpitudinem*. Igitur cum piſcaretur, veſtimento aliquo nonnullam corporis partem Petrus operiebat, cætero corpore nudo relicto. Hoc eſt, cruribus & fortaſſe brachijs à cubito. Euthymius, tuniculam quandam imaginatur, manicis carentem, quæ corpus ad genua vſque contegeret, eamque ab ijs, qui in mari degerent vſitatam. Sed lanea nè, an linea fuerit tunicula iſta, nequaquā exponit. Nonnus Panopolita, coriaceũ fuiſſe tradit indumentũ. *Marinum indumentum circa nates voluens corium, quod geminorum demiſſum ad ſinus fœmorum, piſcatores geſtant, occultorum munimentum pudendorum*. Albertus autem Magnus, ſuo in hunc Ioannis locum commentario, paucis, & meo quidem iudicio optimè, rem expedit. *Erat*, inquit, *nudus: hoc eſt, nudalijs interulis, & fœmoralibus veſtitus*. τὸ *nudalijs*, ea profectò ſignificans indumenta, quæ nudo corpori proximè hærent. Hæc autem linea eſſe, maximè apud piſcatores, nemo ignorat. Lanea namque, aut coriacea, marinis aquis iniecta, & madefacta, fraceſcunt facilè, & conſumuntur. Habemus itaque, Beatum Petrum, lineam geſtaſſe interulam, linea fœmoralia, vtpote piſcatorem, & feruidè tunc ad Chriſtum adnantem. Quod certè ex recentioribus, & Contzenus, & Brugenſis, viri apprimè docti aſſerunt. Ille cum deſcribit Petrum, *leuibus veſtitum, & ad opus piſcationis habilibus indumentis*. Hic autem, *erat*, inquit, *nudus, ideſt, quaſi nudus, ſolis ventre, & genitalibus velatis, illo ſubucula, his ſubligaculo*. Deque his fortaſſe linteis veſtibus, dixit vetus ille, ſed incertus Auctor Encomij vinculorum Petri. *Vmbra, & lintea Petri morbos profligarunt*. Adde his, honeſtum pudorem profectò perſuadere, vt Petro, aliiſq;

etiam

etiam Apoſtolis,interulam,& ſubligacula tribuamus. Nam ſi Cicerone teſte, *Scenicorum mos tantam habet à vetere diſciplina verecundiam,vt in ſcenam, ſine ſubligaculo prodeat nemo.* Quantò magis id dicēdum eſt de Chriſti Apoſtolis?

Ea autem argumenta, quæ pro parte negante protuli, haud difficilè diluuntur. Nam,quòd Apoſtoli imitati ſint in veſtitu philoſophos Cynicos,id quidem dici non debet. Non enim Cynicorum,hoc eſt,eorum qui ſub ſpecie ſpernendi diuitias, & nobilitatem generis, humanam gloriam vaniſſimè aucupabantur,ſed Chriſti exemplum ſectabantur Apoſtoli, & illius ætatis Apoſtolici viri. Chriſtum autem geſtaſſe tunicam exteriorem, nulla alia ſuppoſita interula, quæ carni hæreret, quamuis Arias Montanus ita fuiſſe arbitretur,id profectò,neque è ſacra Scriptura, neque ex antiquis Patribus,probari poſſe puto. Et ſcio præterea,in Baſilica Lateranēſi,aſſeruari Chriſti tuniculam lineam:cuiuſmodi induſio, per totam etiam vitæ ætatem vſum fuiſſe,non eſt cur dubitemus. Denique non obſtat illud præceptum Chriſti iubentis,ne duas tunicas Apoſtoli gererent. Nam ſicut, Iuuenco interprete,Chriſtus non prohibuit calceos, ſed duo paria calceorum. *Nec plantis*,inquit, *tegmina bina*, ad eundem modum intelligendus eſt, non prohibuiſſe ſubuculam,& tunicam, ſed eiuſdem formæ duas tunicas, quibus, diuerſis temporibus vterentur, vt ſolent diuites habere vnam in præſentem vſum,alteram in futurum. Quod & B. Hieronymus probè obſeruat,hoc ipſum Chriſti præceptum edisserens. Quocirca,vnam,ipſos gerere tunicam laneam, & ſub ea alteram lineam, id quidem, neque Chriſti exemplo,neque præcepto aduerſabatur.

## *An plurimas ſarcinas veſtium, & commeatum geſtarint Apoſtoli.*
## §. *XIII.*

NEquaquam placet mihi Apoſtolicæ paupertatis profeſſionem attentè inueſtiganti, id quod nonnulli recentiorum imaginantur: Apoſtolos ſcilicet duabus ſimul tunicis,ſi neceſſitas,& frigus poſtularet,ſolitos indui,ſiue (vt verbo D.Bernardi dicam) *ſuffarcinari.* Refellit hos, Procopius Chartophilax Encomio in Marcum, dum admiratur, *inermem & vnica veſte indutum Marcum,vna cum Petro, Italorum gentem Chriſto ſubiecisse.* Adde Ioannem Chryſoſtomum,rationem etiam adducentem,cur Chriſtus adeò pauperes,& incultos miſerit,hom.34.in Matth.poſt initium. *Iam verò*,inquit,*vt intelligant* Apoſtoli,*nouum hoc eſſe belli genus,& inſolitum præliandi morem,cum illos nudos mitteret vna indutos tunica, ſine calceis, abſque virga,et abſque zona & pera,& ab excipientibus ali iuberet: non fecit hic dicendi finem, ſed inexplicabilem virtutem ſuam proferent,etiam ſic euntes, inquit, manſuetudinem tamen ouium oſtendite,quamuis ad lupos ituri. Sic enim virtutem meam maximè oſtendam,cum ab ouibus lupi ſuperabuntur.*

Hāc autem,ſi aperire liceat ianuam,multa quoque alia permittentur: omne,ſcilicet penu,& quicquid eſculenti poculentique ad vitæ vſum ſeruamus. Penora quippe eiuſmodi,definiente Feſto,ſunt *res omnes neceſſaria ad victum quotidianum*. Itaque,ſi dicamus licuiſſe Apoſtolis ſibi comparare in hyemem alteram,atque alteram tunicam: Licuit quoque prouidere rem frumentariam, quia neceſſaria: Licuit res omnes pariter neceſſarias,

ad

ad futuri temporis vſum, maturè conquirere: Licuiſ denique in itinere viaticum ſecum circumferre, & ante cœptum iter, pecuniam ciboſque hinc inde corradere. Hæc enim omnia, aliaque multa conſequentur, ſi illud ijs licuiſſe affirmetur. Acriorem enim neceſſitatem prebet dura fames ex inopia cibi, quàm frigus ex inopia indumentorum. At verò eſculenta vlla ſecum tuliſſe Apoſtolos, neque Euangelia, neque ſacræ Hiſtoriæ trâdunt. Enimuerò ſcimus, Apoſtolos, ſuas omnes facultates ſponte reliquiſſe, vt Chriſti Ieſu monita, atque exempla in paupertate, & omnium rerum egeſtate amplectenda ſequerentur. Quocirca omnes Apoſtolicos viros, ex Chriſti preſcripto, *ſine pane, ſine pecunia* deſcribit Ambroſius lib. 6. in Lucam. Qui, non ſolùm pecunia, & viatico omni à ſe prouiſo, & comparato, ſed ſignatè altera etiam tunica, diſcipulos Chriſti priuat, his verbis. *Neque vt duabus induantur tunicis, ſed per viam omnia facillimè, & frugaliſſimè ſumant. Frugaliſſimè,* inquit, *ſumant.* Quæ ſanè verba, ſignificant, non ſolum non debere eos è ſuo ſibi pœnu, de veſtibus, & commeatu prouidere: ſed ea etiam, quę alij ſpontè offerrent, nonniſi parciſſimè ſumere. Vidit hoc Victor Antiochenus, & Marcum Euangeliſtam exponens, ita ſcribit. *Tantum (ait ſeruator Apoſtolis) ab omni cogenda pecunia ſtudio, auaritiaque ſuſpicione, alienos vos eſſe volo, vt ne commeatus quidem cauſa (qua tamen res maximè neceſſaria vulgò haberi ſolet) quidquam omnino ab iis, apud quos hoſpitii gratia diuertitis, accipere vos ſinam.* Hæc ille. Cui profectò ſubſcribit Euthymius, inquiens. *Qui Regnum Cælorum annunciabãt, oportebat eos quaſi Angelos de cælo deſcendentes, leues, atque expeditos incedere.* Iudicem te nunc facio, Lector, ſitne leuis, & expeditus ille dicendus, qui pedibus (vt Apoſtoli) viam longam terens, præter ſubuculam, duabus inſuper tunicis, & craſſo pallio, incedit onuſtus? Hæc profectò veſtium ſarcina, non modo Apoſtolicæ paupertatis limen excedit, ſed incommoda quoq; & moleſta videri poteſt.

Beatus autem Hieronymus, à recentiore quodam, ſententiæ noſtræ obiectus, nobis potius fauere conſpicitur, cùm ait. *In duabus tunicis* à Chriſto prohibitis, *videtur mihi duplex oſtendere veſtimentum: non quo in locis Scythiæ, & glaciali niue rigentibus, vna quis tunica debeat eſſe contentus: ſed quo in tunica, veſtimentum intelligamus: ne alio veſtiti, aliud nobis futurorum timore ſeruemus.* Animaduerte Lector B. Hieronymum, cum ait, non ſufficere tunicam vnam, in locis præſertim niue rigentibus, nequaquam accipere *tunicam*, pro longa illa Iudæorum, atque Orientalium veſte, ſupra quam pallium geritur: ac proinde, non poſſe colligi, binas eiuſmodi tunicas, Apoſtolis eum indulgere. Sed pro altera tunica, pallium intellexiſſe. Lata enim ſignificatio tunicę eſt: adeò vt, Plinio teſte, arborum quoque & fruticum membranas, tunicas appellemus. Quicquid enim operit, tunica dici ſolet. Alioquin, ſi id vocabulum preſsè ſumatur, nemo vnquam vidit Apoſtolum aliquem pictum, aut ſculptum, duplici talari tunica, & longo pallio obuolutum. Quinimmo, Andreas, & Thomas, qui Scythiam, & Aquilonares frigidiſſimas terræ plagas peragraſſe leguntur, vnica, & paupere tunica veſtiti, in vetuſtiſſimis etiam imaginibus, apud Græcos, Ruthenoſque, antiquitatum valde tenaces apparent. Porrò, hæc ipſa, non de Petro ſolum, ſed de Paulo etiam Apoſtolo, imò magis magiſq; aſſeri debent: vt alias dicemus.

Sed quid plura huc de Petro congero, cum Petrus ipſe, ſe deſcripſerit, vt ſupra retuli, *Vna veſte*, hoc eſt tunica, *& pallio indutum attrito*? Quocirca, hinc etiam colligo, non minus Apoſtolos pauperiem veſtimentorum

amaſſe, quàm Diuum illum Cappadocē, qui toto vitæ ſuæ curriculo, Apoſtolos imitatus eſt, Baſilium Magnum intelligo, Euangelij preconem eximium, & ſplendidiſſimum Chriſtiani Orbis ſidus. Illi enim Gregorio conturbernali eius teſte, *tunica vna, & pallium vnum, ſtratus humi lectus*. His quippe verbis, Baſilij paupertatē, ac terrenarum rerum deſpicientiam, iſte deſcribit Orat. 20. Meminiſſe autem oportet, Baſilium multo tempore incoluiſſe frigida Euxini Ponti littora, & glacialia illa Armeniæ minoris confinia: nunquam tamen is, & nuſquam, plures tunicas legitur induiſſe: ſed tunicam *vnam, & pallium vnum*. O verè Apoſtolicum viruml

## *Quænam præterea B. Petrus Neapoli egerit?* *Sect. XII.*

DE conuerſis ad Chriſti fidem Candida, & Aſpreno, dicemus infrà. Sed cum in vita S. Aſpreni ab Alberico conſcripta, quæ apud nos extat m. s. dicatur, *Ad preces Neapolitanæ plebis*, Aſprenum fuiſſe factum Epiſcopum Neapolitanum, ea verba indicant magnum numerum ciuium Neapolitanorum, ad Chriſti Domini fidem, B. Petri prædicatione, atque miraculis, per illos paucos dies, quibus Neapoli manſit, fuiſſe conuerſum. Tam verò cita, & copioſa conuerſio, feliciſſimam arguit Neapolitanæ plebis facilitatem: immò efficaciſſimam diuinæ gratiæ ſuauitatem. Videlicet, vt ſanguinis Chriſti virtus appareret, qui prędixerat, Io. 12. 32. omnia ad ſe tracturum, ſi à terra exaltaretur. Præſtat autem nunc inquirere.

An B. Petrus diuinæ Miſſæ ſacrum Neapoli fecerit? Quod quidem indubitanter affirmo. Si enim rem altius repetere libeat: antiquiſſimum habemus Noe Patriarchæ idemq; ſacris literis ſignatum exemplum. Is enim ſtatim ac, nauigatio illa magnæ arcæ, feliciter deſijt, ſacrificium ſoſpitatori Deo legitur obtuliſſe. Quod fuiſſe pergratum Numini, verba illa declarāt, Gen. 8. *Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines*. Petrum igitur, finita iam nauigatione, Miſſæ ſacrum feciſſe Neapoli, congruum eſt arbitrari. Præſertim, eum idipſum alibi, & antea, & deinceps, ipſum alioſque Apoſtolos crebro feciſſe, in antiquis probatiſque hiſtorijs legatur: pro more, ſcilicet rituque primi illius Euangelici ſæculi Sacerdotum: quos, ſtatim ac Chriſtus in cœlum aſcendit, ſacrificaſſe quotidiè Chriſti corpus, non vno teſtimonio liquet.

In primis, Acta Apoſtolorum id apertè ſignificant cap. 2. ad fin. his verbis. *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione, & fractione panis, & orationibus.* Mox paucis interiectis: *quotidie quoq; perſeuerantes vnanimiter in Templo, & frangentes circa domos*, vel (vt græcè ſonat) *per ſingulas domos panem, ſumebant cibum, cum exultatione, & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum*. Quem vtrumque locum Syrus interpres, vt infra dicam fuſius, de pane Euchariſtico accipit. Præterea extat B. Andreæ Apoſtoli, illuſtris coram Ægea Proconſule cōfeſſio, relata à Presbyteris Achaiæ, qui eius martyrio interfuerunt. *Ego*, inquit, *Omnipotenti Deo, qui vnus, & verus eſt, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum Agnum in altari. Cuius carnem, poſteaquam omnis populus credentium manducauerit, Agnus, qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat, & viuus.* Hæc B. Andreas. Quotidie igitur liturgiam celebrabant Apoſtoli, & apoſtolici eius ætatis viri. Atque eo nomine,

mine, à Chriſto iudice laudibus, & premijs æternæ felicitatis fore cumulandos, tradit S. Hippolytus Portuenſis Epiſcopus, & Martyr, in Oratione de conſumatione ſæculi: Ieſum Chriſtum affirmans, hæc verba dicturum. *Venite Pontifices, qui purum mihi ſacrificium die noctuq; obtuliſtis quotidie.* Quis igitur nunc dubitet, B. Petrum, à quo, vt S. Anacletus Papa docet epiſt. 3. *poſt Chriſtum in nouo teſtamento, Sacerdotalis ordo cœpit*, ſi quando poſt longam nauigationem, optatum littus attigiſſet, diuinum ſacrificium ſtatim cœpiſſe celebrare, & pro more veteris Eccleſiæ, ſocijs ſuis cœleſtem panem adminiſtraſſe?

Quid? In ipſis etiã nauigijs, ſecũ geſtaſſe Apoſtolos, Chriſti Corpus, veriſimile eſt. Ab ijs enim id moris accepiſſe poſteros, qui illud geſtarunt, credi profectò debet. Satyrũ videlicet Ambroſij fratrem, teſte Ambroſ. in eius orat. funebri. Maximianũ Syracuſarum Epiſcopum apud Greg. lib. 3. Dial. c. 37. & alios multos, quos vetuſtæ laudant Hiſtoriæ. Solenne quippe erat antiquis itineri ſe dedentibus, Euchariſtiam ſecũ deferre. Quod abũdè conſtat ex Actis S. Tharſicij Acolythi, & Martyris, S. Stephani I. Papæ, & Martyris, S. Laurentij Epiſcopi Dublinenſis: & aliorum quos habet Suriana collectio. Quocirca, vetuſtus ille Auctor Cõmentarij imperfecti in Matthæum, qui inter Chryſoſtomi opera extat, tradit, Paulum Apoſtolum cum eſſet in naui, ſanctificatum panem, hoc eſt, Euchariſtiam, manu ſua porrexiſſe Lucæ alijſque fidelibus ſecum in Italiam nauigantibus. *Quod Sacerdos de manu ſua dat*, inquit Hom. 17. *non ſolum ſanctificatum eſt, ſed etiam ſanctificatio eſt. Quoniam hoc, non ſolum datur, quod videtur: ſed etiam illud, quod intelligitur. Vnde & Dominus in via, non ſolùm benedixit panẽ, ſed de manu ſua dedit Cleophæ, & ſocio eius. Et Paulus nauigans, Act. 27. non ſolùm benedixit panem, ſed de manu ſua porrexit Lucæ, & cæteris diſcipulis ſuis.* Scio à pleriſque Patribus, hunc locum Actuum Apoſtolicorum, non de Euchariſtico, ſed de vſuali pane accipi, atque exponi. Quòd, vt recentiores aliqui perpendunt, improbabile videatur, Paulum in naui, inepto videlicet ſacrificijs loco, adeò ſacrum myſterium peregiſſe. Sed non video, quid vetet, Incerti huius ſic exponere verba, vt velit dicere, panem Euchariſticum, alibi antequã nauem conſcenderet, à Paulo conſecratum, ab eodem poſtea in naui degente, ſocijs fidelibus, pro ſalutari cibo fuiſſe porrectum. Neque enim cogimur, ipſius verba intelligere, vt dicat, Paulum in naui, & ſacrificaſſe, & ſacratum, ac myſticum panem alijs porrexiſſe. Nihil ego nunc quæro, an ad Lucæ ſententiã, ea Incerti auctoris expoſitio collineet: ſed ſatis mihi eſt, adeò grauem, & antiquum interpretem, cenſuiſſe Paulum Apoſtolum, ſecum pro cœleſti viatico habuiſſe, diuinum Chriſti Corporis Sacramentum. Quid? Nonnè hanc ipſam expoſitionem B. Lucæ in Concil. Conſtantienſi, totum Eccleſię Pragenſis Capitulum produxit, in diſputatione contra Boemos? Adeatur Tomus tertius Antiquarum Lect. Caniſij par. 2. pag. 493. ibi profectò reperietur, ex hoc præcipuè B. Lucæ loco, probaſſe Theologos in eo Concilio, communionem vnius ſpeciei, contra Hæreticos illius temporis.

Sed, vt ad B. Petrum reuertamur, quocunque propemodum loco ipſum degere contigit, ſacra Miſſarum myſteria celebraſſe, Hiſtorici paſſim & Traditio produnt apertiſſimè. In primis, ipſo in domo Ioannis, in Monte Sion ſita, Miſſas celebrante, aduenit Spiritus Sanctus: vt de eo, alijſque Apoſtolis, vniuerſè tradunt Heſychius Presbyter in cap. 19. Leuitici lib. 2. Bertharius Abbas in ſerm. de S. Matthia, Proclus Epiſcopus C. Politanus

de traditione diuinæ Miſſæ, & antiquus quidam Anonymus apud Metaphraſtem, de laudibus B. Virginis. Deinde, Petrus Antiochiam profectus, ibidem omnium primus, Sacrificium nouæ legis celebraſſe, teſtantur Octaua Synodus Act. 1. & Remigius Antiſiodorenſis Epiſcopus lib. 1. de celebratione Miſſæ. Ab Antiochia autem, poſt multos annos Romam pergens, vt in Orbis vertice fundaret Eccleſiam, quotieſcumque naui deſcendit, vbique propemodum veſtigia celebratæ ab eo Miſſæ reliquit. Ædiculis, in tantæ rei memoriam, mox extructis, & fama, ac Traditione, ad hæc vſque tempora conſeruata. Nam, cum ad Salentinos, atque Apulos venit, tum & Brunduſij, & Tarenti, & Vriæ, & Andriæ, & Siponti diuinam Miſſam, ipſum feciſſe, earum regionum Hiſtorici, & vetera monumenta reſtantur. In Calabriæ etiam, & Siciliæ littore, compluribus locis, & poſtea Liburni, ac Piſis, ad quas Vrbes tempeſtate delatus fuiſſe perhibetur, Sacris operatus eſt. Vti poſt Metaphraſten, & rerum Etruſcarum nonnullos ſcriptores, Baronius Cardinalis in ſuis Annalibus meminit ad ann. Chriſti 44. Barnabas item Apoſtolus, vna cum Caio, & Anathalone, nauigio ad Liguſticum littus appulſus, cum Brixiam perueniſſet, ibi ſacrum fecit, in eo altari, quod ſupra montem Clineum etiamnum extat, & turmis populorum frequentibus, quotannis aditur: teſte Mutio in Hiſtoria de Sanctis Eccleſiæ Bergomenſis. Quod etiam, monumenta Brixiana apud Rubeum Brixienſem affirmant. Vtinam extarent Apoſtolorum Hiſtoriæ certiores, quàm eæ quas Abdias ille neſcio quis, inter apocryphos à Paulo IV. noſtro reiectus, chartis fabuloſis illeuit. Haberemus profectò, & Ioannem Apoſtolum, & eius fratrem Iacobum, ſæpè diuinam Miſſam in vtraque Heſperia confeciſſe. Porrò Caſula, & Calix Ioannis Apoſtoli, nonnè apud Lateranum habentur? Quæ certè monumenta ſacra, haud parum huic, de quo nunc agimus, argumento adſtipulantur. Itaque Petrus Apoſtolus, cuius quidem, non adeò obſcura, vti aliorum Apoſtolorum, extant itinera, tot Italiæ locis, ſacrum ſubinde feciſſe perhiberi, mirum cuique videri non debet. Quippe cum Romam peruenit, eundem ſeruaſſe morem in domo Pudentis ſita in Viminali colle, celebris Traditio, & conſtans fama eſt. De qua re ſic Baronius notat. ad 19. Maij *Maiorum firma Traditione præſcriptum eſt, domum Pudentis Romæ fuiſſe primum hoſpitium S. Petri Principis Apoſtolorum; illucque primum Chriſtianos conueniſſe ad Synaxim, coactam Eccleſiam, vetuſtiſſimumq; omnium titulum Pudentis nomine appellatum: qui item & Paſtoris nomine dictus reperitur: hodie vulgo, Eccleſia S. Pudentiana nuncupatur.*

Cum hæc igitur, quæ produxi, & vera, & recepta ſint, meritò etiam ac iure, videntur recipi debere noſtrates Traditiones, & monumēta: quæ ſummo conſenſu aſſerunt, B. Petrum Neapoli, in eo loco qui nunc dicitur *Ara Petri*, diuinum Miſſæ ſacrificium celebraſſe. Id & antiqua Traditio, & eius loci antiqui, & literati lapides quos Schraderus in ſuis Italiæ monumentis refert, diſertè teſtantur. *Siſte Fidelis: & priuſque Templum ingrediaris, Petrum ſacrificantem venerare. Hic enim primo, mox Romæ filios per Euangelium genuit, Paneque illo ſuauiſſimo cibauit.*

Idipſum aſſeritur in publicis tabulis Neapoli exaratis an. 1409. die 29. Nouembris, Ladislao Rege, & Ioanna eius ſorore præſentibus, ac iubentibus, & Tabellione teſtibuſque legitimè conſignatis. In quibus alterum antiquius publicum diploma recitatur, quod Carolo III. Rege confectum eſt, & in Archiuo Regiæ Siclæ ſeruabatur. In illo igitur diplomate,

inter

inter Eccleſias Neapolitanas,quarum ibi cenſus,iuraque notantur fit mẽtio Eccleſiæ S.Petri ad Aram: & diuinæ Miſſæ à Petro eo loco celebratæ, præſentibus Aſpreno,& Candida,atque alijs Chriſtianis.His accedit eiuſdem rei narratio,à nobili viro Antonio Pappanſonio, iuſſu Caroli III. Regis an.1383. die 5. Octobris deſcripta, & teſtium obſignatione firmata: vt iuſtæ petitioni Theſæi Sicolæ ſatisfieret, vtpote, qui ex D.Aſpreni antiquiſſima ſtirpe fuiſſe prognatus,publica,& probabili fama diceretur.Ioannes item Villanus,rerum ſuæ ætatis fidus Hiſtoricus,lib.5. Neap.hiſtor. & poſt eum alij, atque alij multi, idipſum ſummo conſenſu adſtruunt. Quorum ſanè præcipui ſunt, & primo loco ponendi, Alexander VI. & Clemens VII. ac Iulius III. Summi Pontifices, in Bullatis Diplomatibus de Iubileis anno 1500.1525.& 1550. Eccleſiæ, & Vrbi Neapolitanæ conceſſis. In his enim,ob id potiſſimum ſe ea concedere aſſerunt,quòd Neapoli B.Petrus Euangelium ſeminaſſe,& Eccleſiam,cui Aſprenus præeſſet,inſtituiſſe,ac Miſſæ ſacrum eo loco, vbi nunc B. Petri Templum eſt,celebraſſe perhiberetur. Alexius deinde, ac Ianuatius, & poſt hos Stephanus, Romæus,Regius,Summontius, Surgentius, Lindanus, Baronius,Ciacconius, Schraderus,alijque plurimi (nam omnes referre non eſt operæ) hoc ipſum aſſerunt indubitanter.

Vndè Templum,quod hodie appellamus *S. Petri ad Aram*, olim dicebatur, *Ara Petri*:ea nimirũ de cauſa,quòd ibi S.Petrus ſacrificauerit. Habemus conſimilium nomenclationum exempla. Arianum ciuitas Epiſcopalis huius Regni Neapolitani,ſic dicta eſt,quaſi *Ara Iani*: vt & aliud Oppidum in Flaminia. Vide Blondum Etruria,& in Aprutio. Arelatam ciuitatem Galliæ Narbonẽſis,*vt Geruaſius ſcribit*, ait Robertus Guagninus in Hiſtoria Francorum in Carolo V. *Aram latam* priſci appellabant. Nam in eo loco propè ciuitatem,qui Rocheta dicebatur, duæ columnæ extructæ erant, & ſuper eas,ara impoſita.Vbi quotannis ad Kalendas Maias, frequens vndique populus,Romanas hoſtias pro ſua ſoſpitate mactare conſueuerat.

Iam verò, eo facto ex antiquis recentibuſque ſcriptoribus abundè conſtabilito, altera quoque emergit,haud contemnenda ratio,hoc ipſum magis magiſque corroborans. Quòd ſcilicet,cum B.Petrus,Aſprenum, & Candidam,alioſque fortè complures,à ſe ad Chriſti fidem traductos,eſſet baptizaturus,liquido conſequitur, non voluiſſe ſolummodo, ſed etiam pro more,debuiſſe diuinum ſacrificium celebrare. Norunt enim rei Eccleſiaſticæ conſulti viri,antiquiſſimum illum ritum,ab ipſis videlicet Apoſtolis ſeruatum,& ad poſteros propagatum, fidelibus recens baptiſmate tinctis,ſacram Euchariſtiam adminiſtrandi.Hoc eſt,filios Chriſto renatos, diuino lacte cibandi. Qui quidem Sacer ritus, videtur habuiſſe ortum à Chriſto. Quippe qui,poſtquam Petrum,vt S.Euodius Petri diſcipulus tradit,ipſe baptizauit,& eo mandante,à Petro,Andreas,& filij Zebedæi, atqi ab his,alij Apoſtoli baptizati fuerunt,Euchariſtiam in cœna illa poſtrema inſtituit: eaque baptizatos Apoſtolos vberrimè pauit. Id verò inſtitutum Apoſtolico maximè ſæculo,inuiolatè fuiſſe ſeruatum,conſtat plurimis,iiſque grauiſſimis Patrum documentis, atque exemplis: quæ nouiſſimè diligenter collegit Ioannes Vicecomes lib.5.de Ritibus Baptiſmi. cap. 34. E quibus,vt aliquot hic memorẽ sũt,S.Dionyſius Areopagita lib.de Eccleſ. Hier.cap.de Baptiſmo. Clemens PP.diſcipulus Petri,Epiſtola 3. Acta SS. Syri,& Euentij,Marci Euangeliſtæ diſcipulorum: & Vita S.Syſti Papæ, ac

Mar-

Martyris apud Surium. Præterea Tertullianus lib. 1. adu. Marcion. & de Pudicitia cap. 19. ac de Baptiſmo cap. vlt. eiuſmodi ritum ab ineunte Eccleſia ſanctè ſeruatum apertè declarant. Sed locus ille cap. 2. Apoſtolicorum Actuum, quem ſupra protulimus, his omnibus teſtimonijs, meritò eſt præferendus. *Erant*, inquit Lucas, *perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione, & fractione panis, & orationibus*. Hæc verba, mox à baptiſmo tot millium hominum, à Petro ad Chriſtum conuerſorum, à Luca ponuntur. Eo certè ſcopo, vt, iam dictum Apoſtolicum morem ſignificent, tunc fuiſſe ſeruatum, reficiendi ſcilicet, Euchariſtico pane, baptizatos. Nam de Euchariſtico, iam dicta verba, & ea, quæ paulò inferius Lucas habet, expoſuit Interpres Syrus: qui pro *fractione panis*, poſuit, *in fractione Euchariſtiæ*, eumque ſecuti ſunt Lyranus, Hugo Carenſis, Gloſſa interlinearis hic, & Ionas Aurel. lib. 3. de Imag. ac B. Antoninus. 1. par. Hiſt. Tit. 6. cap. 2. vnà cum alijs multis recentioribus. Hi ſunt Gagnæus, Montanus, Harlemius, Salmero, Lorinus, Eſtius. Vnus repugnat Petrus Lintrenſis. Sed is profectò, non conſiderauit *fractionem panis* à Luca poſitã, inter doctrinam Apoſtolorum, & Orationem, immeritò, & importunè intelligi poſſe, de alio, quàm de myſtico, & Euchariſtico pane. At benè eſt. Is ipſe Lintrenſis paulò poſt exponens illud, *& Oratione*, docet ſignificari Sacrificium Euchariſtiæ. Quo quidem ſenſu, etiam Tertullianus Latinorum Patrum antiquiſſimus, libro de Oratione, & ipſe Lucas alibi, eodem Lintrenſe exponente, id vocabulum ſumunt. Iam verò B. Petrus, non Hieroſolymis ſolummodò, ſed Romæ etiam, recens baptizatos, diuino pauit pane. Actis SS. Proceſſi, & Martiniani Martyrum apud Surium Tom. 4. id clarè teſtantibus, hiſce verbis. *Cuncti qui erant in cuſtodia proſtrauerunt ſe ad pedes B. Petri Apoſtoli, & baptizati ſunt, promiſcui ſexus, & diuerſæ ætatis numero quadraginta ſeptem. Obtulit autem eis ſacrificium laudis: & participes eos effecit* Corporis, *& Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Non eſt igitur dubitandum, B. Petrum Neapoli, diuinæ Miſſæ Sacrum celebraſſe. Cum certum ſit, Aſprenum, & Candidam ab ipſo baptizatos, mox debuiſſe, ſacræ etiam Euchariſtiæ participes fieri.

Quæret etiam aliquis. An Dioſcurorum marmorea ſimulacra, quæ nunc ad Templum D. Pauli, quod Noſtri incolũt, iacere dicuntur, ipſe deiecerit? Item. An, eo Neapoli exiſtente, Eccleſia aliqua ædificata ſit? Reſpondebo breuiter: & vnica negatione, veluti vnico ſpongię tractu, vtrumq; hoc vulgi opinamentum, nullo ſanè veteri ſcripto, aut ſolida traditione ſtabilitum, abolebo. Petrus enim neque Neapoli, neq; alibi, aut Idolorum Fanum aliquod, ſtatuamue deieciſſe, aut vero Deo publicam Ædem excitaſſe legitur. Pacificis namque temporibus, eiuſmodi facta ſeruabantur. Interea autem, toto terrarum Orbe, Chriſtianos perſequente, ſatis fuit primis illis Chriſtianis, aut ſubterraneum cœmeterium, aut intimum aliquod pij hominis cubiculum, colendo Numini, clam adire. Primus, qui non Tẽplum, aut Baſilicam, ſed Memoriam Romæ extruxerit, Anacletus fuit quintus à Petro Pontifex. Euſeb. lib. 3. cap. 24. Legendum eſt Breuiarium Romanum ad 9. Nouembris.

## *An Petrus Neapolim alias reuiſerit.*
## *Sect XIII.*

VVniuerſè certum eſt, Petrum poſtquam in Vrbem peruenit, nequaquam illic hæſiſſe ad obitum vſque perpetuò. Nam eius quidem, duæ minimum reperiuntur apud Eccleſiaſticos Scriptores, veteraque monumenta, conſignatæ ex Vrbe profectiones. Primam tradunt contigiſſe anno nono Claudij Imp. Chriſti quinquageſimo primo, quo tẽpore Claudius, vt Suetonius ſcribit cap. 25. *Iudæos, impulſore Chreſto, aſsiduè tumultuantes, Roma expulit:* atque adeò, vt noſtri Hiſtorici omnes exiſtimant, eos etiam, qui ex Iudæis, Chriſti fidem ſectati eſſent, videlicet Petrum, Aquilam, Priſcillam vxorem eius, cæteroſque è Iudæa Chriſtianos. Verum enimuerò, illud Cæſaris edictum, quo Petrus quoq; ex Vrbe diſceſſit, valde fuit rei Chriſtianæ, eo tamen neſciente, proficuum. Illum quippe, qui vniuerſi gregis curam, à Paſtorum Principe Chriſto ſuſcepiſſet, quemque elegiſſet Deus, *per os eius audire gentes verbum Euangelij, & credere* Act. 15. ver. 7. non erat conducibile, vno in loco conſiſtere. Itaque expedijt, quantùm mortali liceret, vniuerſum peragrare Orbem: & nondum credentes, ad Chriſti fidem perducere: credentes verò, in fide eius, magis, magiſque roborare.

Porrò anno iam dicto à Chriſto nato quinquageſimo primo, quo Vrbe Petrus exceſſit, reuertiſſe etiam per eandem viam ad Oriẽtales plagas, hoc eſt, per Latinos, Campanoſque deſcèndiſſe Neapolim, vt inde nauigio vectus, vlterius pergeret, equidem non auſim affirmare. Quamuis enim exploratum ſit, hoc ipſo anno abijſſe eum in Orientem, & Hieroſolymitano Concilio, quod de abolendis legalibus coactum eſt, interfuiſſe: vt ex recta ratione temporum Beda in Act. 15. colligit, tamen cum Cãpaniæ, & Apuliæ vetera monumenra, quorum ego ſuperius memini, apertè reſtentur, non hoc anno, qui fuit à Chriſti Aſcenſione decimus octauus, ſed eo qui fuit vigeſimus, Petrum abijſſe Reſinam, ſiue Retinam Oppidulum Neapoli vicinum (de qua re infra ſermo redibit) Et anno Chriſti quinquageſimo ſeptimo, qui fuit ab eiuſdem aſcenſu vigeſimus quartus, Apuliam peragraſſe, profectò haud poterit quiſpiam certò affirmare, hoc etiam anno, quo Petrus Roma abijt, inuiſiſſe Campanos. Itaque cum Simeon Metaphraſtes tradat, hoc anno, Petrum cum Roma diſceſſit, in Africam nauigaſſe, indeq; Alexandriam, mox Thebas, demum Hieroſolymam perueniſſe: iſtaque narratio de abitu Petri ad Pœnos, etiam Gregorij Magni teſtimonio lib. 2. ep. 75. & lib. 3. ep. 32. roboretur, veriſimilius ſanè eſt (recta inſuper, & vſitata itineris id ſuadente linea) illum potius per mare Sardoum, quam longius circumacto nauigio, per Campanum, & Siculum littus, Africam petijſſe. Affirmamus igitur, B. Petrum, non quidem anno Chriſti quinquageſimo primo, quo Roma diſceſſit, ſed biennio poſt, nempe anno à Chriſto quinquageſimo quarto, Reſinam, atque adeo Neapolim acceſſiſſe: quamuis qua occaſione in has tunc oras redierit, haud ſit mihi certum.

Itinera quippe Apoſtolorum adeo fuerunt multa, varia, ſinuoſa, perplexa, vt mirum non ſit, certo ea filo à nemine hactenus potuiſſe deſcribi. Multò minus occaſiones, ob quas nunc huc, nunc illuc excurrerint, diſtin-

ctè

ctè cognoſci:in tanta maximè penuria veterum ſcriptorum,etiam à B.Ioãne Chryſoſtomo Præfat.in epiſt.ad Philem.deplorata,qui nobis Apoſtolorum vitas,reſque ab eis pręclarè geſtas ennarrent. Nam pauci illi,quos habemus,quàm multa prætereant,atque ea,quæ de ijs memorant, quàm breuiter ſummatimque percurrant,nemo non videt. *Vtinam*,inquit Chryſoſtomus, *non defuiſſet,qui nobis Apoſtolorum hiſtoriam diligentiſſimè traderet. Non tantum,quid ſcripſerint, quidue locuti ſint:ſed,vt ſeſe per omnem vitam habuerint. Quid, & quando comederint. Quando ſederint. Quo ierint. Quid diebus ſingulis geſſerint: & in quibus partibus vixerint. Quam introierint domum. Quo nauigauerint. Vbi nam applicauerint. Atque omnia diligenter exponeret. Adeo illorum omnia eximia vtilitate referta ſunt.* Hæc diuinus ille vir. Cui ego ſubſcribens. Vtinam,inquam, B. Ioannis Apoſtoli, cum Romam Domitiano Imperatore ductus eſt ex Aſia,ſcriptum Odœporicon haberemus! Haud dubito, quin eum acceſſiſſe Neapolim, non ambiguo arbitratu, ſed certa relatione ſciremus. Nunc coniecturis,& indicijs vtcumque id conſequi, hoc eſt,rei vmbram amplecti,neceſſe habemus.

Petrus itaque, Italiæ Chriſtianas turmas, in dies magis magis magiſque virtute,& numero ſuccreſcentes,anno à Chriſti paſſione vigeſimo,hoc eſt Claudij Imper.vndecimo teuiſit.Iam enim poſtquam Roma abijt,Oriẽtis Eccleſias iterum perluſtrauerat: multaſque prætereà alias, diuerſis in locis erexerat:vt bene Cardin.Baronius adnotauit. Anno autem à Chriſti paſſione vigeſimo quarto, qui fuit Neronis primus, iterum atque iterum Italiam peragrauit:ſi non illam vniuerſam,at certè ſaltem Apulos, Peucetios,atque Daunios:apud quos,vt ſupra tetigimus, certa etiamnum ſuperſunt veſtigia, & monumenta, quæ B.Petrum ad eos adijſſe ſignificant. Id verò,anno iam dicto contigiſſe,vetuſtus Codex Andrienſis tradit. Præterea,eiuſdem rei veſtigia ſunt, Eccleſiarum Andrienſis, Sipontinæ, & Tranienſis fundationes, & origines ab ipſo Petro, vt traditio, & libri veteres ſupra producti loquuntur, inſtitutæ. An verò, non ſolùm anno à Chriſto nato 57.& ab eodem paſſo 24. ſed etiam poſtremo eius ad Vrbem reditu, qui incidit in annum Domini ſexageſimum ſeptimum,Neapolim Petrus venerit,id vt veriſimile quidem,ſed non adeo certum, lectoribus iudicandum relinquo.Certè Diuus Epiphanius Hæreſi 27.vniuersè ſignificat,non ſemel tantùm,aut iterum,ſed ſæpè Beatos Apoſtolos, Petrum,& Paulum Vrbe profectos eſſe:nempe,vt Orbis Chriſtiani Prouincias, crebrò reuiſerent:& adhuc tenellas Chriſti oues,Paſtores illi,lacte charitatis pleni, benignè fouerent. *Sæpe*,inquit, *Apoſtoli ex Vrbe ad alias terras ablegabantur. Paulus enim in Hiſpaniam profectus eſt: Petrus verò ſæpe Pontum, & Bithyniam viſitauit.* Si itaque ſæpenumero Petrus Pontum, & Bithyniam,hoc eſt,Aſianas, atq; adeo Orientales Eccleſias viſitauit,quidnam quæſo prohibebit exiſtimare, ſæpè etiam Neapolim, nempe quotieſcumque ferè ex Vrbe ad Orientem pergeret,pertranſiſſe? Sanè quidem Ioannes III.Pontifex Maximus,epiſtola ad Epiſcopos Germaniæ,aſſerit,quòd Romæ ea de cauſa Linum,& Cletum ſibi Coadiutores Petrus inſtituit:vt eo abſente,Pontificio munere fungerentur,eiuſque vices gererent. Nimirum, quòd Petrus Roma ſæpè diſcedens,per nouem ſubſequentes annos(quippe à Lini,& Cleti ordinatione,ad Petri in Vrbem poſtremum reditum,nouem anni interceſſerunt) Occidentalem,& Orientalem plagam identidem repeteret. Sicque contigit, vt nec per totum id ſpatium,ſemper Roma abſuerit,nec ſemper Romæ cõſtiterit.

ſtiterit. Nimirum,Sol ille Euangelicus, Chriſtianum Orbem indefeſſus,& feruidus perluſtrabat:&,*vbi ferebat impetus ſpiritus,illuc gradiebatur.*

Sœpè igitur profectum Roma Petrum, ſœpè etiam Campaniam, & Neapolim,valde veriſimile eſt,petijſſe. Nam,quod etiam ſuperius dictum eſt,ſicut rectum,atque vſitatum iter ex Oriente Romam,erat, nauigium ad Neapolitanum,ſiue Puteolanum littus appellere : ita etiam, migrantibus Roma ad Orientis plagas,eodem itinere eundum fuiſſe conſtat.Quocirca, ( vt hoc vnum è multis exemplum proferam ) cum Abramius ille Alexandrinus(apud B.Gregorium lib.8.Ind.3.ep.42.ad Eulogium) Alexandriam Roma repeteret, Neapolim venit,ibique manſit, donec mare tranquillaretur. *Ante hos autem,* inquit, *dies, Abramio Alexandrino veniente ſanctitati veſtra reſcripſeram.Sed Abramius nauigij neceſsitate compulſus,diu perhibetur in* Nea*politana ciuitate commoratus.*

Equidem huic exemplo,Syluestrum I. alioſque multos Petri ſucceſſores poſſem adijcere:ſed vnus Cōſtantinus Papa mihi ſat erit.Qui cū anno 709.Roma Cōſtantinopolim petijt,Neapolim adijſſe,&,vti B.Petrus fecerat,nauigio Siciliam,Calabriam,& Salentinos attigiſſe ſcribitur ab Albone Floriacenſi lib.de vitis Pontif.Roman. Et ante eum ab Anaſtaſio fuſius. Itaque ſimiliter B. Petrum Roma profectum, Neapolim etiam acceſſiſſe,nequeo propemodum dubitare.

✠

# S. PAVLI
## NEAPOLIM ADVENTVS.
### CAPVT QVARTVM.

NEfas eſſet à Petro Paulum diſiungere: cum ij, vt Eccleſia canit, *in vita ſe diligentes, in morte quoque non ſint ſeparati*. Spreto itaque Chronologiæ ordine, de ipſius in hanc Vrbem acceſſu, qui dicitur contigiſſe, anno Chriſtiano quinquageſimo nono, cum ipſe ex Oriente Romam veniret, & Puteolis aliquot dies manſiſſet, Mihi, hæc peculiarius ſunt diſpicienda.

*Sect. I. An Paulus, Neapolim aliquando venerit.*
*Sect II. Quinam Pauli fuerint ſocij.*
*Sect. III. Quo tempore Neapolim venerit, indeque Romam petierit.*
*Sect. IV. Num ipſe, ac Timotheus, ſuus ad Hebræos Legatus, Neapolim aliquando reuiſerint.*

### *An Paulus Neapolim aliquando venerit.* *Sect. I.*

SEptem diebus manſiſſe Puteolis Paulum, Lucas tradit, Act. cap. 2 I. Magna hæc Puteolanorum laus eſt: ipſos ſcilicet, maturè Chriſti fidem ſuſcepiſſe: ac tanti Apoſtoli præſentia fuiſſe decoratos. Inter cætera autem, quæ veriſimile eſt, ipſum Puteolis patraſſe, à Fratre Hyppolito Doneſmondo Ordinis Minorum de Obſeruantia, in ſua Hiſtoria ſacra Mantuanæ Ciuitatis, traditur, Virgilij ſepulchrum viſitaſſe: atque cum lacrymis dixiſſe. *O qualem te reliquiſſem, ſi te viuum inueniſſem, Poetarum maxime!* Sed, cum tot eruditi viri, qui in Virgilium commentaria ediderunt: eiuſque geſta, diligentiſſimè inueſtigarunt, nihil de eiuſmodi viſitatione teſtificentur, fides ſit penès auctorem.

Cum itaque ſeptem dies Puteolis manſerit Paulus, veriſimile profectò eſt, illum tunc Neapolim acceſſiſſe. Nam, ſicut, Galeſinio teſte, Simon Logotheta tradit, Ignatium non Puteolis modo, ſed etiam Neapoli religionem Chriſtianam diſſeminaſſe: ita & de Paulo dicere, nihil profectò prohibet. Et verò Neapolitanos etiam, eiuſdem præclaræ laudis, quæ Puteolis data eſt, eſſe participes, nemo puto dubitauerit, niſi qui antiquam traditionem de Pauli ad hanc Vrbem acceſſu, deque eo haud incerta etiamnum extare monumenta, prorſus ignoret. Meritò proinde

Lorin.

Lorin. in Acta. *Tradunt*, inquit, *Neapolitani, nec huius rei veſtigia obſcura demonſtrant, ad eos etiam Paulum in tranſitu diuertiſſe. Probabile id eſt, ob vicinitatem, & quia Romam Puteolis tendentes, modicè illac deflectunt*. Hæc ille. Solenne enim erat Apoſtolis, & Apoſtolicis viris, quod etſi aliquo principaliter tenderent, per viam tamen, ad alia vicina Oppida dextrorſum, & ſinixtrorſum deflecterent, prædicandi Euangelij gratia. Sic Petrum, & Paulum Romam ex Oriente tendentes feciſſe in Aſiæ, & Græciæ partibus, obſeruari poteſt apud Lucam in Actibus: & Sophronium, ac Metaphraſtem locis iam ſupra cap. præcedenti citatis. Sic etiam eodem ſæculo, Syrum, & Iuuentium, ab Hermagora, Marci diſcipulo Ticinum miſſos, Inſubres, Venetos, & Ligures circumquaque luſtraſſe, teſtantur Romani Faſti ad 12. Septembris, his verbis. *Etiam vicinas Vrbes diuinis operibus illuſtrarunt*. Sic Martialis: ſic Maternus: Sic Proſdocimus: vt habent Acta apud Equilinum. Quid igitur prohibet, quin exiſtimemus, hunc etiam morem ſeruaſſe Paulum in noſtra Campania? Iulius profectò Centurio, nobili illa, & Romano viro digna pietate, ſinebat illum quacunque vellet, diuertere, Act. 27. 3. Porrò Paulus non nauigio amplius detentus eſt, ſed pedes Neapolim, & poſtea Romam petijt. Terreſtre enim hoc fuiſſe iter, tradit Euthalius Epiſcopus Sulcenſis in cõmentario de Peregrinatione Pauli. Id ex ipſo Luca elicitur ſcribente, Act. 28. 15. *Fratres*, hoc eſt, Chriſtianos, occurriſſe Paulo, & ſocijs vſque ad Appij Forum, ac tres Tabernas. Occurrere autem illi non potuiſſent ijs locis B. Paulo, ſi is nauigio Romam petijſſet. Appij enim Forum, erat vbi nunc Monaſterium Foſſæ nouæ, ſi Fl. Blondo credimus. Tres autem Tabernæ, ibi ſitæ, vbi nunc Ciſterna, Oppidum Ducum Caietanorum. Adde ex Lorino, quod *potuit ſanè Paulus, Puteolis* Neapoli *finitimis, Chriſtianos aliquot reperire: vtpotè ſata iam in ijs locis, ante annos multos à B. Petro, Chriſti* Domini *fide: multo itaque magis, potuit Paulus fideles Neapoli reperire*.

Quæ certè valdè probabilia ſunt. Video enim Papinium Statium, Neapolitanum ciuem, & incolam, breuiter quidem, vt fit in re vulgò nota, ſed tamen ſignificare, eos qui Puteolos appellerent, Neapolim quoque adire ſolitos. Tradit enim lib. 3. Silu. carm. 5. adeo magnam aduentantium frequentiam, ijs fuiſſe ciuitatibus, vt vocet earum *littora mundi hoſpita*. Cum igitur iungat Statius, in hac celebritatis laude Neapolim ſimul, & Puteolos: vtique ijſdem verbis indicat, morem olim extitiſſe accolis, & iter per eas oras facientibus, vtramque inuiſendi ciuitatem. Sic ille igitur canit. De Neapoli primùm. *Hæc auſpice cõdita Phœbo Tecta*. Mox de Puteolis, *Dicearchæi portus*. Demum de vtraque ſimul, *& littora mundi hoſpita*. Statioque concinit Cicero, qui Neapolim, *celeberrimum* nuncupat *municipium*, Orat. pro Rabirio. Hoc eſt, quo celeberrima ſemper eſſet, accolarum aduenarumque frequentia. Morem igitur fuiſſe Paulo, hoc præſertim itinere, quamquam militum lictorumque cuſtodia vallato, inuiſere fideles Chriſtianos, ſicubi eos reperiſſet, planè colligitur ex Luca cap. 27. ver. 3. narrante, adeo humanè tractatum à Iulio Centurione cohortis Auguſtę, cui traditus fuerat à Feſto Præſide, ad Cæſarẽ deuehẽdus: vt eo permittẽte, libuerit Beato Apoſtolo, *ad amicos ire, & curam ſui agere*. Hoc eſt, vinculis ſolutum (cuſtodiente eum tamen aliquo militum) abire ad vicina loca: tum vt Chriſtianos conſolaretur ſua præſentia, & in fide firmaret: tum etiam, vt ab ijs viciſſim (quod eo loco obſeruant Strabus, Hugo, & Lyranus) acciperet neceſſarium itineri commeatum, pro ſe, & ſocijs. Quamquam enim Gagnæus exiſtimet, ſtipen-

dijs Imperatoris,tam longam nauigationem fuiſſe ſuſceptam : ea tamen non erant eiuſmodi,quæ recreandis Paulo, ſocijſque tot vexatis moleſtijs, ſufficerent. *Erat namque Paulus,*inquit Chryſoſtomus *valdè afflictus à vinculis, à metu,à circumductione:quocirca non ſiluit Lucas,humano more,Paulum ſui curam egiſſe.*Quid igitur vetuit,aut impedimento fuit,quin ardentiſſimus ille Pauli ſpiritus,ſciens Neapoli,tot eo tempore eſſe Chriſtianos (hos enim *amicorum* vocabulo ſignificat Lucas eo loco ) eamque ciuitatem à Petro collega ſuo chariſſimo,& Apoſtolorum vertice ſummo , fuiſſe ante annos quatuordecim Chriſto Domino ſubiugatam,Neapolim & ipſe inuiſeret,ac recétem Chriſti ſobolem,ſuo illo ſuauiſſimo lacte,hoc eſt exemplo,& prædicatione,in Chriſti fide firmaret,numeroque augeret ? Certè non alio argumento Meſſanenſes,ad ſe Beatum Paulum aduenisse affirmãt,niſi quòd, cum Rhegium ille adijt,veriſimile ſit,transfretaſſe,& vicinam Meſſanam vrbem obiter inuiſiſſe.Quocirca de ea re M.M.SS.monumenta, & traditio Meſſanenſis Eccleſiæ , citantur ab Octauio Caietano in Martyrologio ſuo Siculo ad diem 30. Iunij .

Et verò,quod obijci poſſet ex Luca,ſcribente Paulum ſeptem diebus manſiſſe Puteolis,& mox Romam abijſſe:id profectò non tollit,quin intra ſeptem illos dies , Neapolim diuerterit . Præſertim cum Arator Romanæ Eccleſiæ Sebdiaconus,qui ante mille annos ſcripſit Poeticam paraphraſim in Acta Apoſtolorum,apertè tradat,Paulum cum Romam pergeret,ad plurima Oppida Vicoſque diuertiſſe .

*Plurima quæq; legens, diſtinctis Oppida Vicis ,*
*Venit ad excelſæ ſublimia culmina Romæ .*

Et verò ad eundem modum,cum idem Lucas,Act.18.11. dicat. *Sedit autem* Corinthi *annum,& ſex menſes,docens apud eos verbum* *Dei,* non tollit, quin interea,alio atque alio, vti occaſio prebebatur, abierit : vt eruditè Baronius to.1.Ann.il.ex ipſiuſmet Pauli verbis ad Corinthios ſcribentis, euincit.

Illud præterea ad nos Paulum acceſſiſſe , magis magiſque oſtendit , quòd videlicet,ſolenne fuerit Maioribus noſtris, ingruente aliqua calamitate,Petrum & Paulum,veluti ſuos Tutelares Diuos,præcipua veneratione fideque,publicè inuocare . Sic factum,& cum eximio,& admirando rei optatæ euentu, tum Leone IV. Pontifice Maximo, Neapolitana claſſe aduerſus Sarracænos obtendente:tum etiam Ioanne X.aduerſus eoſdem impios Chriſti hoſtes,qui Campaniam, & Apuliam occupauerant, Neapolitano exercitu ab eo in ſacri bellj fœdus impetrato. Meritò itaque Fl.Blõdus in deſcript.Campaniæ,vti antea Anaſtaſius Bibliothecarius, & alij in vitis horum Pontificum memorant, Neapolitanos,quòd Romanarum Petri,& Pauli Baſilicarum , ac Sedis Apoſtolicæ defenſores vindiceſque fuerint,his verbis extollit . *Nullis maioribus,ex omni Italia,quàm Neapolitanorum viribus,& ſeruata eſt Roma,& Barbari ſunt expulſi .*

## *Quinam Pauli fuerint ſocij?* Sect. II.

DE Luca quidem , nulla poteſt eſſe dubitatio , quin Paulo in hoc itinere comes fuerit . Nam in Actis,quæ ſcripſit, de ſe,& Paulo plurali numero loquitur.cap.28.13.14.*Flante Auſtro,ſecunda die venimus*

*venimus Puteolos: vbi inuentis fratribus, rogati ſumus manere apud eos dies ſeptem.* Quocirca, rectè S. Epiphanius, Hær. 31. ſcriptum reliquit, B. Lucam Euangelium in Italia diſſeminaſſe.

De Ariſtarcho item certum eſt: his verbis atteſtante Luca cap. 27. 1. *Vt autem iudicatum eſt, nauigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis cuſtodiis, Centurioni nomine Iulio, cohortis Auguſtæ, aſcendentes nauem Adrumetinam incipientem nauigare circa Aſiæ loca ſuſtulimus, perſeuerãte nobiſcum Ariſtarcho Macedone Theſſalonicenſi.* Ariſtarchus itaque nobilis ille, & fidus Pauli diſcipulus, vna cum Paulo in Italiam, atque adeo Puteolos, & Neapolim venit. Eius elogium in Martyrologio Romano 4. Auguſti ſcriptum, hoc eſt, *Theſſalonicæ natalis B. Ariſtarchi, diſcipuli, & comitis indiuidui S. Pauli Apoſtoli: de quo ipſe ad Coloſſenſes ſcribit, ſalutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus. Is deinde ab eodem Apoſtolo Theſſalonicenſium Epiſcopus ordinatus, poſt longos agones, ſub Nerone coronatus à Chriſto, quieuit.* Debui hoc loco, iſtud Romanæ Eccleſiæ de B. Ariſtarcho illuſtre teſtimonium recitare, quòd ex eo poterunt pij lectores, quis ille, quantuſque fuerit, agnoſcere. Simulque probabiliter conijcere, virum qui Pauli concaptiuus comeſque indiuiduus extiterit, Paulo Puteolis excurrente Neapolim, & ipſum vna cũ Paulo huc excurriſſe. Mos enim fuit Pauli, vt locis compluribus Actorum apparet, diſcipulos ſecum ducere.

Ex verbis autem Lucæ paulò ante relatis, ſuſpicabitur fortaſſe quiſpiam, quod & Incertus ille imperfecti in Matthæum commentarij auctor Hom. 17. apertè ſignificat, alios etiam præter Lucam, atque Ariſtarchum, fuiſſe Pauli ſocios: quoſdam videlicet ex ijs vinctis, quos *cuſtodias* Lucas appellat: vſitato nimirum, Suetonio quoque, ac Senecæ vocabulo. Maximè cum græcus Lucæ ſermo hoc loco clarior ſit latino vulgato. Habet enim *καί τινας ἑτέρους δεσμώτας.* Hoc eſt, *& quoſdam alios vinctos.* Quocirca Oecumenius ad Act. cap. 27. 37. ſcribit, Lucam, & alios quoſdam diſcipulos, fuiſſe cum Paulo. Et quamquam nullum nominatim memoret, nonnemo tamen recentiorum expoſitorum eſt, nempè Io: Mariana in Epheſ. 6. qui exiſtimat, Tychicum, qui vnus erat ex LXX. Chriſti diſcipulis, fuiſſe Paulo comitem, cùm ex Oriente in Italiam venit. Lucas igitur, Ariſtarchus, Tychicus, & plerique alij, Paulum in naui vinctum comitati ſunt: & ipſi cum Apoſtolo vincti ſimul cum alijs criminoſis: exemplo Chriſti, qui *cum iniquis reputatus eſt.* Fuiſſe enim ſocios quoque Pauli, vinculis alligatos, perſuadent verba illa Lucæ Act. 27. 7. *Venimus Myram, quæ eſt Lyciæ: & ibi inueniens Centurio nauem Alexandrinam nauigantem in Italiam, tranſpoſuit nos in eam.* Non, inquit, nos in eam tranſiuimus, vt dicendum fuiſſet de nauigantibus liberis, & ſuæ ſpontis: ſed ait, *tranſpoſuit nos in eam*: vt de ſarcinis, & qui inſtar ſarcinarum ſunt, de vinctis conſtrictiſque dici ſolet.

## *Quo tempore Neapolim venerit, indeque Romam petierit.* *Sect. III.*

DE anno iam diximus eũ fuiſſe Chriſti quinquageſimum nonum, Menſem verò aditæ Campaniæ, colligere eſt ex acceſſu Pauli ad Vrbem Romam. Baronius ad ann. Chriſti 59. ſcribit probabile eſſe, Iunio, aut forte citius, nempè Maio menſe, B. Apoſtolum Romam perueniſſe.

ueniſſe. Miramur non ſtare eum,grauiſſimo teſtimonio tot veterum Martyrologiorum,B.Pauli in Vrbem ingreſſum,ſexta die Iulij conſignantium. Martyrologia enim Bedæ,Vſuardi,ac Rabani:Item Martyrologium Eccleſiæ Pulſanenſis literis Longobardicis ſcriptum, quod in noſtra Bibliotheca MM.SS. Sanctor. Apoſtolorum aſſeruatur,& Florentinum anno 1486. editum,ſic habent.*Prid.Non.Iulij,Octaua Apoſtolorum,& primus Apoſtoli Pauli ingreſſus in Vrbem Romam, anno ſecundo* Neronis *Imperij*. Quid clarius dici poterat? Libuit nihilominus Baronio,veteribus refragari: ea ducto coniectura: quòd,vt legitur in Actis cap.28.11.*hyems eſſet,ac frigus*,cum Melitam appulſus eſt,vna cum vectoribus alijs. Cæterum nos Martyrologijs adhærentes,ita ratiocinamur. Die ſexta Iulij,Paulus Romam inijt: ergo ad finē Iunij videtur fuiſſe Puteolis,& Neapoli.Vt hinc proinde intelligere liceat geminum Euāngelij ſolem,Petrum,& Paulum,geminum Solſtitium,illum hybernum,hunc æſtiuum,in noſtra,tunc verè felici Campania,ea commoratione fixiſſe. Enimuerò Lucas dicit,iam præcipiti vere,Paulum Melita ſoluiſſe,& Puteolos adueniſſe. Conſtat prætereà ipſum , Neapoli aliiſque Campaniæ Oppidis peragratis, fuiſſe commoratum dies ſeptem : hoc eſt vſque ad Iunium circiter extremum.

Certè cum cogito id, quod Dauſquius in Vita Pauli ſcribit : idcircò eum abijſſe ad Hiſpanias , quod noniſſet , eam regionem tunc temporis Apollonij Thianæi veneno magiæ fuiſſe reſperſam (legendus eſt de hac re Philoſtratus lib.5.cap.3.) Eadem ratione reor,debuiſſe Paulum , dies aliquot in Campania demorari. Nimirum , vt ſi qua ſemina demonolatriæ Magus ille, ex Oriente Romam adiens,perque Campaniam tranſiens,Cāpanorū animis adſperſiſſet,Chriſtiano antidoto,ex tēplo diſcuteret.Suſpicionem prætereà inijcere Paulo potuerunt, & celebre illud Cumani Oraculi Tripus,ac tot fana,& teterrima antra,cubiculaque ſubterranea , diuinationibus magijſque poſt Sibyllæ obitum,apta domicilia: quæ tractus illos,toto Orbe celebres fecerant.

Obſeruare autem hoc loco mihi licet,ex Lucæ verbis *à Fratribus*, id eſt,à Chriſtianis , qui è tota Campania , Puteolos ad Paulum viſendum conuenerant,fuiſſe certiores factos,eos qui Romæ erant fratres,de aduentu Pauli: ac de die,qua Puteolis eſſet ipſe diſceſſurus.

## *Num ipſe,ac Timotheus ſuus ad Hebræos Legatus Neapolim aliquando reuiſerint. Sect.IV.*

Repetenda ſunt,quæ de Petro diximus cap.præcedenti. De Paulo nunc agens,breuiter dicam.Poſt primum ſuum ad Vrbem,quem ſuperius ex Luca deſcripſimus,aduentum, non ſemper ipſum,ad obitum vſque Romæ manſiſſe:ſed biennio in Vrbe peracto,varias Occidētis,atque Orientis oras prædicando peragraſſe , teſtantibus id Euſebio , & Hieronymo,certum eſt. An verò,& Neapolim aliquoties reuiſerit,nemo, quem equidem ſciam,literis id expreſsè mandauit. Nihilominus,Neapolim illum repetijſſe,vt paulò ante de B.Petro diximus,veriſimile eſt : quāquam coniectura id potius, atque arbitrio , quàm certo aliquo, vel famæ, vel monumenti veteris teſtimonio poſſimus affirmare.Porrò Euſebius Cæ-

ſarienſis,

ſarienſis, B. Pauli liberationem, ac prædicationem ſic narrat,lib.2. cap.21. *Paulus Romæ cum pro indicto reſpondiſſet,traditum eſt, cum ad Euangelium paſſim prædicandum,ſe denuo recepiſſe.* Similia ſcribit B. Hieronymus,lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Paulo. *Poſt paſsionem,* inquit, *Domini vigeſimo quarto anno,ideſt ſecũdo Neronis,eo tempore,quo Feſtus Procurator Iudææ ſucceſsit Felici, Paulus Romam vinctus mittitur: & biennium in libera manens cuſtodia, aduerſus Iudæos,de aduentu Chriſti,quotidie diſputauit. Necdum autem Neronis Imperio roborato,nec in tanta erumpens ſcelera, quanta de eo narrant Hiſtoriæ, Paulus a Nerone dimiſſus eſt,& Euangelium Chriſti,in Occidentis quoque partibus prædicauit.* Hæc B. Hieronymus. Quin,& ipſe Paulus,præter Eccleſias Orientis,quas cùm liberatus eſſet à primis illis ſuis Romanis vinculis, ſe aditurum, ad Philippenſes cap.1.& ad Philemonem ſcribens,pollicitus eſt: Italiæ etiam Eccleſias,& Chriſtianos,qui in Italia eſſent,ſe iam tum præſentem cernere,& inuiſere affirmauit ad Hebræos cap.vlt. ſic ſcribens. *Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum:cum quo,ſi celerius venerit,videbo vos. Salutant vos de Italia fratres.* In quem locum meritò obſeruat Theodoretus,ideò dictum, *De Italia,vt oſtendat,vndenam ſcripſerit epiſtolam: ſimulque ſignificet, prædicationem Euangelicam, breui tempore omnia peruaſiſſe: & gentes,ex promiſsione Abrahæ facta, aſſecutas eſſe benedictionem.* Itaque his verbis Theodoretus ſignificat, omnem Italiam,ab Apoſtolo,eo tempore fuiſſe luſtratam. Succinitque Theodoreto Ribera ſic ſcribens. *Quod ait,de Italia,non de Roma,vlloue altero certo Italiæ Oppido,aut Vico: nam ſera profectò ſalutatio eſſet, niſi Paulus Italiam vniuerſam breui percurriſſet, vt optabat: & quidem optaſſe conſtat ex 2.Theſſal.3. Orate pro nobis,vt ſermo Dei currat, currebat ergo Paulus tanquam fulgur, aut tanquam ſi eſſet ſpiritus ſine corporis mole: vt ita reſiſteret,& repugnaret illi qui celerrimè circuit, ac perambulat terram, vt deuoret,mactet,ac perdat Iob.1.& 2.& 2.Petri* 1. Itaque B. Apoſtolus Paulus,vniuerſa Italia velociſſimè peragrata, Romam ſe recèpit:indeque, vt omnes propemodum expoſitores docent,nempe Sedulius,Primaſius, D. Thomas, Hugo Card. Carthuſianus,& recentiores quamplurimi, epiſtolam hanc ad Hebræos ſcripſit. Quis igitur ſibi perſuadeat, Paulum, in ea totius Italiæ luſtratione,Neapolim noſtram, quæ vel tunc inter primarias Italiæ ciuitates numerabatur,veluti inhoſpitam, & inacceſſam præterijſſe? Et,cum poſtremò Paulus Romam reuerſus eſt,diuino numine miſſus, vt vna cum Petro illam Vrbium Reginam, Apoſtolico ſanguine purpuraret, credibile valde eſt,illum ex Oriente venientem,Neapolim,Timotheo, Patroba,Tito, alijſque comitatum diſcipulis tranſijſſe.

Et quidem de Timotheo,id aſſeritur. Quia epiſtolam Pauli ad Hebræos,per ipſum miſſam fuiſſe, Græci Codices ad finem epiſtolæ habent. Idque ipſemet Apoſtolus apertè dicit ijs verbis. *Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum:* hoc eſt: à me cum hac ad vos epiſtola miſſum. Quamquam enim Chryſoſtomus, vel, qui eius Diui conciones collegit, alio ea verba trahat: Theodoretus tamen Chryſoſtomi diſcipulus, & breuiator, apertiſſimè in hunc locum ait. *Oſtendit Paulus, fuiſſe miſſam per ipſum epiſtolam.* Porrò Theodoreti expoſitionem, quamplures grauiſſimi expoſitores ſequuti ſunt. Inter quos D. Thomas. *A me,* inquit, *dimiſſum ad prædicandum,& ad vos miſſum cognoſcite: ideſt,gratioſè recipite.* Et Iacobus Faber,cum ſanè mẽtis eſſet,ita ſcriptum reliquit. *Quid eſt: Cognoſcite fratrẽ noſtrum Timotheum dimiſſum,niſi,qui a me cum literis,& mandatis ad vos dimiſſus eſt?* Immò teſtatur Vatablus,hunc ipſum Lucæ textũ à nonnullis ſic legi. *Agnoſcite Timotheum*

*fratrem*

*fratrem noſtrum, ad vos delegatum*. Horum igitur, allorumque quos prætereo, doctiſſimorum virorum auctoritas, planè facit, vt minus equidem probem Theophylactum, Oecumenium, & qui hos ſequuntur, Eſtium, Cornelium, & Benedictum Iuſtinianum, negantes epiſtolam hanc, miſſam fuiſſe per Timotheum ad Hebræos. Quòd autem Iuſtinianus ait, ex ijs verbis, *Cum quo ſi celerius venerit, vos reuiſam*, colligi poſſe, Timotheum abfuiſſe, cùm hanc epiſtolam Paulus ſcriberet, id profectò, non ego ſolus, ſed priſci nuperique expoſitores permulti, videntur explodere: atque docere, Paulum ijs verbis, hoc ſibi velle. *Si vos ad me citò remittetis Timotheum, cum eo vos reuiſam Sin verò moram fecerit, ego adeo percupio vos quamprimum reuiſere, vt ſine illo illuc redire ſtatuerim.* Ita explicant Ribera, Baronius, Faber, Gorranus, Lombardus, Haymo, atque Lyranus. Et Baronius quidem ſic euincit, Timotheum eſſe miſſum eo tempore à Paulo in Orientē, ad viſitandas formandaſque Eccleſias. *Nam hoc*, inquit, *anno Chriſti ſexageſimo. ſcribens Paulus ad Philippenſes, de mittendo in Orientem Timotheo, quem ſuperiori anno Romam accerſiuerat, conſilium ſe iniſſe tradit, his verbis cap. 2. Spero autem in Domino Ieſu, Timotheum cito remittere ad vos: vt & ego bono animo ſim, cognitis, quæ circa vos ſunt. Immò & ſe eo venturum pollicitum eſſe, cum ait. Confido autem in Domino, quoniam & ipſe veniam ad vos cito. Scribens verò ad Hebræos, hæc habet, eodem prope argumēto cap. 13 Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum: cum quo, ſi celerius venerit, videbo vos.* Baronius itaque ex collatione verborum Pauli in epiſtola ad Philippenſes, cum his quæ ſcribit in epiſtola ad Hebræos, ſolidiſſimè colligit, iam dictam noſtram, illorumque quos protuli, expoſitionem, eſſe Pauli ſententiæ valde conſentaneam. Quin etiam, rationem reddit Lyranus profectò germaniſſimam, cur per Timotheum potius, quàm per alium quemuis mitti epiſtola ad Hebræos debuit. *Timotheus enim*, inquit, *erat circumciſus, & ex matre Iudæa: vt patet Act. 16. ideò per ipſum miſit Apoſtolus epiſtolam Iudæis: & per hominem Gentilem, & incircumciſum, noluit eam mittere, quia Iudæi conſortium Gentilium abhorrebant: vt habetur Act. cap. 10. & 11.* Hæc Lyranus. Ex horum autem germana, vt ego exiſtimo, interpretatione, id equidem mihi videor poſſe colligere: nempe, Timotheum Roma Hieroſolymam petentem, ſi rectum vſitatumq; vti par eſt credere, iter tenuit, Neapolim proculdubio primùm ſe contuliſſe: indeque in Græciam, atque in Orientem perrexiſſe: ſicut & quamplurimi diuerſis temporibus olim feciſſe leguntur.

Quin etiam, cum iam ſatis probauerim, per Timotheum à Paulo miſſam fuiſſe epiſtolam ad Hebræos: vlterius efferri me à coniectura aliqua patior. Videlicet: vt opiner, eam epiſtolam, vel Neapoli, vel Puteolis fuiſſe ab Apoſtolo ſcriptam. Ab Italia quidem miſſa legitur apud Græcos in calce epiſtolæ. Sed à quanam vrbe Italiæ? Profectò non Roma: vt benè Ribera cenſet. Ergo rationi conſentaneum eſt dicere, ibi ſcriptam, vbi pluries, & diutius Paulus fuit: nempe, aut Puteolis, aut Neapoli.

De Patroba dicemus poſtea.

De Tito profero id quod Acta vitæ eius in Græcis Menæis habent; *Egreſſi è Creta Paulus, & Titus, venerunt in Aſiam: & inde cum Paulo peregrinatur vſq; ad necem eius per Neronem*. Igitur in ſecundo Pauli acceſſu ad Vrbem, Titus cum Paulo Neapolim obiter adijſſe dicendus eſt.

Hactenus de Beatorum Petri, & Pauli ad noſtram Neapolim iteratis acceſſibus dixiſſe ſufficiat. Illud verò ego prorſus fieri debere cenſeo, vt ſicut Meſſanenſes ſtatuerunt vigeſimum quintum diem Iunij, quo memo-

riam

riam aduentus Pauli Meſſanam, vbi Bacchylum Epiſcopum ordinaſſe traditum eſt,ſolemniter celebrarent:vt patet ex Faſtis Siculis, & ex Kalendario Meſſanenſi:ita etiam Neapolitana Eccleſia, diem aliquem Decembris, & Iunij ritè deſignet: quibus,tum Petri aduentum, tum Pauli, quotannis piè,& officioſè Neapolitani ciues recolant, & perpetuas ſummo Numini, de tanto beneficio referant grates. Quid enim prohibet,vt cum olim ethnica Neapolis III.Id. Ianuarij,Dei Patrij(Hebonis puto) Natalia commemorauerit,Gruter. Inſcriptione CCCCLXXXIV. 6. quæ etiamnum extat ad D. Ioannis Maioris,nunc B. Petrum, qui nos circa idem anni tempus Chriſto genuit:atque adeo noſtrum verè Patrium Tutelarem Diuum,ſtata quotannis die, cultu omnimodis debito proſequamur? O quando id ego videro inſtitutum!

Interea verò,dum hæc decernenda ſperamus,libet diuina iſta Empyrei Sidera,quæ Neapolitanis oris fauſto iubare illuxerunt, breui, ſed nitido Matthæi Cariophyli Archiepiſcopi Iconienſis,eruditiſſimi certè viri, eruditiſſimo carmine celebrare.

*Sole brumalem repetente metam,*
*Et renaſcentem generante lucem,*
*Lucis aductor, Petrus ex Eois*
*Appulit oris.*
*Rurſus,aſtiuam repetente metam,*
*Lucis & plenum iaculante robur,*
*Affuit lucis ſator, ille cælos*
*Qui penetrauit.*
*Principes terræ,Fidei Parentes,*
*Gentium ſacris ſpolijs onuſti,*
*Dum petunt Vrbem,petiere primam*
*Parthenopæam.*
*Primus hic Petrus dedit incruentum*
*Munus: Aſprenum dedit & ſacrorum*
*Præſulem, ſancto comitante cœtu*
*Diſcipulorum.*
*Cœpit hinc primum populis ſalutem*
*Italis Paulus reſonare Ieſum:*
*Perq; Campanos ſpargere nouales*
*Semina verbi.*
*Gnata ſic matrem præit ante nata,*
*Roma poſt illam,fidei quòd altrix;*
*Vna Syrenas ferat, vt ſalubres*
*Parthenopæa.*

# PRIMITIAE CHRISTIANITATIS NEAPOLIT.

## CANDIDA.

### CAPVT QVINTVM.

COnſideranti mihi, feliciſſimam Candidæ, & Aſpreni, ad Chriſti fidem, Petri hortatu, conuerſionem, occurrunt animo pulchra illa S. Procli verba, initio Laudationis S. Andreæ ſcripta. *Ἀντὶ σκάφης τὸ θυσιαστήριον κατέλαβον.* *Nacti ſunt pro ſcapha Altare*. Quadrant enim mirificè in D. Petrum. Qui, vbi ad Neapolitanum littus deſcendit, inuenit Aram: quo loco ad veri Dei cultum conſecrato, ibidemque, vt mox dicam, Candida, & Aſpren per baptiſmum regeneratis, appoſitè dici poteſt, eo *Altari*, velut piſcatoria quadam *ſcapha*, ipſum hos duos magnos piſces, deindè complures alios Neapolitanos ciues, fuiſſe expiſcatum. De his, nunc ſcribendum: & de Candida primum.

Hæc enim prima omnium Neapoli Petrum adijt, & audiuit. Prima per baptiſmi aquam, de cœlo renata eſt. Prima cœleſtem lucem, quam viderat, Aſpreno indicauit. Verè & præclarè Paulus 1. Cor. 1. 27. *Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus: & ea, quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret: vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius*. Sic olim, Magdalenam potius, quàm virum aliquem elegit diuina Sapientia, vt Chriſti Reſurrectionem Apoſtolis nunciaret. Sic per Apoſtolos, rudes alioqui homines, Euangelium in Orbem vniuerſum inuectum eſt: innumerique ſapientes, Chriſto ſubacti ſunt. Sic etiam ſub Conſtantino Imperatore, teſtibus Rufino lib. 5. cap. 10. Theodoret. lib. 1. c. 24. & Sozomen. lib. 2. cap. 6. Iberi agreſtes populi, ad mare Caſpium habitantes, à Chriſtiana quadam, ad euangelicæ lucis agnitionem traducti fuerunt. Cuius cum ignoraretur nomen, *Chriſtiana Ancilla* dicta eſt, erat enim haud liberæ, ſed ſeruilis conditionis. Sed, vt obiter hoc dicam, compertum eſt apud Iberos, illi fuiſſe nomen *Ninò*. Id ego ex litteris accepi, noſtri Iacobi de Stephano Neapolitani, qui à S. D. N. Vrbano Papa 8. ad barbaras illas gentes, cum alijs noſtris operarijs miſſus fuit. Ad quas, diuino plane nutu, poſt ingentes labores; peruenit pridie natalis eius Diuæ, qui in Faſtis Eccleſiaſticis figitur decimo octauo Kal. Ianuar. Cumque per multos annos ibi commoratus eſſet, indefeſſo ſemper ſpiritu, in Dei gloria, per animarum conuerſionem procuranda, mortalitatem exuit, poſtridie ſolennitatis eiuſdem Diuæ. Dignus profectò cuius fortia facta, aliquis ex Noſtris, copioſa narratione poſteris tradat. Hæc obiter.

Candi-

Candidam, Neapolitanam fuiſſe ciuem, ipſamet teſtatur: vt ex Commentariolo Incerti auctoris, *Qualiter B. Petrus Apoſtolus, primò venit in ciuitatem Neapolitanam*, abundè conſtat: quod M.S. apud Canonicos Cathedralis Eccleſiæ, & in noſtra quoque Bibliotheca M.S. SS. Apoſtolorum aſſeruatur. Cuius ego auctorem, ſi è ſtylo conijcere liceat, facio Petrum Subdiaconum, qui S. Agnelli miracula ſcripſit. Vt id exiſtimem, facit quæ vtrobique cernitur poetica, ſed inculta phraſis, ſermonis ruditas, Mixo-Barbara: & quæ ea ætate Neapoli graſſabatur græcanica latinitas. Cùm ſcilicet è ſua dialecto, ad latinam linguam græculi ſenſim commigrantes, infeliciter vtrobique verſarentur. Vixit Petrus Subdiaconus, circa annum Chriſti milleſimum ducenteſimum. Ibi etiam vt vetula deſcribitur.

Fuiſſe verò etiam nobilem, & vt nonnulli putant, Aſpreni conſanguineam, apud me certum eſt: apud aliquos dubium: ex eo quia, Albericus qui vitam Aſpreni ſcripſit, & Petro Archiepiſcopo Neapolitano circa annum Chriſti 1205. dicauit, vocat eam *mulierculam*: & aſſerentem, amicum ſibi eſſe Aſprenum, non autem genere coniunctum. Puto nihilominus, neutrum obſtare, quin Matrona nobilis, & Aſpreno propinqua exiſtimetur. Non illud prius. Nam vox *muliercula*, non ſemper vilem, & è plebe, ſed interdum etiam, vel *delicatam*, ac *debilem*: vel, vt apud Lucretium lib. 4. *Sequioris formæ* fœminam ſignificat. Alterum verò ſic diluo. Certum eſt, ex antiqua Eccleſię Neapolitanę conſuetudine, vtpotè è græcis ferè conſtantis, Acta Diuorum noſtratium, & Candidæ maximè, quę omnium prima eſt, gręcè fuiſſe deſcripta: è quibus poſtea, medij temporis Hiſtorici Ioannes Diac. Petrus Subdiac. Leo, Albericus, Ioannes Cimiliarcha, alijque nonnulli, ſuas hiſtorias compoſuerunt. Conijcio igitur, non de nihilo eſſe, id quod quidam ſcripſerunt, & etiam vulgus autumat, Candidam fuiſſe Aſpreno conſanguineam: ſed imperitum aliquem interpretem, qui in græcis Candidæ Actis fortè legit *προσήκων*, quod genere propinquum, ſiue neceſſarium, vertendum fuerat, amicum vertiſſe, ſiue potius peruertiſſe. Vtinã græci Codd. quos, vt audiui, Monialium S. Marcellini, & SS. Sergij, & Bacchi, Archiuo ſeruabant, nunc extarent. Multa profectò nobis patefierent, quæ nunc veluti in tenebris palpando conquirimus. Intereà tamen, non video cur credere non debeamus Summontio, ſcriptori ſanè diligenti: qui affirmat, ſe in vetuſtis Neapolitanæ Eccleſiæ monumentis legiſſe, Candidam fuiſſe Aſpreni conſanguineam.

Portò, quod nunc Petro accidit, quo Neapolim appellente, prima omnium credidit Candida, accidit etiam poſtea, & Paulo. Hoc enim Philippis in Macedonia prædicante, S. Lydia Purpuraria, prima omnium credidit Euangelio, vt habetur in Romano Martyrologio die 3. Auguſti.

Obijt Candida bonorum meritis cumulata An. Chriſti LXXVIII. Lini Papæ IX. Eius reliquias in Ara Petri veneramur. In veteri M.S. Rituali Eccleſiæ Neapolitanæ, in Litanijs, quę pro Agonizantibus, dicebantur, inuocabatur, & Candida, cum alijs Sanctis Virginibus. Quòd ſi, inter Virgines eſſet ipſa collocanda, obſeruatione dignum eſſet, Neapolim à virgine natam, Parthenope ſcilicet, à virgine quoque renatam in Chriſto: ab hac nimirum Candida. Sed, cum in Officio Eccleſiaſtico colatur, vt mulier ſancta, talem ipſam fuiſſe exiſtimamus, quamquam virginitatis corona haud ornatam.

# DE S. ASPRENO

## Primo Neapolis Epiſcopo.

### CAPVT SEXTVM.

Quę de Aſpreno dicturi ſumus, his fermè titulis concludantur.

*Sect. I. Aſpreni Patria.*
*Sect. II. Nomen.*
*Sect. III. Genus.*
*Sect. IV. Dignitas.*
*Sect. V. Geſta.*
*Sect. VI. Aetas, & Obitus.*

### *Aſpreni Patria.*
### Sect. I.

EAm aſſero fuiſſe Neapolim. Quoniam autem Baronius Notat. in Martyrolog. ad 3. Auguſt. Aſprenatem, eum vocat, docetque nomẽ hoc, Romanum fuiſſe, debeo equidem, ne quis, tanti viri auctoritate abuſus, hunc primum Antiſtitem noſtrum, non Neapolitanum, ſed Romanum Ciuem extitiſſe arbitretur, opinioni huic, ſtatim occurrere. Certè, omnium qui hactenus hac de re ſcripſerunt ſententia, Neapolitanum eum fuiſſe teſtatur. Et ante annos trecentos, id apertè aſſeruit, velutque antiquam traditionem, publico diplomate munijt Theſeus Sicola Caroli III. Neapolitani Regis Comeſtabulus: Neapolitanum, ſcilicet fuiſſe Aſprenum, eiuſque quatuor germanos fratres, Sicolæ genti dediſſe principium. Et Rogerius Pappanſonius, in ſuo illo qualecunque ſit, Theatri Montani Chronico, quod ante ducentos annos ſe ſcripſiſſe, eoque antiquitates noſtrates collegiſſe memorat, idipſum affirmat. Vtinam vero Codices illi vetuſti, è quibus has ille antiquitates hauſit, Maiores noſtri perire nõ ſiuiſſẽt, ſpretis malè fontibus, contenti turbidis riuis! Hos poſteà ſequuti ſunt Tarchaniota lib. 1. de ſitu Neapolis: & Falcus in Deſcriptione Neapolis pag. 23. Ac nouiſſimè Gualterius in Chronicis Tabulis: qui eum Neapolitanum Ciuem appellat. Nec diſſentit Baronius, vt alicui, verbis eius parum conſideratis, fortaſsè videbitur. Ait enim *nomen quidem*, hoc eſt, Stirpem, cui hoc cognomentum *Aſprenatium* hæſit, eſſe *Romanum*: atque ad id firmandũ, Dionem, Suetonium, Plinium, Senecam, & Caſſiodorum allegat. Quod quidem ego non nego: Sed de Viro ipſo, & Antiſtite noſtro Aſprenate,

Nea-

Neapolitanus necnè fuerit,nihil ille dicit. Iam verò præter allata teſtimonia,ratio quoque ipſa nobis profectò ſauet. Nam noſter Aſprenus,Neapolis Prætor ſuit: vt inferius demonſtrabimus. Erat igitur Neapolitanus Ciuis. Quod hac ratione concluditur. Neapoli,Polijbij teſtimonio,Romana Præfectura nunquam ſuit. Nam alioqui,Romanis exulibus nequaquam licuiſſet ibi tutò morari. At idem Polijbius ſcribit Ciues Romanos exilio pulſos,Neapolim, Prænestē,ac Tybur petere ſolitos eſſe, ibiq; ſedē figere, vti liberis in locis. Itaque ſuis hæ ciuitates viuebant legibus:atque ſibi ipſæ Magiſtratus è ſuis ciuibus eligebant. Maximè hæ tres dudum dictæ, quas proinde Polybius *fæderatas cum Romanis ciuitates* appellat. Neque hoc à Liuio etiam,alijſque ſcriptum,labefactare poterit,id quod, apud ipſummet Liuium Dec.lib.3.legitur:Iunium,videlicet Silanum, ciuem Romanū Præfectum fuiſſe Neapoli,eo tempore, quo Annibal eam obſidere moliebatur. Accitus quippe is Roma ab ipſis Neapolitanis fuerat: vt conſilio,& ſubſidio periclitantem ciuitatem ex fœdere ſociam adiuuaret:non autem à Senatu Romano ad regendam ordinario iure Neapolim, cum poteſtate miſſus. Sic enim Liuius. *Caterum poſtquàm Neapolim à Præfecto Romano teneri Annibal accepit, M. Iunius Silanus erat ab ipſis Neapolitanis accitus Neapoli quoque,ſicut Nola,non admiſſus,petit Nuceriam.* Porrò,Romana Reſpub.adeò gratam habuit,Neapolis in tuenda ſocietate,& in tanto belli diſcrimine conſtantiam,vt Capua,Puteolis,alijſque nonnullis ciuitatibus,quòd Annibali præter ius faſque adhæſiſſent,ſeuerè mulctatis, ijſque impoſitis quotannis à Populo Romano Præfectis, Neapoli nihilominus ius Magiſtratuum, & condendarum legum poteſtatem, atque antiquam Reipublicæ libertatem ſanctè ſeruauerit. Adi Liuium Dec.1.lib.8. & Dec.3. lib.3. & 6. Accedit his,an.V.C.556.Colonias quinque deductas fuiſſe, ab Vrbe Roma in Cāpaniæ oras maritimas:videlicet,Duas ad Oſtia fluminum Vulturni,Linternique: Tertiā Puteolos: Quartā ad Caſtrum Salerni:Quintam Buxentum. Neapolim verò,quanquam ad mare ſitam,non eſt deducta Colonia. Cur ita? Quia,ſcilicet,ſua gaudebat,vtpote fæderata cum Roma ciuitas, libertate. Quocirca poterat etiam Neapolis tunc gloriari, & dicere de ſe, id quod olim Locri,ſeu Hieracium,marmori adhuc exiſtenti, inſculpſerunt. *Soli Deo ſubdita,& populi Romani amica.* Gualr.antiq.Tab.pag.54.n.374.

Quod ſi præterea dicas,Neapolim poſt legem Iuliam, Municipium euaſiſſe: hoc equidem,haud inficior:quippe qui ſciam à Cicerone ad Acilium Famil.lib.13.epiſt.30. atque ad Atticum lib.10.epiſt.14.ſcribente, id apertè affirmari. Hinc nihilominus, tantùm abeſt,vt Neapolis, poſt eam legem,Magiſtratus Romanos acceperit, vt potius noſtra inde opinio validè roborari queat. Municipes enim, ſiue citra, ſiue vltra Tribuum Romanorum terminos conſiſterent,ij ſanè non Romanis,ſed ſuis legibus, Magiſtratibus, & Sacris vtebantur. Vti nemo ferè paulò rerum Romanarum ſtudioſior ignorat. Vtque, vel ex ipſa vocabuli notione poteſt elici.Siquidem,Gellio teſte,Municipes dicti ſunt, quòd Populi Romani munera caperent: non quidem damnoſa,vt eſt collatio tributorum, & id genus alia, ſed quæ ad honorem vtilitatemque pertinerent. De qua re videndus Agellius lib.16.c.13.Adde his Andream Alciatum,qui lib.2.Hiſt.Mediolan.fol.mihi 86.Galliæ Ciſalpinæ libertatem, ex Municipalibus Magiſtratibus confirmat.

Sed rurſus inſtabit quiſpiam, ab Auguſto Coloniam Neapolim ductam:

ctam:ac proinde,cum certum ſit,Petrum aduenisse Neapolim,poſt Auguſti tempora, concludi non poſſe, ex eo quòd Aſprenus Prætor Neapolis fuerit, continuò eundem fuiſſe Neapolitanum ciuem: ſed potius inde haberi,fuiſſe Romanum.Notum ſiquidem, certumque eſt,ad Colonias quaſque,Magiſtratus ab Vrbe Roma fuiſſe miſſos,etiam ad duodetriginta illas, quas,Suetonio teſte cap.46. ab Auguſto per Italiam factas, iure & dignatione,vrbi quodammodo pro parte aliqua adæquauit. Eæ ſiquidem,non habuere facultatem eligendorum ſibi è ſuo corpore Magiſtratuum: ſed tantummodo (quod idem Suetonius tradit) id eis conceſſit Auguſtus,vt Decuriones in Colonijs ſuffragium ferrent de Magiſtratibus, qui Romæ crearentur,eaque ad tempus dierum comitialium, Romam mitterent obſignata:hoc eſt,ſigillis appoſitis clauſa.

Hūc ego nodū ſoluturus, inuitus profectò adducor, ad Fuluij Vrſini, viri alioqui rerū antiquarū peritiſſimi auctoritatē, hoc loco nõnihil deprimendā. Sed parcāt mihi docti viri manes:veritas,& ipſe in Patriam amor, huc me adigunt.

Is igitur,vel primus, vel ſolus,ſuo illo de Nummis laudatiſſimo opere,cum de familia Petronia ageret,affirmauit,Neapolim factam fuiſſe Coloniā ab Octauio Auguſto. Sed planè in hac re fallitur.Nam,quāquam verum ſit,huius Ciuitatis muros turreſque inſtauratas ab Auguſto fuiſſe: vt teſtatur vetus lapis ad Diui Iacobi Italorum, in Platea Ormea,ſiue vt vulgò dicitur,Vlmea(de quo Summontius lib.1.fol.60.)non tamen conſequitur,ab Auguſto hūc fuiſſe Coloniam deductam. Certè Suetonius loco iam citato, me inſtruit, vt tutò negem, Neapolim inter Auguſtæas Colonias poſſe numerari. Tradit ſiquidem in Octauio cap.46. Oppida illa, in quæ Coloniæ deductæ ſunt,aucta fuiſſe ab Auguſto,tum Colonicis Decurionibus,tum etiam iure ſuffragij ad creandos eo modo,quo diximus, in Vrbe Magiſtratus. At quis non videat,ſi Neapolis ex Municipio, aut ex fœderata,& libera ciuitate,Colonia euaſiſſet, non auctam iure aliquo dici potuiſſe, ſed potius maximè diminutam, ſuiſque priuilegijs, ac libertate ſpoliatam? Vis hæc noſſe vberius? Lege Gellium,imò vt melius dicam,audi apud Gellium,Adrianum Imper.Oratione ad Italicenſes:& affatim perſpicies, quàm valdè inferior ſit Coloniæ conditio, Municipiis. Neapolis igitur,inter eas 28.Colonias cenſeri nullatenus poteſt.Significat præterea Suetonius, vti Sabellicus in eum locum notat, ideò Colonias viginti octo deduxiſſe Auguſtum,ne Italia in vaſtitate illa, & ſolitudine, diutius eſſet, quam Syllana ſcilicet, & Mariana pluſquam ciuilia bella,immaniter fecerant. Atqui,nullam propemodum noxam, multoque minus ſolitudinem, Neapolis diris illis tēporibus perpeſſa legitur; vt proinde, opus fuerit Coloniam eo deducere,ne infrequentia laboraret.

Quæ autem doctiſſimo viro Ful.Vrſino perſuadere potuerūt, vt Neapolim ab Auguſto Coloniam deductam crederet,ſcriberetque, ea ego hoc loco diluere operæpretium exiſtimo. Primum,potuit id ei perſuadere,inſcriptio reperta Neapoli, quam à Grutero exſcriptam legere quiſque poteſt pag.227. cui ſanè Titulus eſt AB. COLONIA. DEDVCTA. AN. XC. At ea tabula,non Neapoli,ſed Puteolis exarata:& teſte Pighio to.3. Rom.Annalium,ab agro Puteolano,Neapolim adue cta eſt.Quin etiam,ipſa inſcriptio ad finem,Puteolos nominat,his verbis.*Hoc Opus omne facito arbitratu Duouir.& Duouiratium,qui in Conſilio eſſe ſolēt Puteolis, &c.* Illa item inſcri-

Inſcriptio,quæ ex Panuinij Roma,ab eodem adducitur pag.CX. *Genio Coloniæ Neap.* Cum nihil aliud habeat,præter tria hæc verba, ea ſanè neque alium quempiam doctum virum mouere debet,vt Neapolim noſtram potius,quàm Siciliæ,aut Sardiniæ,aut Africæ,eiuſdem nominis ciuitates,deſignare aſſerat. Maximè cum eam Inſcriptionem, neque nunc Neapolis noſtra habeat,neque vnquam retro habuiſſe legatur.

Arbitror itaque F.Vrſinum, illa potiſſimum Inſcriptione, quæ apud Gruterum num.CCCLXXIII.2.recenſetur,motum vt id aſſereret. Ea ſiquidem ſic habet:

S.P.Q. NEAPOLITANVS L.BÆBIO L. F.
GAL. COMINIO PATRONO COLONIÆ.

Quid clarius? inquies. Atqui ego, nequaquam inficior, ex ea clariſſimè haberi, Neapolim noſtram fuiſſe tandem aliquando Coloniam. Sed ab Auguſto deductam,id equidem eſt,quod conſtantiſſimè pernego. Hæc ſiquidem Tabula,quæ Neapoli eſt,non ad Auguſti Octauij,ſed ad Veſpaſiani,vel certè ad multò poſteriora tempora,referenda erit: conſideranti, eadem pag.num.1.haberi L.Bæbium L. Filium ab Veſpaſiano adlectum inter Prætorios Prouinciæ Luſitaniæ.Si quis autem velit,hunc ab illo diuerſum eſſe,quòd huic addatur *Gal.Auitus*,ille verò *Gal.Cominius* dicatur, nihil id quidem noſtræ ſententię obſtabit: immo eam firmabit magis,magiſque. Galerij etenim homines,nuſquam comparent in RomanaHiſtoria,niſi poſt Nerones.Hoc eſt,diu poſt Petri ad Campaniæ Neapolim acceſſum, atque adeò poſt *Aſpreni* noſtri Præturam. Idipſum dici poteſt ad Inſcriptionem ſupra poſitam,ex Capacio deſumptam. Ea quippe, & poſterior Auguſto eſt: & non.Neapolis Vrbis,ſed eius,quæ in ea erat,Thermenſium, hoc eſt, Cilicum Sodalitatis,cenſeri debet.

Denique Neapoli,Senatus,& Reipublicæ vocabula, etiam poſt Nerones,paſſim leguntur in vetuſtis lapidibus. Inde ergo arguere poſſumus, priſco eo tempore,ſuis illam legibus, & Magiſtratibus vſam: ac proinde Neapolitanam Rempublicam,non ex Vrbe Roma, ſed è ſuis ipſam Ciuibus,ſibi Prætorem,alioſque Magiſtratus delegiſſe. Nam, vt accuratè Sigonius obſeruauit lib.De iure ciuit.Neapolis,Velia,& Heraclea,erant fœderatæ ciuitates Italico fœdere cum Roma obſtrictæ. Id verò Italicum fœdus,vt libertatem maiorem,quàm Gallicum,ſic etiam dignitatem ampliorem exhibebat: vt videlicet, & ſuam Rempublicam, & leges ſuas,& ſuos Magiſtratus haberent: & in eas,dum fœderatæ eſſent,Coloniæ non mitterentur.

Stet igitur, Neapolim nequaquam fuiſſe Coloniam ab Auguſto deductam,vti Ful.Vrſinus arbitrabatur. Quin etiam,ſi mihi longiùs excurrere liberet,apertè oſtenderem,tantùm à vero abeſſe,hanc ciuitatem Auguſto Imp.Coloniam euaſiſſe,vt per eadem propemodum tempora,ipſos potius Neapolitanos ex S.C.alibi Colonias fixiſſe, certo aſſeri poſſit. Duobus nimirum vetuſtis lapidibus id clarè teſtantibus. Altero Cumis reperto.Altero autem à Pariſio in Topographia Regni Neapolitani deſcripto: vtroque verò à Summontio relato lib.1.Hiſt.Neap. c.6. At hæc ego non perſequor: ſed illud ſolummodo aſſero, ac tueor,Aſprenum, non ſolummodò fuiſſe noſtrum Epiſcopum, ſed ciuem etiam noſtrum: Neapolitanum extitiſſe.

Aſ-

## *Aſpreni Nomen.* *Sect. II.*

VAriè illud effertur Veteres Neapolitani Codd. & Ioannes Diaconus in Chronico dicunt, *Aſpren* indeclinabile: & ſic vſus hactenus obtinuit huius Prouinciæ Eccleſiarum, cùm Orationem in eius Feſto recitant, aut cantant. *Da quæſumus Omnipotens Deus, vt B. Aſpren Confeſſoris tui, atque Pontificis, &c.* Laudo equidem ſtudium ſeruandæ, vt putant, antiquitatis: ſed ſi coniecturæ detur locus, id nomen, ſiue cognomen breuiatum iudico: vt à notarijs ſolet: integrumque olim fuiſſe *Aſprenum*, ſiue *Aſprenatem*. Id ſanè ſentire videtur Baronius, cum inquit, vocabulum *Aſpren*, ſonate quid barbarum: ipſe autem effert, *Aſprenas*. Itaque cùm ea ætate nondum itrupiſſent Barbati in Italiam, dicendum videtur, nec fuiſſe, eo culto ſæculo, Neapoli cuiquam inditum huiuſmodi barbarum nomen: atque adeò, noſtum hunc Epiſcopum, non *Aſpren*, ſed *Aſprenum*, vel *Aſprenatem* tũc appellatum. Errore igitur vulgi eueniſſe videtur, vt *Aſpren* vſurparetur. Sic poſterioribus ſæculis accidiſſe in cognomine Stephani Patiſiens, is rectè ſuſpicatur doctiſſimus Bellarminus lib. de Script. Eccleſ. quod nunc corruptè, atque detruncatè vulgus appellat, *Stephanum Paris.* In *Aſpren* autem noſtro, coniectura hæc, non de nihilo ſumpta mihi eſt. Nam præter iam dictam rationem, quam Baronius indicat, legi ego vetus quoddam M.S. Kalendatium, quod die 3. Auguſti habet hoc modo: *Aſpren. Epiſcopi Neapolitani*: vbi punctus additus dictioni *Aſpren.* breuiatam proculdubio dictionem hanc arguit, & integrum viro nomen olim extitiſſe *Aſprenum*, ſiue *Aſprenatem*. Suſpicari itaque licet, ex eiuſmodi decurtato ſcribendi more accidiſſe, vt, ablato puncto, id vocabulum breuiatum, pro integro ab indoctis acciperetur: imo, vt & alijs viris ſic detruncatum imponeretur. Nam lego in Noſtratibus, quamquam non admodum antiquis ſcriptoribus *Aſpren Sicolam*, apud Pappanſonium Chronico de Sedili Montano pag. 1. Regis Legatum, & apud Matthæum Spinellum, in Diario ad ann. 1. Manfredi Regis. In antiquioribus autem, nuſquam mihi hactenus reperta eſt eiuſmodi mutila vox, *Aſpren*, ſiue *Aſprem*, ſed potius *Aſprenas*, vetus cognomentum Calputnijs, Nonijſque, & Aſper Æmilijs datum. Et poſt hos *Aſprilis* Epiſcopi Nucetini nomen, in Romana, ſub Symmacho Synodo: quod Codd. quidam corruptè habent Aprilis. Legitur quidem, ruentis Reipublicæ ætate, in Caſſiodori Chronico, *Aſpar* cum Atiouindo Conſul, imperantibus Theodoſio iuniore, & Valentiniano 3. Et turſus apud Iornandem lib. 1. Regnorum, Aſpar Patritius, Anthemio, & Leone Principibus. (Mitto autem duos illos apud Panuinium Conſules Aſpros: Nam mendum ibi ſubolet: eò quod Faſti Siculi, non Aſpros, ſed Aptos habent) ſed id vocabulum apud antiquos auctores latinos græcoſque in Aſparis, & in reliquos ſubinde caſus inflectitur: vt Chronicon facit Alexandrinum, quod ſic habet. *Hoc anno*, nempè Leonis Aug. X. Puſæo, & Ioanne Coſſ. *tyrannidem quiſpiam meditatus.* Aſparem Patritium, & Principem Senatus intra Palatiũ occidit, græcè eſt Ασπαρα τον πατρικιον. Finio igitur hanc diſſertatiunculã: & laudo recentiores eruditos viros, qui nomen iſtud Sancti noſtri Epiſcopi, quód ſic mutilum, neſcio quid barbarum ſonat, ad Romanum modum

inuet-

inuertunt:dicuntque,vel *Aſprenus:* vt Volateranus lib.6. Geograph. & Lindanus lib.de Miſſa B.Petri. Vel *Aſpremus*,vt Romæus in eius vita,& Spinellus Opere Mariano. Vel *Aſprenius*,vt Galeſinius Notis in ſuum Martyrologinm,die primo Februarij. Vel *Aſpres*,vt Iordanus in ſuo apographo libro de Viris SS.aliquot Neapolitanorum. Vel *Aſprenus*, vt Iuuenis Hiſtor. Tarent.lib.8. cap. 1. & nouiſſimè Stengelius in vita B.Petri cap.41. Vel denique *Aſprenas*,vt Baronius Notat. in Martyrolog. Rom. ad diem 3.Auguſti, & Sanctorius in vita B.Petri . Quouis autem ex his modo id vocabulum pronuncietur,benefactum iudico:vt nimirum,obſoleſcente iam indeclinabili, & aſperrimo illo vocabulo *Aſpren*, deinceps latina aliqua inflexione emolliatur.Mihi quidem *Aſprenus* p . iter,& *Aſprenas*, poſthac, vti libuerit, appellabitur .

Verum, antequam à nomine diſcedamns, breuiter diſquirendum hic eſt . An vocabulum hoc *Aſprenas* nomen proprium noſtri Antiſtitis fuerit necnè . Nam,quia in Romanis illis priſcis *Aſprenatibus* cognomen id ſanè fuit,non autem prænomen, aut nomen, ideo meritò quis ſuſpicari poterit, non fuiſſe id noſtri Epiſcopi nomen proprium,ſed cognomen . Nihilominus tamen dicimus,id fuiſſe nomen eius proprium . Quippe,vti rerum nóminumque Romanorum periti docent , etſi florente Repub. id priſcis Romanis erat nomen proprium,quod primo loco ponebatur,& ob id prænomen dicebatur,vt Ciceroni,Marcus proprium nomen erat, & Cæſari, Caius:Sequiore tamen tempore,& Repub.in peius ruente,contrarius vſus inualuit. Vt nempe,non quod primo,ſed quod vltimo poneretur, id eſſet cuiuſque proprium nomen:eoque vno,ſi quando pluribus abſtinere placuiſſet,vnuſquiſque deſignaretur. Sic in Faſtis,Rufus ille Domitiani collega in nono eius Conſulatu,nunc Rufus tantùm, nunc omnibus nominibus, vt ex lapide Romano paret , Q. Perilius Rufus dicebatur.Item Philippi collega ſub Honorio,idemque Proconſul noſtræ Campaniæ,nunc Baſſus, nũc Anicius Auchenius Baſſus dictus eſt.Illi igitur,Rufus poſtremò poſitus,nomen proprium fuit:huic verò Baſſus . Atque idipſum de noſtro Antiſtite, qui certè poſt corruptam euerſamque Remp.vixit, dicendum eſt , Nempe *Aſprenatem* fuiſſe eins nomen proprium . Et quia vbique id vocabulum legitur ſolitarium,& nulli alij coniunctum, ideò nomen eiuſdem , & prænomen ignorari . Quòd verò florente Repub.Romana, *Aſprenas* cognomen fuerit,non autem nomen proprium,id non obſtat, quin è cognomine,proprium nomen potuerit euadere.Idipſum enim in multis alijs eueniſſe,fusè, & eruditè docet apud Macrobium Prætextatus lib. 1.Saturnal. cap.6. Atque hoc ipſum,quod de *Aſprenate* noſtro diximus,exiſtimandum etiam eſt, de priſcorum aliorum Antiſtitum vocabulis nndè poſitis: nempe de *Agrippino*, *Fortunato*, *Maximo*, *Seuero*, & huiuſmodi cæteris.

Venio nunc ad Prænomen . Atque ne te,mi lector,diutius morer,fateor, nullibi me legiſſe, quodnam *Aſprenatis* Prænomen fuerit . Neque id mirum,aut inſolens videri debet.Frequens is mos apud Romanos,exteroſque ex ſolo cognomine,aut nomine, Prænomen intelligere , Ita Nerone nudè poſito,Neronem Claudium ſignificamus : & Cicerone, M.Tullium Ciceronem . Idipſum poſterioribus ſæculis accidit , inter alios plurimos, Petronio Bononiæ Epiſcopo, & Gaudioſo Præſuli Bytinenſi, viris ſanctiſſimis(profero hæc duo exempla tamquam nobis notiora.) Ille enim Sextus Petronius vocatus eſt , vt Baronius doctè adnotat, ad 4. Octobris in

Martyrologio. Iſte verò, ſeptimus Cælius Gaudioſus: teſte eodem Baronio ad 28. Octobris, qui id ex B. Agnelli Actis elicuit. Vulgò tamen, nudè nominantur, ille Petronius, iſte Gaudioſus. Eiuſmodi igitur locutionis cōpendio vocabulum *Aſprenas* nudè prolatum, vicem nominis Prænominiſq; ſubiuit, illis videlicet, ex hominum ore memoriaque dilapſis. Si quis tamen eum vocauerit *Nonium Aſprenatem*, is rectè faciet: conſtat enim cognomen fuiſſe Noniæ gentis, quod & Lipſius ad Tac. Annal. lib. 1. notat.

## *Aſpreni Genus.*
## *Sect. III.*

SEd numquid & Genus Neapoli duxit? Baronius, & ij qui *Aſprenatem* vocant, Romaniſque *Aſprenatibus* adiungunt, profectò reſpondebunt, ſaltem genus ſtirpemque *cui Aſprenas* cognomen tum adhæſit, fuiſſe Romanam. Quippe *Aſprenas* cognomen fuit Noniorum, & Calphurniorum: vt Pighius docet in Rom. Hiſt. penu. Et hæc quidem doctiſſimi Baronij ſententia vera eſt. *Aſprenatium* enim, crebrò fit mentio, tum in Romanis Faſtis, qui habent *Aſprenatem* cum Clemente geſſiſſe Romæ Conſulatum, anno XIII. Domitiani, tum etiam apud Romanæ Hiſtoriæ Scriptores, Dionē lib. 56. Suetonium Auguſto cap. 43. Qui id quoque adijcit, ab eo tempore adhæſiſſe *Aſprenatibus* cognomen aliud, *Torquatorum*. Cæterum, vt oſtendamus, qua ratione ijs origine Romanis, licuerit, Neapoli libera tùm, & fœderata Ciuitate Magiſtratū gerere, probabiliter poſſumus: poſſumus *Aſprenates* aliquot, iam diu ante noſtrū *Aſprenū*, ſiue mauis *Aſprenatē*, Roma profectos conceſſiſſe Neapolim, atque in Neapolitanum Municipium fuiſſe adſcriptos. Licebat enim cuique pro libito, ad aliam migrare ciuitatem. Audi Ciceronem Oratione pro Cornelio Balbo. *Omnes mutare ciuitatem poſſunt: modo aſciſcantur ab ea ciuitate*. Aſciti igitur *Aſprenatis* noſtri maiores fuere à ciuitate Neapolis. Id profectò non caret exemplis: è quibus vnum idque illuſtre nunc ſatis eſto. M. Cicero ad Acilium ſcribens, cum dixiſſet L. Manlium Catinenſem, factum fuiſſe Neapoli Decurionem, ſubitò oſtendit, qua ratione fieri potuerit, vt in eo Municipio adeò nobili, & fœderata, ac libera Vrbe, externus homo Magiſtratum adipiſceretur: ſubditque hoc ideò contigiſſe, quòd is iampridem in eam ciuitatem adſcriptus fuiſſet. *Erat enim*, inquit, *adſcriptus in id Municipium, ante ciuitatem ſocijs & latinis datam*: ſignificans his verbis, illum, quamquam à Catina Vrbe genus duceret, attamen non iam Catinenſem, ſed Neapolitanum fuiſſe exiſtimatum. Quocirca alio loco, nempè lib. 13. ad Attic. epiſt. 31. Cicero, hunc ipſum L. Manlium ſimpliciter appellat Neapolitanum. Similiter igitur, exiſtimandum eſt aliquem *Aſprenatium*, Neapolitanam ciuitatem fuiſſe olim adeptum: è quo poſtmodum *Aſprenas* hic noſter, Neapoli ortus eſt. Id verò ex eo, quod narrat Liuius, magis magiſque euadit probabile. Is enim lib. 3. Decad. 3. disertè tradit, & plurimos nobiles equites fuiſſe Neapoli: & ciues Romanos, cùm Nobilibus è Campania crebra inijſſe connubia. Itaque facilè *Aſprenates* aliqui, *Calphurnij*, ſiue *Nonij*, cum Neapolitana Nobilitate coniugio iuncti, noſtrum hunc *Aſprenatem* Neapoli genuere.

## *Aſpreni* Dignitas.
## *Sect.IV.*

DE Parentibus noſtri *Aſprenatis*, adoleſcentiaque eius, cum nihil vſpiam ſcriptum, aut traditum reperiam, tranſeo ad honores dignitateſque, quibus in ſua Patria Neapoli, antequam Chriſtum noſſet, perfunctum lego. In primis autem, id vniuersè mecum lectores obſeruare velim: Apoſtolos, etſi ipſi, magnam partem fuerint genere ignobiles, in id tamen animum vireſque omnes intendiſſe, vt nobiles viros, & dignitate auctoritateque primores, Euangelij ſagena, Chriſto Domino expiſcarentur. Id quidem teſtatur antiquiſſimus Irenæus lib.4.cap.49. num.5. cum ait. *In ipſa Cæſaris regali aula extitiſſe Chriſtianos viros, valdè potentes* Et verò, expediebat cunabulis Chriſtianæ fidei fouendis, & magnificè exornandis, vt Summatum virorum ſplendor, celebritas, diuitiæque, Apoſtolorum paupertati, atque humilitati præſto eſſent: diſceretque vniuerſus Orbis, Chriſtum Ieſum paucis antea annis patibulo crucis ignominiosè cõfixum, Regem eſſe omnipotentem: cui, vt prædixit Iſaias cap.45. v.23. *Curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua*. Apoſtolos quoque imitati ſunt poſterioris æui Apoſtolici viri. Inter quos (vt cæteros prætercam) Noſter B. Andreas Auellinus, Nonus Neapolitanæ Ciuitatis Patronus. De quo hæc Noſter Boluitus, lib.2. vitæ eius cap.17. *Quamquam præclarum opera compendium exiſtimaret, quoties illa apud præcelſos viros collocaretur: grande momentum ratus, ſi hi, Deo cernerentur conuerſi, aut auerſi. Nimirum, quòd ex eorum imitamento, multorum exoriretur virtus, & profectu, irriti redderentur dæmonis conatus. ad eorum perniciem ſeſe ſtudioſius enitentis. Votis autem ipſius abundè à Deo factum ſatis, adiuncta ſemper* Nobil*ium catcrua, quæ ipſum in ſpiritu ductorem, ac doctorem ſequebatur*. Eius itaque ciuitatis Præturam geſſiſſe ſcribitur in illis ipſis, quales quales exiſtimandi ſint, MM.SS. antiquis commentarijs Ioannis Villani, Theſei Sicolæ, & Rogerij Pappanſonij: quibus, etſi non admodum vetuſtis authoribus, in his tamen rebus credere, nihil prohibet. Erant ſiquidem, ea ætate rerum Neapolitanarum multò illi peritiores, addo & ſinceriores, ſcriptoribus nuperis. Certè Baronius, quo ſolidiorem, & grauiorem Hiſtoricum haud reperies, è Romana nobilitate inſignem præclarumque virum *Aſprenatem* noſtrum fuiſſe exiſtimat. Ipſummet itaque haud abſurdum fuerit cum ijs ſcriptoribus opinari, Neapolis Municipij antequam Epiſcopus fieret, geſſiſſe præturam: qui inclytos Conſules Romæ habuiſſet progenitores.

Fuit autem Prætura, *primarius Magiſtratus, penès quem omnis publici priuatiq; iuris poteſtas, vt & nouum ius condere, & vetera abrogare. facultas eſſet*. His verbis Vrbanam Præturam definit Liuius lib.5. Nec minorem à Neapolitana Republica ius poteſtatemque Prætoribus datam, veriſimile ex eo fit, quòd è Græcis Romaniſque coalita ciuitas, partim Athenis, partim Roma ſuas leges formamque regendorum ciuium, & ſeruandæ, augendæque ditionis acceperit. Non eſt modo nobis eundum per ſingula, ne ab noſtro ſcribendi inſtituto, æquo longius abripiamur. Exempla nihilominus magis conſpicua ſunt, Archontes, Phretarchi, Demarchi, aliaque Magiſtratuum græca vocabula, ad Athenienſis Reipublicæ formam, de quibus officijs in Campaniam è Græcia inuectis diſertè agit Strabo Geograph. lib. 5. & ex

eo,alijſque priſcis ſcriptoribus,noſter Alexāder ab Alexandro lib.4. c.23. Prætores verò,Ædiles,Cenſores,& Decuriones,ad inſtar Romanæ Reipublicæ habuit. Adde his.Theatra,Nobilium videlicet virorum ſedes, Parthenope ſumpſit è Græcis illis ingenuorum hominum conuentibus. Aut ſi mauis, è Romanis Baſilicis, in ſimilem propemodum formam vſumque conſtructis. Sed de his fortaſſe aliàs. Ad *Aſprenatem* redeo,Prætura, vt Hiſtorici illi tradunt, Neapoli functum. Summo ſcilicet Magiſtratu digno ſummate Viro. Quocirca Virgam eximiæ poteſtatis inſigne gerens,& Prętorianis infulis conſpicuus,idem deſcribitur à iam dictoRogerio antiquiorum proculdubiò Hiſtoricorum noſtratium,qui ſua ętate extabant(vtinam & nunc exſtarent!) ſecuto ſinceram fidem. Enimuerò de virgis Magiſtratuum,quæ erant ex betulla,meminit Plinius lib.16. cap.18. Benè autem ſe in eo munere prudenterque geſſiſſe,credendus eſt *Aſprenas*: vti virum decebat nobilem, & patriæ amantem, & mox Chriſtiana fide imbuendum.

## *Aſpreni Geſta.*
## *Sect.V.*

EA hoc loco prætereo: quòd pauca,quæ extant, illa vel in Hiſtoria de S.Petri in Campaniam aduentu, ſupra tetigerim, vel quòd in vita ipſius,& Candidæ apud Regium videri poſſint. Idem dico de miraculis,quæ poſt eius mortem,eiuſdem apud Deum potenti prece, patrata ſunt.Iſtud pro omnibus ſufficiat,quòd in eius vita M.S.legitur. *Cœpitque Aſpren magiſtri ſui cooperator eſſe.ad clamationem nominis Saluatoris, ſigna, & prodigia facere,cæcos illuminare,claudos conſolidare,alioſque infirmos, & debiles confortare.* Erant quippe ea miracula neceſſaria chriſtianæ fidei recēs ſatæ, firmandæ.vti Gregor.Papa,exemplo arbuſtorum inſinuauit.Homiſ.29.in Euang.Sed ſatis fuit dixiſſe, Ipſum ab Apoſtolo Petro Epiſcopum patriæ ſuæ creatum fuiſſe. Nam eius in Epiſcopatu geſta aliquot,Anonymus ille,fuſiore narratione tradit. Quod ad Neapolim attinet,Certè eius amplitudo,eiuſmodi vel tūc erat,vt iuxta id quod Anacletus Epiſ.2.ad Epiſcopos Italiæ, ex præſcripto proculdubio Petri decreuit, omitti nullo modo potuerit,aut debuerit,quin ſaltē Eṗo decoraretur.Nā ante cōplures annos Cicero Orat.pro Rab.Poſth.iam vocauerat Neapolim *Celeberrimum Oppidum*. Id autem multò celebrius,& ciuibus auctius,poſt tempora Ciceronis euaſit: ſublatis ſcilicet ciuilibus Romæ bellis, & ſæuis illis proſcriptionibus,quæ omnem propemodum Orbem,& maximè Italiam,diu afflixerant, atque immani depopulatione,penè ad vaſtitatem adduxerant. Firmat hæc illud Hugonis Ætheriani generale dictum lib.3.de proceſſ. Spiritus Sancti cap.17.Beatiſſimum Petrum in omnibus ferè Italię Ciuitatibus,Epiſcopos ordinaſſe. Ciuitatibus,inquam,quæ re,& nomine tales eſſent.

## *Aſpreni Aetas, & Obitus.*
## *Sect. VI.*

DE ætate autem Aſprenatis, varia veterum Codd. lectio. Ferè omnes habent, vixiſſe eum vſque ad annum Chriſti LXXX. Hoc eſt, decem annis, poſt Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum necem. Hiſtoria tamen de vita, & geſtis Sancti Aſprenatis, quam ab Alberico olim ſcriptam, in vet. Cod. legimus, habet, deceſſiſſe anno Chriſti LXIX. **Dierum,** inquit, ***ſenex obiit, 3. Nonas Auguſti, anno Domini ſexageſimo nono.*** Sed mendum id eſſe librarij exiſtimamus. Alioquin, quo id modo ſtare poſſet, cum eo, quod paulò ſuperius in eodem Codice legitur, ipſum fuiſſe Neapolis Epiſcopum annis XXXIII? Conſtat ſiquidem, anno 2. Claudij, hoc eſt, Chriſti 45. ſiue, vt aliqui noſtrates Hiſtorici, ſed malè ſupputant 46. Petrum veniſſe ad Italiam, atque ad Vrbem Romam. His itaque ſi addantur anni 33. fiunt anni 79. non autem 69. Corrigendus eſt igitur in nota numeri mendoſus Codex. Sed id facilè emendatu eſt. Illud verò difficilius extricabitur, ſi anno Chriſti 79. Aſprenas obijt, qua videlicet ratione ſubſtitui illi poſſit Patrobas Pauli diſcipulus? Quippe Dorotheus in Synopſi, vt in emendatis Codicibus legitur, clarè tradit, Patrobam fuiſſe Neapolis Campanorum Epiſcopum. Vt igitur exiſtimare poſſimus, noſtrum Præſulem Aſprenatem vixiſſe vſque ad Chriſti iam dictum annum 79. dicere opus erit, Patrobam, non ab Apoſtolo Paulo, qui iam obierat anno 69. ſed à B. Lino Petri ſucceſſore, præfectum fuiſſe Neapolitanæ Eccleſiæ, eo ipſo Chriſti anno 79. quo obijt Aſprenas. Sed de Patroba fuſior inferius ſermo redibit.

# DE AMPELONE

## Et trecentis alijs à Petro ad Chriſti fidem conuerſis.

### CAPVT SEPTIMVM.

EST Reſina,ſiue Retina,Oppidulum Neapoli vicinum. Hoc Petrum adijſſe, præter ea, quæ ſuperius ſcripſi, comprobatur ex traditione, Ædiculaque in tantæ rei memoriam S.Petri ad Calaſtrum vocitata, (De Calaſtro Ortelius Theſaur.Geograph.in Retina)adhuc extante ad maris littus extructa. Ac item, Diplomatis antiquiſſimi teſtimonio. Legit iam dictum Diploma, Conſtantino Magno Imperatore exaratum,Archiepiſcopus Nicolaus,dum Diœceſanas Eccleſias,anno Chriſti 1423. luſtraret: cuius rei memoriam tranſmiſit ad poſteros N.Rogerius Pappanſonius:qui & ipſe,atque alij Diœceſanæ Viſitationis commiſſarij,idem vetuſtiſſimum Diploma legerunt,probarunt,& exſcripſerunt in hæc verba.*Anno à Paſſione Domini Noſtri Ieſu Chriſti XX. veniens Beatus Petrus Neapolim, per Villam Reſinam tranſijt.Quo loco probum virum nomine Ampelonem, ad Chriſti fidem conuertit;& poſt eum,vno eodemque die, pluſquam trecentos alios eiuſdem Villæ populares.* Sciens,ac prudens omitto reliqua: quod immanes prochroniſmos, & crebra ſphalmata,à plebeiæ mentis,& linguæ ſcriptore, miſerè deprauata cõtineant.Certè marmor illud primæuum, ijs fabuloſis appendicibus, vt par eſt credere,omninò carebat.

In his tamen Diplomatis verbis, quæ exſcripſi, operæ pretium erit obſeruare aliqua. Primùm,*Reſina*,vt benè Ortelius obſeruat,eadem eſt,ac *Retina*.Illa videlicet Villa,quam Plinius iunior memorat epiſt.16.lib.6.ad Tacitum: Falluntur autem Hermolaus Barbarus, & qui illam ſequuntur, Cataneus,& Capacius,Retinam hanc noſtram,propè Miſenum ponentes. Significat enim Plinius, eam Villam non ab Occidente, vbi Miſenus, ſed ab Oriente ſitam eſſe,Neapoli finitimam,cum ait,Villam eam ſubiacuiſſe Veſuuio Monti, vndę periculum oriebatur:ſubditque hæc verba. *Deducit* auunculus meùs *quadriremes:aſcendit ipſe,non Retinæ modo, ſed multis (erat enim frequens amœnitas oræ)laturus auxilium.Properat illuc,vnde alii fugiunt, rectumque curſum,recta gubernacula, in periculum tenet:adeo ſolutus metu, vt omnes illius mali motus,omnes figuras,vt deprehenderat,oculis dictaret, notaretque. Iam nauibus cinis inciderat,quo propius accederet,calidior,& denſior.Iam pumices etiam,nigriq; & ambuſti,& fracti igne lapides:&c.* Quæ ſanè,atque alia verba,quibus deindè ſignificat,

gnificat, Plinium Stabias propius acceſſiſſe, apertè indicant, Retinam non adeò remotam à Veſeuo fuiſſe, vti iſti putant, qui eam Miſeno propinquam faciunt. Miſenum enim, Puteolos, Cumam, & totam illam oram Neapoli Occidentalem, operuerunt quidem cineres, non autem lapides ambuſti, ac pumices: ſuperfuiſſent quippe, ac cernerentur adhunc vſque diem, vt Reſinæ, & finitimis locis hodieque cernuntur, terræ aridæ faciem contegentes.

Præterea, iſte Ampelo, qui eo vetuſto monumento memoratur, vir Græcus fortaſſe, vel potius græco vocabulo Campanus fuit. Paſſim namq; ea, & ſuperiore ætate, græca nomina, Neapolitanis, Campaniſque indebãtur. Etenim *ἀμπελων* vinea, & *ἀμπελος*. vitis eſt. Hinc illud Chriſti Domini Ioan. 15. *Εγὸ ειμη ἀμπελος : ϗ ὑμεις τα κλήματα. Ego ſum vitis, vos palmites.* Et, nõnè noſter etiam Α'μπελος, ſiue Α'μπελων, Reſinæ fructificaſſe, palmiteſque multos, exemplo ſuo, ac prædicatione poſt Petri diſceſſum produxiſſe credendus eſt? Quin etiam, eouſq; in eo viro, religionis Chriſtianæ cultus creuiſſe traditur, vt poſt multos à Petri aduentu annos, ſacram Ædem Deiparæ Virgini Reſinæ conſtruxerit: & in eius Ara maxima, ſacram eiuſdem Deiparæ imaginem, Chriſtum puerulum complectentem, ſicuti per quietem aſpexerat, depingi curauerit. Ea hodieque extare dicitur, magno enim populorum concurſu quotannis Paſchæ feſto frequentatur.

Porrò Mediolanũ etiã, habuit D. Ampelũ ſuũ: cuius ſacrũ corpus, D. Carolus ſolẽniter trãſtulit: egregio quoque carmine ad nominis ethymõ adludẽte (illud Ferrarius lib. de Sãctis Ital. refert) tũc tẽporis celebratum.

Iamuerò, quod in ea inſcriptione habetur, *plusquam trecentos* ſimul populares ad Chriſtum fuiſſe à B. Petro conuerſos, id ſanè arguit, eam Villam fuiſſe olim frequentem incolis, & aduenis. Plinij quidem verba, magnam eius oræ prædicant frequentiam: ob loci videlicet ſaluberrimum aerem: atque latam amœnitatem. Addo, abire illuc ſolitos phthiſi laborantes, ex omni Italia plurimos: quod Galenus alijque multi diſertè teſtantur.

# DE SANCTO
# PATROBA
## Neapolitano Epiſcopo,& Pauli diſcipulo..

### CAPVT OCTAVVM.

PAtrobius ille Neronianus emiſſarius, de quo Suetonius in Galba cap.20.quamquam vocabulo cum Patroba noſtro conuenire aliquibus fortaſsè videatur, aliam tamen à Patroba habet interpretationem.Grecè enim *πατρόβιος,Patris vita* eſt. At noſter Patrobas, *Paternus*, ſiue *Paternalis*, Pagnino teſte in Nomenclatore Bibliaco interpretatur. Itaque nec nomine quidem,Sánctus iſte Epiſcopus, cum ſceleſto illo Neronis adminiſtro conuenit, Patrobæ autem huic noſtro Antiſtiti,appoſitè inditum id nomen puto. Is etenim,vti Chriſtianorum Epiſcopum decebat, paterno prorſus animo,populos ſibi commiſſos inſtituit,& educauit. Porrò pauciſſima de eo leguntur. Dno videlicet ſolummodo. Nempè, quòd Pauli Apoſtoli diſcipulus fuerit.Et Puteolos,ſiue Neapolim,atque vt mecum docti quidam Hiſtorici ſentiunt,ambas ſimul has ciuitates,Epiſcopus rexerit. Nam,quòd Pelorum fuerit Epiſcopus, neſcio vnde Demochares hauſerit.

Quoad primum, extant Martyrologij Romani luculenta verba, Patrobam Pauli Apoſtoli diſcipulum fuiſſe teſtantia. Sic enim habet: 4. Nouembris.*Natalis SS.Philologi,& Patrobæ Pauli diſcipulorum* In Menologio autem,tres alij adiuncti leguntur,hoc modo.Die 5.Nouembris*Commemoratio Sanctorum Martyrum Hermæ,Lini,Caii,Philologi,& Patrobæ: qui Chriſtianæ fidei confeſſione inſignes,multa propter pietatem perpeſſi,ac plurimis ad Chriſti fidem conuerſis,quieuerunt in Domino*. Fuit igitur Patrobas Pauli diſcipulus. Imò & Chriſti diſcipulus fuerat,antequam Pauli eſſet ſectator. Id quippe tradit Chronicon Alexandrinum pag.507.quo loco recenſet LXXII. Chriſti diſcipulos,& illorum vigeſimum ponit Patrobam, eique adiungit Rufum, Aſyncritum,Phlegontem,Hermam.Non igitur poſthæc Capuæ Neapolis inuidebit: quòd illa Priſcum Chriſti diſcipulum habuiſſe glorietur: Habuit enim,& Neapolis,Chriſti Ieſu diſcipulum,videlicet Beatiſſimum hūc Patrobam.

Nolim autem,quempiam ex Menologij verbis colligere,Patrobam ſocioſque eius, Chriſti Martyres extitiſſe. Licet enim Galeſinius in ſuo Martyrologio, & Ferrar. lib. de SS. Italiæ ad 4. Nouembris,probabiliter ſcribant,multa illum paſſum eſſe incommoda à Gentilibus,dum Chriſtum annuntians, complures ad rectam fidem perducere t, propriè tamen nec

ipſe,

ipſe,nec ſocij Martyres dici potuerunt. Nam præter ſcriptorum omnium de eorum martyrio ſilentium,Eccleſia Puteolana,Patrobam, vt Confeſſorem Pontificem, non autem vt Martyrem celebrat: ex decreto Epiſcopi Leonardi Vairi,viri erudiriſſimi. Itaque candidis,non autem rubeis indumentis,colendus nobis eſſet dies S. Patrobæ Natalis, ſi quando, vti cupimus,hunc antiquiſſimum, & Sanctiſſimum Præſulem,qui Puteolis nunc ſolummodò colitur, inter Neapolitanos etiam Diuos adſciſcendus, & Neapoli deinceps celebrandus eſſet.

Et quidem illud obſtare non poterit, quòd Puteolani eundem Patrobam, tamquam eius ciuitatis Epiſcopum celebrent. Quamplurima enim ſuppetunt prorſus ſimillima antiquorum Pontificum exempla: qui multarum ciuitatum Epiſcopi,in ijs tamen omnibus ritè coluntur:ob id nimirum (vt ſœpè olim contigit)quòd vnus idemque Epiſcopus,Apoſtolico more complurium ciuitatum,imò & Prouinciarum Eccleſias,primis illis Chriſti ſæculis fundauerit,inſtituerit, rexerit. Sic vnus Martialis Chriſti diſcipulus,non ſolum Lemouicenſis, ſed etiam, vt Baron.ad 30.Iunij, & Gulielmus Spirenſis Centen.1.adnotant, Pictauienſis, Engoliſmenſis, Burdegalenſis,Bituricenſis,Sanctonenſis,Viennenſis,Anicienſis,Ruthenẽſis, & Mimatenſis Eccleſiarum fuit Epiſcopus, atque in ijs hoc etiam tempore ſolẽni officio celebratur. Sic Maternus Petri diſcipulus, & Treuerenſium, & Tungrorum, & Colonienſium, & aliorum finitimorum populorum fuit ſimul doctor,& Præſul.Martyrol.Rom.14.Septembris. Sic Syrus,& Iuuentius,non Ticinenſem ſolummodo,ſed & Vicentinam, aliaſque vicinarum ciuitatum fundarunt,atque inſtituerunt Eccleſias. Plura huiuſcemodi occurrunt exempla in ſacra Hiſtoria,ſed in re clara hæc ſatis ſunto.Redeo ad lineam.

Paulus Apoſtolus,in epiſtola ad Romanos,Patrobam, alioſque diſcipulos ſuos ſaluere iubet,his verbis.*Salutate Aſyncritum, Phlegontem,Hermam, Patrobam,Hermen,& qui cum eis ſunt fratres*. Sic loquitur Apoſtolus: quòd ij omnes,ad vnam eandemque familiam pertinerent. Id nempe indicare viſus eſt Paulus,cum addit.*Et qui cum eis ſunt fratres.* Significans nimirum,eos omnes,vnam vitam ducere ad Apoſtolicam formam.Prætereà,ſi verum ſit, vt nonnulli etiam veterum ſcriptorum ſentiunt, Hermam,qui inter hos ab Apoſtolo nominatur,Romæ vixiſſe in titulo Paſtoris,facilè etiam conijcere poterimus,hos omnes,B. Petro Apoſtolo, qui in eiuſdem Paſtoris Titulo,antea Pudentis æde dicto,habitaſſe traditur,aliquandiu fuiſſe contubernales.Ac proinde magnam certè gloriam noſtro Patrobę eueniſſe,qui meruerit eſſe Principis Apoſtolorum *conuictor*,vt ille air,*denſoq; domeſticus vſu*, multis iam annis,antequam Paulus Romam veniſſet.Nam epiſtola ad Romanos, è qua hoc de Patroba Romæ tunc manente teſtimonium produximus,ſcripta eſt ab Apoſtolo, vt Baronius ex Origene, & Chryſoſtomo rectè colligit,anno Chriſti 58. Hoc eſt,14. annis poſtquam Petrus Romam adijt:& Apoſtolicam Cathedram inſedit. Et verò florebat,tunc magnopere Romana Eccleſia: vtpotè prædicatione Petri mirificè propagata. Hinc illa Paulus elogia de ea ſcripta reliquit cap.1.v.8. *Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo*. Et cap.15.v.15. *Pleni eſtis dilectione,repleti omni ſcientia*. Et cap.16.v.19.*Veſtra obedientia,in omnem locum diuulgata eſt*. Ideò mirum non eſt,tot Chriſtianorum turmas,familiaſque Romæ conſiſtentes,à Paulo hac epiſtola fuiſſe ſalutatas.Quãquam certè non omnes nominauit:(quis enim

ſingulos recenſere potuiſſet?)ſed præcipuos tantummodo, &, vt B.Anſelmus ait, *Famoſos in Religione.* Porrò(quod idem Anſelmus obſeruat ) *Omnes quos ſalutauit Paulus*, inter quos Patrobas noſter fuit, *intelliguntur præclari fuiſſe, & fide, & meritis: vt eos iure deberẽt Romani honorare, & credere verbis eorũ* Sanè quidẽ eximium eſt Patrobæ , & ſociorũ eius encomium, *fratres* à Paulo fuiſſe appellatos. *Magnum eſt*, inquit Theodulus Cælesyriæ Presbyter cõmentario in hanc epiſtolam, *quòd iſti, Diui Pauli fratres dicantur.* Hoc eſt, tanto Apoſtolo chari ſodales .

Hic igitur talis, ac tantus vir, & tam charus Apoſtolis, Puteolanam, & Neapolitanam vrbem Epiſcopus rexit . Sic quippe Diuum Hippolytum Epiſcopum Portuenſem, qui Puteolorũ, cum Dorotheo, qui Neapolis eum fuiſſe Epiſcopum aſſerunt, facillimè conciliat lib.de SS.Italiæ ad 4.Nouẽbris Philippus Ferrarius , quem in hac re ſequi, iure , ac meritò debeo , & volo .

Quod ſi quis quærat, cur, ſi Neapolis Epiſcopus fuit, nulla de eo mẽtio in Neapolitana extet Eccleſia? Quæram ab eo ego viciſſim. Cur & Puteolis ante Epiſcopum Vairum, Hoc eſt, ante annum Chriſti circiter 1590. nulla commemoratio de hoc ipſo Patroba , qui certè alterutrius fuit ciuitatis Epiſcopus facta eſt ? Tantæ igitur obliuionis, non aliam adduxerim cauſam, quàm vel hominum negligentiam, vel noſtratium veterum monumentorum, Diocletiano ſæuiente iacturam . Et, quod communius malum eſt, ipſam antiquitatem ſuo ſe dente miſerè corrodentem. Nam benè Pelignus ille ait. 15.Metamorph.

*Tempus edax rerum, tuq; inuidioſa vetuſtas,*
*Omnia deſtruitis ,*

Suſpicabatur aliquis , Ioannem Diaconum in ſuo Neapolitanorum Epiſcoporum Chronico huius Patrobæ meminiſſe. Sed librarium ex *Patroba* feciſſe *Probum*: quaſi ſcripſerit Ioannes, *Prõbas*, librariũ autem, ſublata linea ſuperiore, ſcripſiſſe *Probum* . Repugnat tamen elogium appoſitum : quod manifeſta alluſione ad nomen. Probo tantum conuenit : nempè, *Omni probitate perſpicuus, nominis ſui claritatem, operibus cumulans, placida morte quieuit,*

# ILLVSTRATVM NEAPOLIS

## SS.Ignatij,& Iuſtini MM. præſentia.

### CAPVT NONVM.

PLures è Chriſti diſcipulis, Neapolitanas haſce oras ſua præſentia illuſtraſſe,diximus ſupra,cum de B. Petri in eas acceſſu egimus. Par nunc Sanctorum,fortiſſimorumque Chriſtianæ fidei teſtium, huc etiam aduenisſe,docebimus. Sunt ij,Ignatius,& Iuſtinus.

Et ſanctiſſimum quidem Chriſti martyrem Ignatium, quo tempore Romam,ex Antiochia miſſus eſt ( erat tum Ieſu Chriſti annus CIX. ) non ſolum Puteolos acceſſiſſe nauigio, vt apertè Simeon Metaphraſtes tradit tom. 5. Lippomani pag.312.ſed etiamNeapolim,vtpote Puteolis vicinam,& finitimam vrbem inuiſiſſe, cenſet Galeſinus in Notationibus ad ſuum Martyrologium 7.Idus Ianuarij. Ponam hoc loco ipſa Galeſini, quamquã haud ſanè antiqui Scriptoris verba.*Alia*,inquit,*praterea illuſtris* Regiaque *Vrbs Neapolis hac Campania eſt,quam Parthenopem antiqui nominarunt. Cuius vrbis primus Epiſcopus à B.Petro Apoſtolorum Principe conſecratus.fuit* Aſprenius.*qui* Neapolita*nam Eccleſiam ſibi concreditam,Euangelica predicatione, & fidei* C*hriſtiana praceptis inſtruxit. Sanctumque* Ignatium B.*Ioannis* Euangeliſta *diſcipulum, hoc loco, ſicut Puteolis,religionem Chriſtianam diſſeminaſſe,ex* Simone Logotheta *cognoſci licet*. Hæc ille. Porrò ſi Simon iſte Logothera,diuerſus eſt à Simeone Metaphraſte (vti ſanè cùm Geſnerus damnatæ memoriæ auctor in Bibliotheca,tum etiam Poſſeuinus in Apparatu ſacro, diſtinctè de vtroque agentes, diuerſos eos eſſe ſignificant)magna mihi cupido ineſt,Logothetam videndi,& hoc eius de Ignatio Neapolim accedente teſtimonium,verbatim hoc loco repræſentandi. Verùm,Gnomica illa,quæ ſola eum ſcripſiſſe, & græcè in Italia extare,Geſnerus,& Poſſeuinus aſſerunt, nuſquam comparent. Galeſinus,fortaſſe ea vidit,cuius interim teſtificationem nos iuuat amplecti.

Sed & Simeon Metaphraſtes, quẽ Lippomanus, & Surius lectoribus exhibent,non quidem apertiſſimè,attamen haud prorſus obſcurè,hunc ipſum acceſſum Ignatij Neapolim ſignificare videtur. Is quippe auctor, antequam Ignatium aduenisſe Puteolos narret,indicat Ignatio in more fuiſſe,quacumque tranſiret,confirmare in Chriſti fide credentes. Hoc eſt,illũ non fixum manere ſolitum domi,& in hoſpitio quo recipi contigiſſet: ſed circumquaque,quoad liceret,excurrere ad Chriſtianam religionem diſſeminandam,vel confirmandam. *Ipſe autem Ignatius*, inquit Simeon Metaphraſtes,*è Smyrna deductus à militibus,cum appuliſſet Troadem,et* Neapolim,Phrygiæ Vrbes,*tranſiit pedes per Philippos,& Macedonas: eas qua ſunt in via inuiſens*

*Eccleſias: & in eis docens, exhortans, diſſerens: fratres qui erant paulò ſimpliciores, & imbecilliores confirmans: & efficiens, vt omnes vigilarent, & eſſent ſobrii. Cùm verò tranſiſſet* Epirum, *& mare tranſmiſiſſet* Adriaticum, *& Tyrrenum, appellit* Puteolos. *Hoſpitio autem exceptus ſimul cum militibus, ab iis, qui illic erant fidelibus: & cũ eos quoque valere iuſsiſſet in* Domino, *venit Romam* Hactenus Metaphraſtes: ex quo præterea colligendum, ex ipſomet itinere B. Ignatij, quem deſcribit, haberi ſanctiſſimum Martyrem, etiam Neapolim attigiſſe. Nam, vt ex Antonini Itinerario patet, à Cãpano littore petituri terreſtri itinere Romam, aut inde redituri, vt vlterius pergerent, Neapolim, vtpote celebrem, & cõmodam commeantibus ciuitatem, ſibi quendam terminum ſtatuebant. Hoc ipſum ſuperius, adducto Abramij exemplo ex B. Gregorij lib. 8. ep. 42. qui Roma abſcedens, vt Alexandriam peteret, Neapolim venit, manifeſtè oſtẽdimus. Alijſque innumeris ex antiquitate petitis oſtendi hic poſſet, ſi res adeò clara, eiuſmodi indigeret exemplis. Eadem igitur itineris ratio fuit, ex Oriente ad Campaniæ littora appulſis, Vrbem Romam ituris: nempè, vt Neapoli pertranſirent, inde Capuam, inde Sueſſam, vel Sinueſſam, & cæteras Romanæ viæ ſtationes attingerent: quemadmodum B. Petrum anno Chriſti 45. feciſſe, ex Capuæ Atinæque antiquis monumentis traditioneq; firma, probatum eſt.

Sanctum autem Iuſtinum philoſophum, & Martyrem eximium, atque vt ipſemet ſe vocat Epiſtola ad Diognetum, Apoſtolorum diſcipulum, antequam Cohortationem ad Gentes ſcriberet, Cumas, & Baias inuiſiſſe, ipſiuſmet relatu ſcimus. *Vidimus ſanè*, inquit Cohortatione ad Gẽtes, *ea Cumarum vrbe cum eſſemus, locum quendam, vbi Baſilicam ingentem, vno ſabrefactam ſexo conſpeximus: rem profectò maximam, & omni admiratione digniſsimam, vbi oracula tam Sybillam edidiſſe, ii qui res patrias à maioribus ſuis, quaſi per manus traditas acceperunt, affirmabant.* Hæc Iuſtinus. Diſquirenda nunc mihi eſt, quonam anno id cõtigerit. Certè Iuſtinum ſcripſiſſe Cohortationem ad Gentes, antequam contra Tryphonem Iudæum ſcriberet, ipſemet ſignificat, Dialogo cum Tryphone, quem biduo habuit Epheſi: ac item epiſtola ad Zonam, & Serenam. Euſebius verò lib. 4. Hiſt. c. 11. tradit, Iuſtinum fuiſſe Romæ, Antonino Pio Imperatore: cui, & Senatui Romano Apologiam porrexit pro Chriſtianis: quod ipſemet Iuſtinus reijcit in annum Chriſti 150. Acceſſit igitur Romam, poſt dimicationem Epheſi habitam cum iam dicto Tryphone. Ac proinde arbitrari licet, an. Chriſti 149. Teleſphori Papæ 8. Antonini Imperatoris 10. Largo, & Meſſacino Coſſ. veniſſe eum ab Oriente Romam: & nauigio appulſum ad Campaniæ littus, inuiſiſſe, vt ipſe ſcribit, Cumas, & Baias. Addo ego, & Neapolim ex toties repetitis coniecturis, & exemplis conſuetudine perpetua ſeruatis, ac Parthenopenſis ciuitatis celebritate.

Quis nunc nobis referat, ignitos Ignatij ſermones, & potentes Iuſtini perſuaſiones ad Chriſtianam fidem propagandam? Clarior eorum memoria perijt: *longiſq; vt ille ait, intercidit annis.*

Et hæc de Iuſtino ſatis: quem nolui ab Ignatio ſeiungere; quamuis martyrio ipſe, poſt Fauſtinum, & Iouitam, de quibus mox dicemus, fuerit coronatus.

# DE SS. MM.

# FAVSTINO ET IOVITA.

## Et num à carnificina fuerit Neapolis immunis.

### CAPVT DECIMVM.

ACta horum Sanctorum Martyrum olim cum fide ſcripta, legere eſt apud Surium to. 1. de Vitis Sanctorum. Ex ijs illud vnũ excerpere debeo, quod ad Neapolim ſpectat nẽpè, hos fortiſſimos viros, non ſolum Brixiæ, quæ patria ipſorum fuit, & Mediolani, ac Romæ, immanes varioſque cruciatus conſtantiſſimè pro Chriſtiana fide toleraſſe, ſed etiam Neapoli illuſtre teſtimonium Ieſu Chriſto dediſſe. Quod Ado Treuirenſis his verbis narrat. *Quo facto*, ideſt ordinato ab Euariſto Papa, Calimero, Mediolani Epiſcopo: vt B. Fauſtinus popoſcerat, *iterum ſub cuſtodia Aureliani Comitis ducti ſunt Neapolim: & ibi multa, ac varia tormenta perpeſſi, plurimis miraculorum oſtentis, Domino iuuante, multos ad fidem conuerterunt. Poſtea verò manibus pedibuſque ligatis in mare demerſi, ab Angelis* Dei *liberati, & ad littus deducti ſunt. Nouiſſimè verò Brixiam reducti ſunt, & ibi à præfato Aureliano, poſt multa iterum tormenta, amputatis capitibus, Chriſti martyres effecti ſunt*. Ex his verbis, mihi tria, quæ ad rem faciunt, maximè colligere licebit. Primum eſt, hos Beatos Martyres veniſſe Neapolim, vel eo ipſo anno Chriſti 121. vel certè non poſt hunc annum. Nam cum Ado ſcribat, ductos eos fuiſſe Neapolim, ſtatim poſt ordinatum ab Euariſto Papa Calimerum, Euariſtus autem, hoc ipſo anno ad 26. Octobris martyrium paſſus migrauerit in cœlum, vti ex Honorij Indice M.S. qui in Vaticana Bibliotheca ſeruatur, rectè colligit Baronius: ſequitur, vt hoc anno 121. qui fuit ſecundus Adriani Imperatoris, non autem poſt, id debeat aſſignari. Ex quo etiam redarguitur Ioannes Deius, ſiue quis alius auctor libelli de ſucceſſoribus Barnabę, Calimerum à Xiſto primo ordinatum, & Fauſtinum, ac Iouitam, initio imperantis Adriani, martyrio affectos ſcribens. Longè quippe diſtant, initiũ imperij Adriani, & Sixti Primi Pontificatus. Adeat lector Onuphrium, & Baronium.

Alterum, quod ex Adone colligo, hoc eſt. Facillimè hinc confutari poſſe recentiorum quorundam opinionem, ſibi perſuadentium, imò & gloriabundè iactantium, Neapolim nullius vnquam perfuſam cruore Martyris. Idque hi tribuunt, pacificæ, atque exemptæ, vt putant, à perſecutionum

turbi-

turbinibus ciuitati. Sed eiuſmodi profectò opinio, tum vana prorſus apparet, tum etiam falſiſſima eſt. Quid enim magis vanum, quàm gloriari priuatum ſe eſſe honore, & decore maximo? Enimuerò, ſi martyribus carere, qui ſolum vrbis ſuo cruore perfuderint, decus & ornamentum eſſet, immeritò ſanè Prudentius ſuam patriam Cæſarauguſtam laudaſſet hoc nomine, & præ alijs vrbibus celebraſſet, carmine illo nitidiſſimo: quòd videlicet, multò plures, quàm aliæ vrbes, Martyres Chriſti protulerit. Hymn. 4. Peri Steph.

*Singulis pauca, tribus, aut duobus,*
*Forſan, & quinis aliquæ placebunt,*
*Teſtibus Chriſti prius hoſtiarum,*
*Pignore functa.*
*Tu decem Sanctos reuehes, & octo,*
*Cæſarauguſta ſtudioſa Chriſti,*
*Verticem flauis oleis reuincta,*
*Pacis honore.*
*Sola in occurſum, numeroſiores*
*Martyrum turbas Domine paraſti,*
*Sola prædiues pietate, multa*
*Luce frueris.*
*Vix parens Orbis populoſa Pœni,*
*Ipſa vix Roma in ſolio locata,*
*Te decus noſtrum ſuperare in iſto*
*Munere digna eſt.*

Viden' quantùm gaudeat & exultet Prudentius, Cæſarauguſtam ſuam patriam, præter alios innumeros varijs temporibus ibi pro Chriſto necatos, decem & octo ſimul Martyrum fuiſſe ſanguine decoratam? Et verò, cur tantopere de ea re gaudeat, mox ſubijcit rationem. Nimirum, quod is locus, vbi ſacer ille cruor pro Chriſto fuſus eſt, extemplo expiatus reddatur ſpiritali labe, ac diabolica lue: & ex receptaculo Dœmonum, Chriſti domicilium euadat.

*Omnibus portis, ſacer immolatus*
*Sanguis, excluſit genus inuidorum*
*Dæmonum, & nigras pepulit tenebras,*
*Vrbe piata.*
*Nullus vmbrarum latet intus horror;*
*Pulſa nam peſtis populum refugit:*
*Chriſtus in totis habitat plateis:*
*Chriſtus vbiq; eſt.*

Præterea Emeritam Luſitaniæ vrbem, ob id maximè laudat Prudentius, Peri Steph. Hym. 3. quòd Eulalia Virgo, in ea ſanguinem pro Chriſti fide effuderit.

*Proximus Occiduo locus eſt,*
*Qui tulit hoc decus egregium:*
*Vrbe potens populis locuplex,*
*Sed mage ſanguine Martyrij,*
*Virgineoq; potens titulo.*

I nunc igitur delicatule Neapolitane, & gloriare, ſi potes, patrium Neapolis ſolum, nullius, vt putas ſanguine madefactum.

Nè

Ne verò mihi dicere queas, gloriari quidem poſſe ciuitates Martyribus ijs,qui ſui ciues fuerint:nequaquam autem, quòd externis etiam occidendis extiterint lanienæ,& ſæuæ,atque impiæ cædis officinæ. Vnam ego, ne te his diutius diſtineam, Vrbem Romam profero: quam etſi multi Romani ciues martyrio decorauerunt, longè tamen fuerunt plures exteri, & longinquo etiam ſolo,ac cœlo nati, qui illuc, aut ipſi euntes,aut à lictoribus ducti tractique,Romanam illam tellurem,copioſo ſanguinis imbre fecundarunt.In ijs Petrus,& Paulus maximè elucent:de quibus,etſi non Romanis genere,aut patria, ſed Iudæis, audi tamen quid canat Poetria illa inclyta Elpis.

*O felix Roma, quæ tantorum Principum*
*Es purpurata pretioſo ſanguine!*
*Non tua laude, ſed ipſorum meritis,*
*Excellis omnem mundi pulchritudinem.*

Quin, & de Laurentio Hiſpano, Romæ martyrium paſſo, ſic Prudentius Hymn. 2.

*O terq; quaterq; ò ſepties*
*Beatus Vrbis incola,*
*Qui te,ac tuorum cominus*
*Sedem celebrat oſſium,*
*Cui propter aduolui licet,*
*Qui fletibus ſpargit locum,*
*Qui pectus in terram premit,*
*Qui vota fundit murmure.*

Gratulatur igitur Romæ, & Romanis Prudentius, tanto cœlitus dignatis munere,quòd Laurentium Hiſpanum, hoc eſt, è remota admodum regione,Romam adeuntem,habere Martyrem meruerint,& eius ambire, & colere ſepulchrum poſſint.Vt è contra, ſibi Hiſpaniſque ſuis condolet, quòd tanto commodo gloriaque careant.

*Nos qui caremus bonis,*
*Nec ſanguinis veſtigia*
*Videre coram poſſumus,*
*Cœlum intuemur eminus.*

Itaque quod alicubi cædem in Chriſtianos exercuerint Tyranni illi Nero, Decius,Diocletianus,cæteri,id locum probro vllo non afficit: ſed in ipſorummet Tyrannorum redundat ſummum dedecus, atque æternam infamiam.

His accedit,non ſolùm vanè,ſed etiam mendaciter iſta vulgò iactari. Nam falſum prorſus eſt,quod dicunt: ſcilicet, Neapoli nullum vnquam fuiſſe martyrio affectum, nullumque in ea ciuitate profudiſſe pro Chriſto ſanguinem. Hoc eſt dictu,omnes qui Chriſto Neapoli militarunt,eos non cæde,& vulnere,ſed ſicca morte fuiſſe defunctos. Quod profectò quis credat?Quamquam enim(haud inficior) ob ſcripturarum veterum naufragiũ, quod nobis noſtrorum Martyrum notitiam abſtulit, non admodum multi legantur,qui Neapoli cruciatus pro Chriſtiana religione ſubierint,mortẽque obierint:multa tamen proferri poterunt argumenta,quæ hanc iſtorum opinionem falſitatis redarguant,atque euincant.

In primis,Neapolis, vt & tota Campania, iampridem in clientelam Romanorum ceſſerat. Imò,Plinio teſte lib.3.cap.5. prima omnium Italiæ Regio-

Regionum ab Auguſto, Campania deſcripta eſt. Non licet igitur arbitrari, Neapolim, vel tunc, vt eam vocat Cicero pro C. Rabirio, celeberrimũ Oppidum, exemptam fuiſſe inſequentium Auguſtorum, in cædendis Chriſtianis imperio. Præſertim cum in hanc rem, omni ſtudio per totum Orbem incubuerint Chriſti perſecutores, Nero, Domitianus, cæteri. In cuius quidem rei certiſſimum teſtimonium proferri primò poteſt, biga iſta Sanctorum Martyrum Fauſtini, & Iouitæ Brixienſium germanorum: quos cũ Ado, multa & varia tormenta Neapoli perpeſſos, apertè affirmet, nemo, puto, adeò peruicax erit, vt perſtare nihilominus in ſua ſententia, & aduerſus tã conſpicuam veritatem, quidpiam obtẽdere deinceps audeat. Maximè quia nullus antiquus, & grauis auctor adduci poteſt, qui idipſum opinatus, hanc inanem, & falſam laudem Neapoli noſtræ tribuerit. Quid enim eſt, multa, & varia tormenta perpeſſos eſſe, niſi per varia ſupplicia ſanguinem Neapoli crebrò fudiſſe? Siquidem flagella, fuſtes, vnci ferrei, vngulæ, ſcorpiones, laminæ candentes, plumbatæ, & beſtiarum laniatus, aliaque id genus crudelitatis inſtrumenta, eiuſmodi fuiſſe, quæ à lacerato corpore copioſum cruorem haurirent, id quidem, vel non expertis conſtat. Quin etiam eculeus ipſe, qui ad diſtendenda potius, quàm ad laceranda membra comparatus cuiquam videri poſſet, eo nihilominus diſtentum corpus vncis, atque vngulis euiſcerari ſolitum, Prudentius diſertè tradit, Peri ſteph. Hymno 10. quo Sancti Romani Antiocheni Martyris ſupplicium fusè deſcribit.

*Incenſus his Aſclepiades, iuſſerat*
*Euiſcerandum corpus eculeo eminus*
*Pendere, & vncis vnguliſq; creſcere.*

Neque verò, quia Acta iam dicta, vniuersè ſolum indicant SS. Fauſtinum, & Iouitam, ſæpè & variè Neapoli cruciatos, non autem diſtinctè proferunt ſuppliciorum vocabula, ideò ea nos penitus ignorare neceſſe erit. Habemus namque Euſebium grauiſſimum, & antiquiſſimum Hiſtoricum, qui nos abundè doceat, quibus cruciatibus, & quo ordine Chriſtiani homines, ſæuiſſimis illis temporibus torquerentur. *Exquirebantur*, inquit lib. 8. cap. 7. *diuerſa tormentorum genera ſibi inuicem ſuccedentia. Flagris primum, per omne corpus*, Dei *Martyres carpebantur. Deinde tradebantur ad beſtias. Adhibebantur Leones, Vrſi, Pardi, Apri, Tauri, atque omne ferarum genus: quibus etiam ferro, atque igni feritas addebatur. Præparabantur hæc omnia aduerſus Dei cultores, & omnis contra eos hominum beſtiarumq; & elementorum crudelitas armabatur.* Hæc Euſebius. Siue igitur flagris, quod primum erat Chriſtianæ conſtantiæ experimẽtum, Beati iſti Martyres Neapoli lacerati ſint, ſiue beſtiarum dentibus traditi, ſiue vario ferreorum inſtrumentorum genere laniati, eos certè ſanguinem in ea vrbe abundè fudiſſe, compertum eſt. Sed præter hos, quos certum eſt Neapoli fuiſſe excruciatos, idipſum conijci, ac fortaſſe certò arbitrari licebit de plurimis SS. Martyribus, qui Roma, Duce Chromatio, ad Campaniæ littora profecti, Neapoli, aut certè in ſuburbijs, vt infra dicetur, martyrio ſunt coronati.

Coniecturæ prætereà adſunt profectò efficaces, & viuidæ, quæ plurimos Neapoli martyrio olim coronatos fuiſſe perſuadent. Nam, quis negare poteſt, truces illas perſecutiones, ab Ethnicis Imperatoribus, Eccleſiæ Chriſti illatas, adeò per totum Chriſtianum Orbem fuiſſe graſſatas, vt non dico Neapolis, aut Campania, quæ prope Romam ſitæ ſunt, ſed ne remotiſſimæ quidem regiones, ab eiuſmodi Gentilium rabie, liberæ fuerint? Sanè verò,

æ verò,vt de cæteris taceam,Decij perſecutio,omnem Romanum Orbem peruaſit: & in Italia potiſſimum, adeò perturbauit Chriſtianos, vt occiſo Fabiano Pontifice, diu Sedes Romana vacauerit: quòd ob perſecutionis acerbitatem, Romani Presbyteri in carcerem concluſi, vel vrbe abacti, ad eligendum Fabiani ſucceſſorem coire non poſſent. De Diocletiani autem perſecutione profero Seuerum lib.2.Hiſt.aſſerētem ea tempeſtate omnem ferè Orbem,Martyrum cruore infectum fuiſſe.Et(vt domeſtica etiam exēpla depromam)ita legitur in Actis Sanctæ Reſtitutæ Virginis,& Martyris. *Ille igitur Diocletianus,dum adhuc regnaret,atq; ſuam tyrannidem in ſublime eleuari cuperet,à Chriſti Eccleſia inchoans,per omnes Prouincias ſuæ ditioni ſubiectas,Iudices, ac Præfectos deſtinare ſtuduit:præcipiendo crudeliter,vt vbicumq; Chriſti cultores inuenire valerent,igne,ferro,fame,cæteriſq; pœnarum generibus,laniando trucidarent,niſi celerius Chriſtum negarent,& Deorum(hoc eſt Dæmonum)ſimulacris ſtuderent flectere colla.* Putaſnè igitur,quòd eo tempore,quo Diocletiani generale edictum,tam atrociter per totum Orbem ſæuijt, tunc Neapolis ciuitas tam vicina Tyranno, ſumma tranquillitate,& pace frueretur?

Sed venio præterea ad ipſa Ianuarij,& Maximi Campanorum Martyrum Acta:vt inde lucidius,perſecutionis atrocitas, in hac ipſa Campania vniuerſa, nulla excepta ciuitate, aut pago, oculis propemodum noſtris videamus.Acta itaque Sancti Martyris Ianuarij ſic habent. *Conuocans Diocletianus Imperator Timotheum quendam paganum crudeliſſimum, iuſsit eum in Prouincia Campaniæ Præſidatum agere:& ſecundum decreta ipſius improbiſsimi Diocletiani,ſacrificia Idolis immolare,& omnes qui in Chriſto crederent, ad ſacrificia ſimulacrorum conuertere.Factum eſt autem,dum ex more inuiſeret ciuitates, venit in ciuitatem Nolam.Tunc iubet Timotheus Tyrannus,officia ſibi præſentari,*& cętera. Acta autem Sancti Maximi Leuitæ Cumani,hæc tradunt. *Quidam Antonius totius calliditatis vir,ab eis* Diocletiano,& Maximiano *Vrbi Præfectus,tāta inhumanitate obduruit,vt circa domos,circa lymphas, & vt breuiter dicam, circa omnem locum,vbi alicuius negotiationis mercimonium eſſe poterat,ſimulacra erigeret.*Nempe, *vt omnes qui illuc accederent,non emerent,aut venderent aliquid, niſi prius ſacrificaſſent. Et hæc non ſolum in Romulea Vrbe factitarunt, ſed etiam per vniuerſum mundum tranſmiſſi ſunt cruentiſsimi homines,qui omne genus humanum,tanto compellerent ſacrilegio maculari.Ob id ergo,& Cumas directus eſt quidam nomine* Fabianus, *obſtinatiſsimus Chriſtiani nominis inimicus. Qui cum veniſſet,& ſolium ſua iuſsiſſet præparari dementia, continuò ad ſe vniuerſum populum, voce preconis fecit acciri. Mox illis veluti ad nouum Præſidem confluentibus,Tribunal aſcendit,& facto ſilentio ſic exorſus eſt loqui. Audiat populus omnis:audiat paruus,& magnus,quod inuictiſſimi Imperatores,viuificandi,& mortificandi poteſtatem mihi tribuerunt.Vt illum, qui ſacrificare contempſerit,diuerſis interficiam pœnis. Illum verò, qui decretis ipſorum obtemperauerit,magnis ditem diuitijs, magniſque ſublimem honoribus. Accedat ergo vnuſquiſque,& thura offerat,ne inuitus cogatur perficere,quod ſponte recuſas.* Si ergò Nolæ,Puteolis,Cumis,atque vt ex alijs Hiſtorijs,Actiſque Martyrum patet,Tarracinæ,Fundis,Caietæ,Atinæ,Formijs,Sueſſæ, Sinueſſæ, Miſeni, Capuæ, & vt breuiter dicam, in tota reliqua Campania, tantam carnificinam,æuo Neronis, & inſequentium Imperatorum, ſæuiſſimi illi Præſides exercuerunt,quiſnam erit,qui ſibi perſuadeat,ſolam ciuitatem Neapolim, veluti in Inſulam Vtopiam prodigioſè tranſuectam, fuiſſe ab ea vniuerſali clade exemptam?Maximè cum Neapolis,antiquo eo tempore,vel fœderata ciuitas,vel Municipium eſſet celeberrimum, quod ipſi Romani Imperatores,

tores, & Senatores, vt Cicero teſtatur pro C. Rabirio, libentiſſimè incolerent, vtpotè totius Campaniæ tunc facilè principem: domita videlicet iamdudum à Romanis Capua, & tantumnon funditus euerſa. Plura autem in rem iſtam ſuppeterent: ſed cordatis lectoribus hæc ſatis erunt.

Vtinam verò Acta omnia Campanorum Martyrum nunc extarent! Magnus certè SS. Martyrum numerus, Neapolim cruentaſſe, hoc eſt, purpuraſſe, legeretur. Porrò, in paucis aliquot veteris Hiſtoriæ Indiculis MM. SS. quos habemus, nonnullos quidem Neapolitanos Martyres recenſitos cernimus. Nam, in vetuſtis Eccleſiæ Neapolitanæ Litanijs, & Kalendarijs leguntur *Marianus Martyr Neapolitanus*: & *Rufus Martyr Neapolitanus*: quorum tamen Acta, nuſquam comparent. Quamquam S. Mariano, Eccleſia antiquitus dicata extiterit, nunc diruta.

Quod ſi dixeris, negari non poſſe, paucos Neapoli pro Chriſto necatos, præ illis, qui Nolæ, Puteolis, & Capuæ perempti ſunt: id equidem facilè concedam. Nam Neapoli fœderata ciuitate, & liberæ Reipublicæ formam, etiam Diocletiano Imperatore, retinente, non poterat reſidere Præſes, Roma ad Campaniam miſſus.

Poſtremò adnotare debeo, ex Actis horum SS. ſupra relatis, permultos Neapolitanos ciues, conſtantia horum Sanctorum Martyrum, & miraculorum magnitudine permotos, ſeſe ad Chriſtum, relicto nefario Idolorum cultu conuertiſſe. Quocirca, poſt Apoſtolos, & nonnullos Apoſtolorum diſcipulos, quos Neapoli fuiſſe, & Chriſti Euangelium prædicaſſe probauimus, fotam auctamque Chriſtianæ fidei religionem, his debet antiquiſſimis, & Sanctiſſimis Martyribus noſtra Neapolis. Et verò, quàm magnus ciuium Mediolanenſium numerus, ob horum Martyrum conſtantiam mox ſe Chriſto addixerit Ado Epiſcopus Viennenſis declarat hiſce verbis. *Fauſtinus, & Iouita ſub Adriano Imp. examinati, dixerunt ei. Audi Adriane tortuoſe coluber, imò & ſæuiſſime anguis, per ambages, & anfractus curſitas, vt nos à recto poſſis deuiare. Hoc tibi ſit agnitum, quod latratui tuo non obediemus: nec Dijs tuis thura ponemus: ſed thura ſimul & libamina, Domino Creatori noſtro iugiter immolamus. Quod audientes populi ex Mediolanenſium vrbe, propter Sanctorum conſtantiam conglobantes ſe mutuo, venerunt ad Beatos Martyres, & baptizari ſe fecerunt.* Hæc Ado. Probè igitur tradunt, idem contigiſſe Neapolitanis, horum Beatorum Martyrum exemplo ac prædicatione ſuccenſis. Quin etiam ex eorum item Actis aduertere eſt, quatuor nobiliſſimas Italiæ vrbes, fuiſſe ipſorum præſentia, & publica Chriſtianitatis profeſſione illuſtratas, Brixiam, Mediolanũ, Romã, Neapolim, eoſq; quinquies, vt ita dicã, Martyres extitiſſe. Poſtquam enim Neapoli variè excruciati ſunt, & è Campani maris gurgitibus ab Angelo liberati, rurſus Brixiam vincti pro Chriſto catenatique reducti, ibidem ſecuri cædente, coronam à Domino perceperunt.

Libet autem ſubijcere nitidum carmen Sfortiadis illius, in pangendis Diuorum laudibus nequaquam muti, ſed ſanè diſerti Mutij.

*Nunc Brixia vos lumina*
*Fauſtine, & Iouita inclyti,*
*Multis coronis fulgidos,*
*Læto canamus pectore.*
*Tormenta paſſi Martyres,*
*Semel cruento ſæculo,*
*Victo volarunt ad Deum;*

Partis

*Partis coronis nobiles.*
*At vos per vrbes* Italas,
*Tracti catenis aſperis,*
*Tormenta ſæpe plurima,*
*Tuliſtis ob Chriſti fidem.*
*Hoc aſſeris iam Brixia,*
*Teſtiſq; adeſt* Inſubria,
Negare Roma *non poteſt,*
*Teſtatur &* Neapolis.
*Videre quæ vos beſtias,*
*Pœnaſq; & æquor & globos*
*Ardentis ignis, ſoſpites*
*Virtute Chriſti euadere.*
*Sed tuta veſtris oſsibus*
*Foretq; læta, vt patria,*
*Tandem bipennis Brixiæ*
*Caput reuerſis amputat.*
*Non vos ſatis laudauimus*
*O quinquies iam Martyres,*
*Sed nos perenni laurea*
*Dignos precamur, reddite.*
*Te nunc Redemptor quæſumus,*
*Vt Martyrum conſortio,*
*Iungas precantes ſeruulos*
*In ſempiterna ſæcula. Amen.*

# DE S. AGRIPPINO EPISCOPO.

## CAPVT VNDECIMVM.

QVoniam B.Agrippini Acta pœnè omnia interciderunt, nihilq; de eius vita nobis eſt reliquum, niſi antiquum Neapolitanæ Eccleſiæ Lectionarium, & breue illud Elogium,quod Ioannes Diaconus libello de Neapolitanis Epiſcopis poſteritati tranſmiſit, ac Incerti narratio miraculorum eius,cogimur idcircò, ex his paucis,ea carpere,& huc inſerere, quæ pro operis inſtituto,ad rem facere videbuntur . Agemus autem de hoc Diuo,paulò diligentius. Tum quod ſi ſpectetur antiquitas, ſecundus Neapolis Patronus eſt:nempe Ianuario,Seuero,cæteriſque,vno excepto Aſpreno vetuſtior. Tum etiam,quòd,cum eius vetus Hiſtoria perierit,operæ pretium duximus, damnum hoc, noſtra qualicumque diligentia ex parte ſaltem aliqua compenſare. Hæc itaque ſunt mihi examinanda.

*Sect. I. Agrippini Patria, & Genus.*
*Sect. II. Agrippini Aetas, & Geſtà aliquot.*
*Sect. III. Agrippini obitus, & honorifica tumulatio.*

### *Agrippini Patria, & Genus.*
### *Sect. I.*

BEato Agrippino, Patria Neapolis fuiſſe ſcribitur ab Incerto, ſed vetuſto Auctore Homiliæ,ſiue Narrationis miraculorum eius : qui eum ortum aſſerit è Regione Herculea, ad Plateam, ſiue Aream Furcillenſem.

Herculem, quem vana Gentilium ſuperſtitio Deum fecerat, Neapoli eximiè cultum,cum ſcriptores rerum noſtratium, tum etiam complura vetera Monumenta indubiè produnt. Cauſa Religionis,ſeu verius,ſuperſtitionis,ea fuiſſe perhibetur,quòd,vti Diodorus in Bibliotheca,& Oppianus tradunt,ea ciuitas,Parthenope antea dicta,ab Hercule,non quidem,vt alti qui falsò ſcripſerunt,primum extructa,ſed egregiè inſtaurata etiam fuerit. Inde ijs locis paſſim Herculis Monumenta cernũtur,videlicet. 1.Via Herculea, à tergo Eccleſiæ Sancti Auguſtini. 2. Ædicula D. Mariæ ad Herculem:de qua an S.Greg. lib.2.epiſt.97. ſcripſerit,alibi dicam. 3.Oppidum Neapoli vicinum ἡρακλεία dictum,quòd latinè ſonat,*Herculanium* iuxta Põpeios:

peios: de quibus, Veſunij eruptione obrutis, ſcribit Plinius epiſtola ad Tacitum. 4. Fontes Herculani, ad quos, vrbem ἡρακλείαν Hercules ipſe ędificaſſe traditur. Demum in Septentrionali Neapolis parte, Echia, græcè Εὐχεία regio ita nuncupata, quòd eo colle amœniſſimo, vt aliquibus placet, boues Gerioni ereptos, Hercules pauerit, tenuerit, ſtabulauerit. Ijs etiam locis, ſuperato in Latio prædone Caco, cum ad Auernum Hercules perueniſſet, obſtruxit aggeribus oſtium, per quod in mare diffluebat, vti ex Diodoro, & Strabone notauit Ioannes Pontanus. Itaque & Neapoli, & locis finitimis, multa eaque egregia opera patraſſe Herculem, palam eſt. Inde in ipſo vrbis propemodum meditullio, regio dicta Herculea, inſigniter olim Neapoli cultum fuiſſe Herculem, clarè ſignificat. Ea ad forum vſque vetus, & ædem Sanctæ Mariæ ad Plateam ſeſe extendens, hodie cognomine antiquato, Furcillenſis dicitur: quòd in ea, Furcillæ Nobilium ciuium Porticus, ſiue, vt nunc vocant, ſedile diu extiterit.

Furcillēſis autem Regio, à Pythagoræ litera Y ſic vocata, quām etiam pro inſigni habuiſſe memoratur, ab ipſo primò Neapolis Sanctiſſimo Epiſcopo Aſprenate, quem itidem eiuſdem Regionis fuiſſe tradunt, vſque ad annum ſalutis 1335. integra ſtetit. Poſtea verò, Montano ſedili vnita, & numerum ſimul, & nomen prorſus amiſit. Ex ea igitur nobili Regione, ortus eſt noſter B. Epiſcopus Agrippinus: vti iam dictus Anonymus Auctor libelli miraculorum eius, ſcriptum reliquit: & ex eo Villanus in Chron. c. 55. qui etiam B. Ianuarium, indidem ortum fuiſſe tradit. Ianuarius autem fuit longo æuo poſterior Agrippino.

## *Agrippini Aetas, & Geſta aliquot.*
## *Sect. II.*

CVm Agrippinus, ſextus Neapolis Epiſcopus fuiſſe legatur apud Ioannem Diaconum: atque id ſolummodò de æuo quo vixit habeamus indicium, certam proindè inire rationem haud ſanè poſſumus, ſiue temporis, quo Epiſcopatum inijt, ſiue quo defunctus eſt vita. Itaque nihil eſt reliquum, niſi, vt aliquod temporis ſpatium, quod quinque Epiſcopis aſſignari poſsit, conijciendo decernamus: annorum videlicet CXVI. totidem enim ſuperfluunt, ab anno Chriſti 44. quò Petrus Neapolis Antiſtitem creauit Aſprenum, ad annum CLX. Agrippino Epiſcopo aſsignandum. Quamquam enim, vera ſit Tulliana illa ſententia, lib. 2. de Diuinat. ***Coniectura, quæ in varias partes duci poteſt, nonnumquam etiam in contrarias, nihil incertius.*** Nihilominus, ſubtractis ex eo numero annis 35. Epiſcopatus Aſprenatis, vicenos circiter Præſulatus annos, ſingulis reliquis quatuor Epiſcopis, & totidem etiam Euſtaſio, qui Agrippino ſucceſsit diſtribuere, vt nos facimus, ſpero, vt æquis lectoribus, videatur cum ratione facta partitio. Ad hunc enim modum etiam Baronius Anno Chriſti 76. & 109. & poſt eum Bocherius Diſſert. Areop. tempora Epiſcoporum aliquot, veriſimili annorum ſpatio metiuntur. Stet igitur arbitraria lege Chronologia, hæc, quandiu alia certior emerſerit. Interim verò prudēs, ac doctus lector, exiſtimare poterit, Beatum Agrippinum circa annum Chriſti CLX. Neapolitanam Eccleſiam gubernaſſe. Eo videlicet tempore, quo Antoninus Pius, Romanum Imperium moderabatur. Quamquam autem, Tertulliano teſte

teſte in Apolog. nullam is aduerſus Chriſtianos legem ſcripſerit, eius tamē imperium, cæde Chriſtianorum non fuiſſe vacuum, haud paruus Martyrum numerus, qui ſub eo paſsi leguntur, oſtendit. Sed idem tamen Antoninus, conterritus tandem aduerſis grauiſsimis caſibus, quos Capitolinus recenſet, quaſi verum Deum, Gentilium impietatem vlciſcentem, experimento ſenſerit, dato Reſcripto, quod D. Iuſtinus recitat, inhibuit Chriſticolarum perſecutionem.

Verùm, repreſsis, diuino Numine Gentilibus, Hæretici inſidias Eccleſiæ tetenderunt. Nam Valentinus, Cerdo, Marcio, viuente Hygino Papa, Romam adeūtes, ibique vſque ad Eleutherij tempora permanētes, non Romæ ſolùm, ſed & per Italiam, hæreſes ſuas latenter ſpargere cæperunt. Tert. de Præſcript. cap. 30. Euſeb. Hiſt. lib. 4. cap. 10. Irenæus lib. 1. cap. 28. & lib. 3. cap. 3. Encratitæ quoque, Tatiano auctore, per eadem fermè tempora exorti ſunt, Euſeb. Chron. Vtrùm autem eæ Hęreſes, Cāpaniam etiam noſtram infecerint, in ambiguo eſt. Cum nullus qui nunc extet Hiſtoricus, id prodat. At ſuſpicari me tamen facit, Epiſtola à Sotere Campano, Pontif. Max. & Sanctiſsimo, ad Epiſcopos Campaniæ, atque ad eundem Agrippinum noſtrum ſcripta, Campanum etiam agrum ijs zizanijs nonnihil fuiſſe reſperſum. Vel (quòd libentius mihi perſuadeo) de vicinæ hæreſeos periculo, ea Soterem Campanum Epiſtola, pro ſua in omnes, & in Campanas maximè vigilantia paſtorali præmonuiſſe Eccleſias. Nam illa ſanè epiſtola, tota fermè eſt in demonſtranda ex diuinorum librorum ſententijs, Chriſti Ieſu diuinitate, & vera Chriſti carne ex matre deſumpta. Porrò adeo antiquam, & inſignem Epiſtolam à Romano Pontifice, & conterraneo noſtro ad Agrippinum Epiſcopum Neapolitanum, alioſque Campanos Præſules ſcriptam, legere quiſque poterit tomo primo Epiſtol. Decretal. folio 83. editionis Romanæ. Cuius hoc eſt initium. *Soter Apoſtolicæ Sedis Archiepiſcopus, Campanis omnibus Epiſcopis, ſalutem in Domino. Gaudere vos oportet, Fratres, &c.* Quam Epiſtolam Nonis Maij datam, Ruſtico, & Aquilino Coſſ. cōſtat Sotere, triduo poſtquam creatus eſt Pontifex ſcriptam ad ſuos cōnterraneos Campanos Epiſcopos. Nam, Onuphrio teſte, quem meritò hic ſequimur, is factus eſt Romanus Pontifex anno ſalutis CLXIII. 3. Nonas Maij Quinto Iunio Ruſtico, & Vettio Aquilino Coſſ. Scripſit verò ipſis Nonis Maij eiuſdem anni, vt dixi, iiſdem Coſſ. & ab Anaſtaſio, Luitprando, Abbone, & Onuphrio recenſitis.

Anno verò Sancti Soteris vltimo, dum adhuc, vt putamus, viueret noſter Epiſcopus Agrippinus, ſcripſit B. Pontifex alteram ad Epiſcopos Italiæ Epiſtolam: quæ habetur eodem tomo primo, pag. 84. & multa ſanè continet, quæ ad priorem Epiſtolam roborandam, atque adeo ad eoſdem iam dictorum Hæreſiarcharum errores, latè per Italiam tunc ſerpentes, cōfutandos, ſpectare videntur. Eſt eius initium. *Dilectiſsimis Fratribus per Italiæ Prouincias Sanctis conſtitutis Epiſcopis, Soter Papa, Diuinis præceptis, & Apoſtolicis monitis informamur, & cæt. Data 10. Kal. Iunij, Cethego, & Claro V. V. CC. Coſſ.*

Videbis, erudite lector, his duabus epiſtolis, repreſſas impij Valentini, & turpium Gnoſticorum infandas hæreſes. Nam cum in eis B. Soter, ex Paulo, ac Ioanne Apoſtolis, ſolidè probet, Ieſum Chriſtum factum eſſe ex ſemine Dauid ſecundum carnem: & Deum Patrem miſiſſe Filium ſuum ex muliere, atque in ſimilitudinem hominum factum, & habitu inuentum, vt

homi-

hominem. Verbum item, quod Ioannes ait, carnem factum, habitaſſe in nobis, vtique Valentinum euertit, ſtultè docentem, Ieſum Chriſtum ſic natum de Virgine, vt ex ea nihil acceperit, ſed per eam, veluti per canalem tranſierit, carnemque ſecum de cœlo deuexerit. Confodit etiam Marcionem, qui, vt Tert. ait 1. contr. Marc. cap. 15. cum carnem à malo principio diceret eſſe exortam, negabat Chriſti carnem, & omnem eius generationem humanam. Atque ex Ioannis verbis illis. *Et habitauit in nobis*, eundem Marcionem confutauit, delirè affirmantem, Chriſtum apparuiſſe solùm veluti phantaſma quoddam, non autem in vera carnis ſubſtantia vixiſſe nobiſcum: teste Tert. de Præſcript. cap. 51. In eo autem, quod Soter prohibet, fœminas ſacra vaſa, vel ſacras pallas contingere, & altaria incendere, aditum præcludit profanis turpibuſque Marcioniſtarum, & Gnoſticorum ritibus, adhibētium fœminas ad Altare, eaſque, & baptizare, & ad ſacra myſteria ſeſe ingerere concedentium, vti Epiph. ait hæres 47. & 48. ex quo fœminarum commercio, fædi cum Gnoſticis complexus, & concubitus, ac veneficia etiam infanda, præſtigiaque prouenerunt. In ijs, hoc eodem Aniceti, & Soteris tempore, venit, fuitque Romæ quædam Marcellina, ex nefanda Gnoſticorum ſecta procaciſſima fœmina, quam multos in Italia ſeduxiſſe, atq; infeciſſe, Sancti Irenæus lib. 1. cap. 24. & Epiphanius Hæreſ. 27. alijque teſtantur. Annè, eadem in noſtra Campania aliquot animarum ſtragem edidit? Suſpicor.

Vigilabant, itaque in Campanos maximè populos, & Romæ Soter, & Neapoli Agrippinus. Ac proindè, de hoc, meritò ſcriptum à Ioāne Diacono eſt. *Plurimam auxit Domino turbam credentium, & gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ collocauit.* Quæ verba, non de Gentilibus ſolummodo ad Chriſtianam fidem ab Agrippino conuerſis, ſed fortaſſis etiam, de ſeductis, & lapſis, ab eo ad fidem Catholicam reuocatis, intelligi poſſunt. Negari enim non poteſt, hæreticos adeò in Campania, & Tuſcia, primis ijs ſæculis ſuccreuiſſe, vt Euſebius Papa, Conſtantio Conſule, ſcripſerit ad harum Prouinciarum Epiſcopos, Hæreticos ritè baptizatos, per manuum tantum impoſitionem, ab Epiſcopis ſolis faciendam, debere in Eccleſiam recipi. Quod quidem Summi Pontificis Decretum, Campanis potiſſimum Epiſcopis ſcriptum, apertè ſignificat, plurimos in ea regione olim fuiſſe ſeductos, & poſtea relictis erroribus, ad veram Religionem, & Eccleſiæ Catholicæ caulas redijſſe. Verumenimuerò, compertum explicatumque eſt, graſſante in priuatos quoſdam errore, Vrbem nihilominus, & Eccleſiam Neapolitanam (quod olim Belliſarius apud Procopium, & noſtra propemodum ætate Clemens VII. Pontifex Maximus, diſertè teſtati ſunt) Chriſti fidem, quam ab Apoſtolorum Principe acceperat, ad hæc vſque tempora illibatam ſeruaſſe. Quid? Hegeſippus ipſe doctus, & Sanctus Hiſtoricus, qui Marcionis, & Valentini ætate Romæ fuit, vniuersè aſſerit apud Euſeb. lib. 4. cap. 21. nullam eo tempore Eccleſiam à fide Catholica deſciuiſſe. Quod tamen effatum, de tota Eccleſia intelligi debet: non autem de perſonis aliquibus, quæ velut in tritici meſſe zizania ſuccreuerunt.

Agrip-

## *Agrippini Obitus, & honorifica tumulatio. Sect. III.*

QVinto Idus Nouembris obijſſe B. Antiſtitem Agrippinum, vetera Eccleſiæ Neapolitanæ Kalendaria, & Martyrologia indicant. Vtinam, vt diem, ita annum, quo obijt, ætatemque eius, ac præclara geſta viuentis prodidiſſent! De eius verò ſãctiſſimo ex hac vita deceſſu, & ſepultura, hæc Ioannes Diaconus ſcripſit in Chronico. *Plurimam auxit Domino turbam credentium, & gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ collocauit. Vndè meritò audire meruit. Euge ſerue bone, quia in modico fidelis fuiſti, ſupra multa te conſtituam: Intra in gaudium Domini tui. Denique in Eccleſia Stephania tranſlatus, merito cum honore quieſcit.* Quod ait, ſepultum fuiſſe *in Eccleſia Stephania*, id profectò intelligi debet, non de prima Agrippini tumulatione, ſed de ſecunda, à Sancto Ioanne Epiſcopo celebrata, vt infra dicemus. Enimuerò fuiſſe B. Agrippinum in cæmeterio primùm ſepultum, ex veteri more probari poteſt. Priſcis enim illis temporibus, ſæuiente Infidelium perſecutione, rarò in Eccleſijs, aut Oratorijs, vt plurimum verò, in Cryptis, Arenarijs, ac Cæmeterijs, Sanctorum, & Chriſtianorum corpora condebãtur. Fauet huic noſtræ ſententiæ, vetus Sancti Agrippini effigies, quæ in cæmeterio Sancti Ianuarij hodieque viſitur, rudi, ſed antiquo ſchemate venerãda. Nec verò Neapoli fuit infrequẽs in cęmeterijs extra Vrbis mænia tumulatio. Nã in cæmeterio, quod dictum eſt, S. Gaudioſi, multa fidelium, immò & nonnulla Diuorum corpora ſepulta fuiſſe, tum vetuſtæ effigies ex muſiuo expreſſæ, quas Baronius, ſe, cum Neapoli fuit, vidiſſe teſtatur, Notat. in Martyrologium Rom. die 28. Octobris, palam oſtendunt: tum etiam ex eo colligitur, quòd ſæpe apud Ioannem Diaconum, alioſque antiquos ſcriptores, Epiſcopi, aut alij Neapolitani ciues, leguntur extra mænia conditi. Ex his itaque alijſque nonnullis antiquiſſimis veſtigijs, probabiliter mihi videor poſſe affirmare, B. Agrippinum, fuiſſe primo extra mænia ſepultum, in ipſo fortè cæmeterio, quod poſtea Sancti Ianuarij vocatum. Deinde verò, pace per Conſtantinum Eccleſiæ reddita, in Ædem Sancti Ianuarij extra mænia à B. Seuero conſtructam, ab eodem fortaſſe Seuero tranſlatum, nonnemo exiſtimat. Enimuerò, diu iacuiſſe Agrippini ſacrum corpus in iam dicta Eccleſia Sancti Ianuarij extra mænia, illud argumento eſſe videtur aliquibus, quòd Ædes illa, non Ianuarij ſolummodo, ſed etiam Agrippini nomine, Deo dicata olim fuit: vt tradit Ioannes Diaconus in Chronico Epiſcoporum, dum agit de Victore Epiſcopo, his verbis. *Hic fecit Baſilicas duas foris ciuitatem Neapolim: vnam longius ab Vrbe ad milliarũ vnum, ante Eccleſiam B. Ianuarij Martyris, & S. Agrippini Confeſſoris, ad nomen S. Stephani, &c.* Quem S. Epiſcopum in Baſilicam Stephaniæ fuiſſe tranſlatum tradit iam dictus Ioannes Diaconus, *in Eccleſiam*, inquit, *Stephania trãnslatus, merito cum honore quieſcit.* Ibi namque erat S. Agrippini corpus, cum ea ſcriberet Ioannes: hoc eſt, nono Chriſti ſæculo. At verò poſterioribus ſæculis, in Cathedralem Eccleſiam à Regibus Carolo Primo, & Secundo Andegauenſibus magnificentiſſimè ædificatam, tranſuectum eſt: & vna cum reliquijs Sanctorum Martyrum Eutycetis, & Acutij, honorificè ſub Aram maximam collocatum. Caput autem eius, theca incluſum argẽtea, in Cappella, quam vocant Theſaurum, decorè ſeruatur.

Ha-

Habemus in noſtra Bibliotheca SS. Apoſtolorum, Homiliam M.S. de miraculis S. Agrippini, cuius initium eſt. *Fratres dilectiſſimi*, cuius auctorem cenſeo fuiſſe Io. Diaconum, illum ipſum, qui de Neapolitanis Epiſcopis Chronicon ſcripſit. Nec mihi negotium faceſſit, quòd Io. Diaconus videatur multo antiquior, Homiliæ huius ſcriptore. Quippe cum Ioannes, Chronicon ſuum deducat ad D. Athanaſium vſque, qui obijt, vt rectè Baronius ſupputat, anno Chriſti 872. quod ſanè arguit, non admodum vlterius vixiſſe Ioannem: alioquin ſucceſſorem Athanaſij huius nominis primi à ſe narrati, ſuo ipſe Chronico attexuiſſet. Itaq; cum certum ſit, auctorem eius opuſculi, vixiſſe temporibus Athanaſij III. hoc eſt, circa annum ſalutis 960. nam id ipſe affirmat illis verbis, *& quæ noſtris temporibus geſta ſunt, regnante Romano, & Conſtantino Imperatoribus, & reſidente in Sede B. Petri XII. Ioanne Papa, & in hac Ciuitate Parthenopenſi. III. Præſule Athanaſio, & Ioanne Conſule, ac Duce.* Ex his, inquam, verbis, videtur poſſe colligi, Ioannem Diaconum auctorem Chronici Epiſcoporum, non ſcripſiſſe hiſtoriam miraculorum B. Agrippini. Hoc, inquam, haud mihi negotium faceſſit. Id enim bifariam diluo. Primò, ſi dicamus, Ioannem Diaconum, ſcripſiſſe quidem aliorum Epiſcoporum vitas, ab Athanaſio primo ad tertium, quæ tamē temporum iniuria perierunt: vt proinde, opus fuerit Petro Subdiacono, qui poſt annos ducentos vixit, abſoluere Io. Diaconi Chronicon, quod imperfectum reperit. Secundo, ſi dicamus, Io. Diaconum, potuiſſe quidem producere Chronicon vſque ad Athanaſium III. nō tamen produxiſſe. Exempla ſunt paſſim obuia. Freculphus vixit vſque ad annum Domini 840. vt notat Bellarm. lib. de Scriptor. Eccleſ. Chronicon tamen ſuum non produxit vltra annum Domini 600. Amoinus ſcripſit de rebus geſtis Francorum, à primo Rege Pharamundo, vſq; ad obitum Ludouici Pij, & annum Domini 840. Ipſe tamen, multò diutius vixit, & promiſit quidem vlteriora ſcribere, non tamen ſcripſit. Luitprandus quoque viuebat anno ſalutis 963. & quod excurrit. Non tamen produxit ſuam hiſtoriam, ad illum vſq; annum, ſed deſijt multò ante, vt doctè Baronius aduertit tomo 10. ad annum Chriſti 963. Hæc tantum exempla, cæteris relictis, adduxi de auctoribus Io. Diacono Synchronis: ex quibus demonſtratur, non poſſe colligi ætatem ſcriptoris, à fine ſui Chronici, vel Hiſtoriæ.

Illud autem in ea Homilia obſeruandum, eam, ex parte ſaltem, ſolitam legi in Eccleſia è ſuperiore loco, ſeu pulpito, ad fideles ibi in eius ſolemnitate congregatos. Id enim ſignificant verba illa circa medium Homeliæ. *Et hoc ad honorem, & gloriam nominis Dei, eiuſdemque Pontificis reuerentiam: & veſtræ Fraternitatis gaudium, qui deuotè ad eius ſolemnia perueniſtis.*

Obſeruandum etiam eſt, ex antiquis monumentis, Diuos Ianuarium, & Agrippinum, vti præcipuos Neapolitanæ Ciuitatis Tutelares, coniunctim olim fuiſſe inuocatos. Vt in Lectionario S. Gaudioſi Epiſcopi Salernitani, & alibi videre eſt. Memini præterea, vidiſſe me, in Archiuo Ædis Archiepiſcopalis Neapolitanæ, Miſſalem codicem M. S. valdè antiquum, & carioſum, ac lacerum. In eoque legiſſe, eos Diuos, & ſolos è Noſtratibus, inuocari ſolitos, vna cum cæteris Sanctis, quos habet Romanæ Miſſæ antiquus Canon.

Inclaruit verò hic eximius Sanctus, non Neapoli tantùm, ſed in alijs etiam Vrbibus, & Prouincijs. Nam Surrenti Picentinorum, Eccleſia extitit, & Monaſterium ab hoc Diuo nuncupatum, cui præfuit S. Abbas Antoninus.

pinus. Oppida item nonnulla S. *Arpini*, hoc eſt, *Agrippini* nomen habent. Viſitur quoque eius effigies admodum vetuſta, tum in iam dicta Æde S. Ianuarij extra mœnia, tum etiam in antiqua Ædicula S. Mariæ ad circulum. Vt omittam, inſignem in hac ciuitate noſtra huius Sanctiſſimi Præſulis Eccleſiam, quam Baſiliani Patres incolũt: Et vbi etiam, anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto Noſter B. Andreas Auellinus, dum oraret, impijſſimi ſicarij mentem perterruit, ad eius ſe cædem conantis, in gratiam procacis adoleſcentis, à ſacrilego amore per ipſum deturbati. Vti Tuſius, Caſtaldus, Boluitus, ac cæteri Vitæ illius Scriptores narrant.

# DE S. POTITO MARTYRE

## Qui Euangelium Neapoli diſſeminauit.

### CAPVT DVODECIMVM.

HAbeo apud me Acta Diui Potiti ex tribus mmm. sss. Codicibus, totidemque antiquis Lectionarijs, à me conflata. Quibus priſcis monumentis, acceſſerunt nuperi Scriptores aliqui: nimirum, Leo Baptiſta Albertius, Dimas Serpius, Antonius Sanfelicius, vel quiſquis ille fuit, auctor Hymnorum in laudem S. Potiti, qui canebantur in eius officio. Lippeolus præterea Carthuſianus, & Philippus Ferrarius: Vitæ eius, atque Actorum martyrij abbreuiatores.

Præter multa, emendaui in ijs Nomina idolorum, ad quorum cultum Potitus cogebatur. Nimirum *Arpham*, *Antenem*, vel, vt alius codex habet *Arphon*. Vtrobique enim, vt puto, mendoſè. Nuſquam enim reperio monſtruoſa hæc vocabula. Itaque repoſui *Harpyn*: quæ vox, *cupitainem* ſignificat apud Parthenium in Crynagora: adnotante Cælio lib. 29. cap. 27. *Antenem* quoque aliud idoli nomen, luxatam dictionem cenſui: & repoſui *Herienem*, quæ Diua, vt pote Martis vxor, in comprecationibus, quæ Romano ritu fiebant, inuocabatur: eius meminerunt Licinius in Heæra fabula. Ennius lib. 1. Annal. Varro in Satyr. Mænippea, Gell. lib. 13. & Porphirion in Horat.

Hunc verò Diuum, quamquam genere & patria valdè longinquum, ac planè exterum, inter Neapolitanæ tamen Eccleſiæ tabulas aſcribi debere, à duplici cauſa eſt. Altera, quòd Neapolim legitur adijſſe, fidemque Chriſti, adhuc puellum, hic prædicaſſe. Altera verò, quòd inſigne ſacri illius corporis membrum, brachium ſcilicet, nunc Neapolis poſſidet.

Serdicã ciuitatẽ eius patriam fuiſſe, habent plerique Codd. Quidam autem, *Sardicam*. Sed perinde eſt: vti ex Ortelio, & Goltzio liquet. At Flaminius Tricaricenſis, qui Acta S. Potiti carmine panxit, videtur in antiquo aliquo Cod. legiſſe *Sardis*, pro *Sardicæ*. Vtrolibet autem modo legatur, certum eſt, inde colligi, non in *Sardinia*, aut alia Italiæ, ſiue vicina Italiæ parte, natum eſſe B. Potitum. Sed vel in Thracia, vbi eſt *Sardica*, celebri illo Concilio Sardicenſi nobilis: Vel in Lydia, cuius primaria, & Lydorum Regum ſedes fuit *Sardis*, ad Timoli Montis radices ſita: vnaque è ſeptem minoris

Aſiæ Vrbibus, à Ioanne Apoſtolo in Apocalypſi memoratas. Neque Sardi Scriptores, Serpius, & Fara, poſſunt modo aliquo, niſi ego valdè fallor, Sardiniæ ſuæ tribuere, vt faciunt, Potiti natalia, etiam ſi loco *Sardicę*. legant *Sardinię*; quod tamen in nullo ego reperi Codice. Nam in ſequentibus, Acta Potiti apertiſſimè clamant, patriam eius fuiſſe in *Oriente*. Vel, vt vnus ex ijs Codd. innuit, in *Thracia* Ex quibus Codd. hęc habemus in principio. *Beatiſſimus Martyr Potitus, Orientalium partium ciuis, ſub paterno iure adhuc puerulus.* Quin etiam, ipſemet Potitus, ab Antonino Imperatore interrogatus, reſpondit his verbis. *Ex Orientalibus partibus oriundus, Chriſti ſeruus ſum*. Porrò nè ex dictione *oriundus*, quis eliciat, genus quidem duxiſſe eum ex Orientali plaga, non autem in Oriente fuiſſę natum, volo meminerit *τὸ Oriundum*, non ſemper ſignificare locum, vnde originem ſuæ ſtirpis aliquis ducit, ſed quandoque idem eſſe *oriundum*, atque *ortum*, ſiue *natum*. Quod doctiſſimus Paulus Manutius, ex illo potiſſimum Columellæ loco clarè deſumit. *Si liberis parentibus eſt oriundus*. Hoc eſt, *ortus natuſque*. Affert etiam Ciceronis verba. Sed non eſt opus, in tantilla re, plura congerere teſtimonia. Præſertim, cum illud prius, *Orientalium partium ciuis*, profectò euincat, non poſſe hoc poſterius dictum, alio detorqueri.

Præterea, hoc ipſum ſanè ſignificat Lectionarium antiquum Monaſterij Potitiani, Ordinis D. Benedicti, quod Neapoli eſt. In vna enim Lectionum infra Octauam S. Potiti recitandarum, ſic habetur. *Deus qui de ſpinis elicit roſam, præuenit puerulum ſuum rore benedictionis ſuæ: & futurum ſibi miniſtrum fidelem, non ſolum in Oriente, ſed per totum Occidentem, tanquam vas electionis, quod portet nomen Filij ſui Ieſu, coram gentibus, & regibus, & filijs Iſrael ornauit omni lapidę pretioſo*. Ex quibus verbis, ſatis apertè ſignificatur, S. Potitum, qui Orientem, ſua natiuitate, & pueritia, ac prædicatione, Chriſtianæ legis illuſtrauerat, miſſum fuiſſe à Deo, ad Occidentales plagas Euangelio pariter imbuendas. Denique, Hymni eiuſdem Potitiani officij, teſtimonia de hac re prebent ſole ipſo lucidiora. *Claret Eois puer ortus oris. Claret illuſtri patre, Claret alta matre, &c.* & item. *A Solis Ortu puellulus. E ſtirpe praui germinis*, ſed & alijs verbis hoc ipſum oſtendunt Acta Potiti, cum dicunt, in antiquo Breuiario Eccleſiæ Capuanæ. *Orta eſt quarta perſecutio, videlicet per totum Orbem Chriſtianorum, à Nerone Imperatore, & maximè in Aſia partibus ſic excreuerat, vt iuſſu impijſſimi Imperatoris, ſimulacra vbique poſita eſſent. In hoc vero edicto B. Potitus in puerili ætate, iuri paterno ſubiectus, &c.* Quis non videat, ob id narrari perſecutionem in Aſia potiſſimum, contra Chriſtianos ſæuiſſe, quia Martyrium B. Potiti narrandum erat? Alioquin, ſi is in Italia, aut in Sardiniæ Inſula natus fuiſſet, fruſtra Actorum Scriptor exàgeraſſet Aſianam vexationem. Vnus quidem ex Codd. pro *Aſia*, habet, *Iſauria* Sed ad excludendam Sardiniam, aliaſque iſtas Occidentis Prouincias, tantundem eſt, ſiue *Aſia*, ſiue *Iſauria* legas.

Hinc etiam excluditur Aſculanorum opinio, arbitrantium *Serdicam*, vbi natus eſt B. Potitus, locum eſſe in agro Aſculano, ſic olim vocatum. Vt enim id eis conceſſerim, quomodo cum Orietali plaga, Aſculanum agrum conciliabunt? Et, quam, quæſo, affinitatem cum Aſia, aut Iſauria, Aſculani proferre poterunt? Stet igitur, B. Potitum, non in iſtis Occidentalibus regionibus noſtris, ſed in Orientali plaga, hoc eſt, ſiue *Serdica*, ſiue *Sardis*, habuiſſe natale ſolum. Quamuis autem Serdica, & tota Thracia in Europa à Geographis collocetur, vulgus tamen, & cum eo Scriptor Actorum Potiti,

longin-

longinquas ab Italia regiones,etiam ſi in Europa ſint,in Aſia,imperitè ponunt haud rarò. Eſt autem Serdica inter Meldiam , & Burcuracam à Philippopoli diſtans M.P.CIIII.Itiner.Antonin. pag.8.

Quod verò Neapolim acceſſerit, & hic Chriſti Euangelium diſſeminauerit,conſentiunt omnia eius Acta, & Codd.M.M.S.S. Lectionarium, quoq; Potitiani Monaſterij,id videtur ſignificare, cum, Hymno ad Veſperam canit.*Claret Eois puer ortus oris.Claret illuſtri patre , Claret alta matre, quid mirum , quod in vrbe clara clareat infans? Vrbem claram*, Neapolim interpreor:in qua Hymni illi compoſiti ſunt in Monialium gratiam: de quibus,& tquandoque ſermo inſtruitur : vt ibi,*Martyr ò mi, dum frueris tonante,Virgines cura tibi ſint quotannis,Feſta condentes tibi,dexter adſis . Dum ſacra complent, Dum tibi dulces modulantur Hymnos,&c.*Accedit,quòd rectum iter,ex Oriente Italiam petentibus,Neapolitanum littus fuit. Vt ſepè alias dixi;atque adductis exemplis plurimis, citatiſque Scriptorum veterum locis , apertè demonſtraui.Huc etiam faciunt nomina Oppidorum,ad quæ Potitus, Angeli ductu translatus fuit.Nempe *Ephyrum*,vt correctiores Codd.habent,& *Valerianum*:vtrumque in Campania . Vnde corruit Ferrarij quoque opinatio, arbitrantis,*Ephyrum* non Oppidum, aut ciuitatem aliquam fuiſſe, ſed ſolitarium in Sardinia montem.In Actis enim adijcitur , *Ibique Chriſtum prædicans*:quod de deſerto loco verificari non poteſt.Denique,& ab ipſo Dima, Potiti aduentus Neapolim aſſeritur,ſcribente cap.19. *Fue con feliz nauigacion à la ciudad de Napoles*.Quamuis,in eo quod ſubdit,valdè fallatur,*y luego alli buſco ſi hauia algunos Chriſtianos.Y como el Emperador M.Antonino,vno de los mas impios , y crueles perſeguidores de los Chriſtianos gouernaua , no pudo alli hallar lo que deſeaua.Partioſe della.*Erroris enim redarguitur,ex epiſtola Soteris Papæ,ea ipſa ætate,qua Antonini perſecutio graſſabatur , ad omnes Campaniæ Epiſcopos,de qua ſupra,commendantis illis plebes ſibi cõmiſſas, Virgineſque Chriſto ſacratas , Quo etiam tempore erant Agrippinus , & poſtea Euſtaſius,Neapolis Epiſcopi,ſanctitate celebres.Ergo & ibi Chriſtiani plurimi.Nec enim paſtor eſt,vbi non ſunt oues .

Tandem apud Aſculum Apuliæ Vrbem martyrium conſumauit. De qua re,nulla eſt apud Scriptores dubitatio.Sardi ipſi,alioqui Potitum modis omnibus ſibi attribuere conantes,apertè fatentur ab Vrbe Roma,eum Apuliam ductum : ibique ad ripam Calbij fluminis , abſciſſo capite, inuictum ſpiritum Cœlo tradidiſſe.*Sentianum* etiam,& *Iulianum*, in Actis commemorata,Oppida ſunt propè Aſculum,& flumẽ *Calabium*, Aſculanis *Calagium*:quorum nunc vix parietinæ extant . Brachium eius in Æde Potitiana Neapolis aſſeruatur : vti literatus lapis in dicta Æde ſacra atteſtatur: Triearicenſium pietatem , vbi integrum Martyris corpus reconditur , ac Virginum vota dilaudans . Id ſub Clemente VIII.factum dicitur,menſe Maio anni MDXCVI.

# DE S. EVSTASIO Epiſcopo, & Confeſſ.

## CAPVT DECIMVMTERTIVM.

ANno Chriſti CLXXX. Eleutherij verò Papæ, II. Euſtaſius Agrippini ſucceſſor, Neapolitanæ Eccleſiæ Sedem præclaris virtutibus illuſtrat. De quo tamen præter pauciſſima verba, quæ Ioannes Diaconus ſcripſit in Chronico, nihil propemodum habemus, quod edaci ſuperfuerit vetuſtati. Diaconus hæc dicit. *Euſtaſius ſeptimus Epiſcopus Neapolitanus, in Altari Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, quæ dicitur Coſmedin, populis deuotè exequentibus, conditus eſt, atque translatus.* Quæ verba, hoc loco diligenter examināda ſunt: vt ex his, quidpiam, quod ad rē faciat, excutiatur.

In primis, Euſtaſium, ſeptimum fuiſſe Neapolitanum Epiſcopum, negabunt mecum ij, qui ex Dorotheo in Synopſi, Patrobam Pauli diſcipulū, Neapolis Epiſcopum agnoſcunt. Hunc quippe, cùm prætererit Ioannes Diaconus, conſequitur, Euſtaſium, non ſeptimo, ſed octauo loco eſſe ſtatuendum. Et verò, non Patrobam ſolum omiſit Diaconus, ſed nonnullos alios Epiſcopos, videlicet, Calepodium, Riuarium, ſiue, vt alij vocant Ricchardum, & quoſdam fortaſſe alios. Euſtaſius igitur, non ſeptimo, ſed minimum octauo loco numerandus profectò eſt.

Porrò quod Diaconus tradit, Euſtaſij ſacrum corpus, magna populorum comitantium frequentia fuiſſe translatum in Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Coſmedin, & in Altari reconditum, duo nobis exhibet cōſiderāda.

Primum, obſeruo hanc translationem, non ſtatim ab obitu Sancti Euſtaſij contigiſſe, ſed diu poſt: alioquin, ſi intelligeret ijs verbis exprimere B. Euſtaſium ſtatim ab obitu fuiſſe in eo Templo ſepultum, id falſum eſſe facilè euinci poſſet. Nam, quo tempore Euſtaſius obijt, ea ſanè ædes nondum erat constructa. Quandoquidem ſi Calepodius Neapolis Epiſcopus, qui ſecundus ab Euſtaſio ſedit, interfuit Concilio Laodicenſi, anno ſalutis 347. qui fuit decimus poſt Conſtantini mortem, quo pacto ſtare poteſt, in eam Ædem, quam ſummum à Conſtantino ædificatam volunt, Euſtaſiū, qui diu ante ea tempora vixit, & obijt, ſtatim à morte fuiſſe translatum? Itaque exiſtimandum eſt, primum iacuiſſe S. Euſtaſij corpus in cœmeterio aliquo extra Vrbem (ijs quippe locis ſepeliri ſolitos veteres Neapolitanos Epiſcopos, ex ipſomet Ioannis Diaconi Chronico palam eſt) Deinde verò, tranquillato per Magnum Conſtantinum, Chriſtiano Orbe, & ædificata iam dicta B. Mariæ Baſilica, ad eam, ſolemni pompa tranſlatum fuiſſe.

Alterum notatione dignum eſt, ijs verbis, breuiter ſignificari, atque deſcribi, antiquum in Diuos referendi, ſiue vt vulgo loquimur, canonizādi, modum. Priſcus enim Eccleſiæ Catholicæ mos fuit, vt colligitur ex S. Hie-

S.Hieronymo aduerſus Vigilantium, Prudentio Hymn.2.Periſt. Paulino epiſt.2. ad Seuerum, Ambroſio exhortatione ad Virgines, & clariſſimè ex Auguſtino ſermone 2.de Sanctis mox verbatim referendo,tribuere Diuis ſepulturæ locum, ipſummet Sanctum Altare, quò ſacrificia Domini celebrantur:iuxta illud Apoc.6. *Sub Altare Dei vidi animas interfectorum propter verbum Dei.* In quem locum Auguſtinus,iam dicto ſerm.2.de Sanctis teſtatur,veterem eſſe Eccleſiæ conſuetudinem, Sanctorum corpora, ſub altaribus condere,& ſepelire. *Rectè*,inquit, *ſub altari Sanctorum animæ requieſcunt, quia ſuper altari corpus Domini offertur. Quid reuerentius,quid honorabilius dici poteſt,quàm ſub illa Ara requieſcere Sanctos,in qua Deo ſacrificium celebratur: in qua offeruntur hoſtia: in qua Dominus ipſe Sacerdos eſt,de quo ſcriptum fuit: Tu es Sacerdos in æternum,ſecundum ordinem Melchiſedech? Conuenienter itaque & quaſi pro bono conſortio, ibi ſepultura Martyribus decreta eſt, vbi mors Domini quotidie celebratur:ſicut Paulus dixit, Quotieſcumque hæc feceritis, mortem Domini annunciabitis donec veniat Vt quippe, qui propter mortem eius mortui fuerunt, ſub ſacramenti eius myſterio requieſcerent. Et illic,occiſis tumulus conſtituatur,vbi occiſionis Dominica commemoratio celebratur. Et quos,cum Chriſto vnius paſſionis cauſa deuinxerat, vnius etiam loci religio copularet.* Hactenus ex B.Auguſtino. Qui, etſi ſolos Martyres nominet ſub altari ſepultos, quia priſcis illis Eccleſiæ ſæculis frequentiſſimus erat Sanctorum Martyrum numerus,idipſum tamen dicēdum eſſe de Sanctis Chriſti ſeruis, qui ſanguinem pro eius confeſſione non fuderunt, patet ex Pontificali Romano, in Rub. de Altarium conſecratione: vbi indiſtinctè de cuiuſcumque Sancti Reliquijs ſub altari ſepeliendis,bœc habentur. *Parantur prius Reliquiæ Sanctorum,& deferuntur ad altare,in quo eſt factum ſepulcrum ad Reliquias cuſtodiendas:& Pontifex,pollice Chriſmate intincto,cruce ſignat quatuor angulos ſepulcri,dicens. Conſecretur & ſanctificetur hoc ſepulchrum in nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sancti.Amen.* Et meritò quidem,alij etiam Sancti, præter Martyres, hoc magno honore dignati ſunt:vt,ſicut in eodem libro Pontificali legitur, *ſub altare Dei ſedes acceperint*: quia & ipſi,vt S.Auguſtinus docet,eod.ſer.2.ſi non aperto,ſaltē tamen occulto martyrio mortui ſūt. *Sēper*,videlicet, *mortificationē Ieſu Chriſti in corpore ſuo circūferentes.* Ex his igitur habemus,quod dicere cæperā:ſepulturam ſub ſacro altari,argumentū olim fuiſſe,hodieq; eſſe,notæ, atq; vindicatæ ſanctitatis. Eoq; ſignificari, quemquā Diuis adſcriptum fuiſſe, plurimis patet exēplis,quæ antiquitatis Hiſtoricæ Penuaria abūdè ſuggerūt. Quippe Sāctorum Epiſcoporum Godehardi Helmethedenſis, Suiberti VVerdenſis, Romualdi Camerinenſis,Amici Ratisbonenſis,Guidonis Pompoſiani,Firmani Firmenſis,& alterius Romualdi Camaldulenſis ſacra corpora,eo tātum ritu,vt bene Baronius to.ij.Annal.ann.1027. §.penult. de Sancto Romualdo loquens,obſeruat,in Sanctorum numerum adſcripti ſunt: qui videlicet tūc erat in vſu. Nempe,Vt ex tacita ſaltem cōceſſione Sedis Apoſtolicæ,ſuper corpus,vel reliquias ſacras,altare cōſtrueretur. Quod B.Petrus Damianus in vita S.Romualdi cap.79. factum narrat, cum iam dictus S.Romualdus,Sanctorum numero adſcriptus eſt.Hunc ipſum ritum ſeruatum ſcribunt Arnoldus in vita Sancti Tohebardi pag.65. Berno Abbas in vit.Sancti Vldarici,& Sanctus Lugderus lib.de canonizat. Suiberti cap.3. Denique ab hac quoque mente eſt illud, quòd Sigonius ſcribit lib.8. de Regno Italiæ. *Eodem anno 1027. Bononius Abbas Locedenſis vita ſua ſanctitatem moriens,multis miraculis editis prebuit. Vnde meritò Aram ab Epiſcopo Vercellenſi.*

*A*, Arderico, *cum eſſet à Pontifice conſecratus accepit.* Hoc eſt, tunc primum S. Bononij corpus, ſub Ara collocatum eſt. Quo circa ijs maximè temporibus, eleuatio, ſiue Translatio, pro ipſa Apotheoſi accepta eſt. Probè igitur Ioānes noſter Diaconus literarum monumentis tradidit, B. Epiſcopum Euſtaſium, *populis deuotè exequentibus,* hoc eſt, proſequentibus ( niſi malis legere *exequiantibus,* participio ſcilicet apud Varronem,) conditum fuiſſe ſub altari S. Mariæ in Coſmedin. Vt inde eruditus lector intelligat, tum primum illi diuinos honores publicè fuiſſe tributos.

Ea autem ſacra Ædes (ne quid indiſcuſſum prætercam ) corruptè appellatur in *Coſmedin* quippe ἀκουεμάτων græco olim vocabulo hoc eſt *exauditorum,* ſcilicet hominum, vel *exauditarum,* ſupple precum, dicta videtur: & ita ſanè, Falco teſte in deſcript. Neap. fol. 56. legebatur, in vetuſto eius Eccleſiæ titulo. Eiuſdem profectò appellationis, Romæ, in prima Vrbis Regione, Baſilica extat, quàm vulgò *Scholam græcam,* recentiores indigetant. Itemque Rauennæ alia: vt ſcribit Rubeus lib. 1. Hiſt. Rauenn. pag. 38. In ea igitur Baſilica ſacra, B. Euſtaſij oſſa, à venerandis Patribus Clericis Regularibus Sancti Pauli, ſub eadem Ara maxima, qua olim condita fuerant, reperta ſunt, anno ſal. *1616.* 16. Kal. Decembris, cum vetuſta hac inſcriptione, vrnæ inciſa marmoreæ. *Hic requieſcit corpus S. Euſtaſij Confeſſoris.* Tu verò, lector, cum Confeſſorem legis, ne ambigas de Preſulatu. Nam, ſic & alij complures Epiſcopi olim appellati ſunt: inque ijs Iſidorus, Hilarius, Martinus: vetere ſcilicet formula, & acceptione: qua is, qui Chriſti fidem interrogatus coram fidei hoſtibus confeſſus eſſet, eo nomine appellabatur. Vt Cyprianus hanc vocem, notante Pamelio, ſœpè accipit: & Iacobus Alphæi apud Clementem lib. 8. Apoſtol. conſtit. cap. 23. accipiendam eſſe definit.

Iam verò, ijs ſanè temporibus Euſtaſius noſter, Epiſcopus fuit, quando ob perſecutionis acerbitatem, in quibuſdam Prouincijs, ex immani populorum impetu, in Chriſtianos excitatam, innumeri fideles, non Confeſſores ſolummodo, ſed etiam ſanguine ſuo, Martyres euaſerunt: Sotere ipſo Pont. Max. in Vrbe Roma pro Chriſti fide necato, & Chriſtianis, Clericis maximè, aut fuga diſperſis, aut cæde peremptis. Quid autem ſpecialiter B. Euſtaſius eo tempore fecerit, ſiue perpeſſus ſit, ignoramus. Verùm ex ea veteri appellatione, aliquid de illo conijcere fas eſt, & tacitis cogitationibus commentari.

Porrò viget in ea Baſilica cultus huius Sancti Præſulis, die præſertim 29. Martij, quo eius commemorario ſolemniter celebratur, frequenti piorum cœtu, ad iam dictam Ædem accurrente, vt ſepulcrum, quo conditus eſt, deuotè veneretur. Soluitur autem illi ea potiſſimum luce, ſolemne officium, quia, cum ob temporis vetuſtatem, & ſcriptorum inopiam, Natalem eius diem ignoremus, ideò ad 29. Martij, quo etiam Diui Euſtaſij Luxouienſis Abbatis Natalitia celebrantur, appoſitè relatum eſt, ea nominis ſimilitudine. Sic alias crebro factum. S. Columba Hiſpana Virgo, & Martyr, cuius dies natalis eſt 17. Septembris, diu tamen celebrata eſt prid. Id. Ianuar. qua item die agitur de S. Columba Senonēſi. Antonius Monachus Romanus, quòd dies obitus eius neſciretur, collocatus eſt in Martyrologio die 17. Ianuarij, quo Magnus Antonius Abbas in cœlum abijt. Et ob eandem cauſam, Capuæ, Epiſcopo Priſco, in Romano Martyrologio iunctus eſt Priſcus alter: & cum Rufo Epiſcopo, & Martyre, Rufus alter, &

Carpophorus Martyres. Atque, vt domeſticum adducam exemplum, cum Candida ſeniore Neapolitana, Candida altera iunior iuncta eſt. Alia item ſuppetunt exempla quamplurima, ſed hæc lectori ſatis erunt.

Denique, ſi diuinare liceat, ab hoc noſtro Euſtaſio, cognomen forſan accepiſſe dicendus eſt, Rapolto ille de S. Euſtaſio, Beneuentanus ciuis primarius, & apprimè Catholicus: ideoque Anacleto Antipapæ infenſiſſimus: & à Falcone Beneuentano in ſuo Chronico ſæpiùs laudatus. Porrò de Euſtaſio Scalenſis Eccleſiæ Titulari, an ſit idem cum noſtro, anceps ſum.

Quamuis non ſim neſcius, non fuiſſe olim inſolens, Sanctis noſtris Diuis, Templa etiam extra Neapolim excitari: vti iam de Agrippino vidimus: quod etiam de B. Ianuario ſumus dicturi.

✠

# DE S. EVPHEBIO EPISCOPO.

## CAPVT DECIMVMQVARTTVM.

VAriè huius Sancti Epiſcopi nomen profertur, nempè *Euphimus, Euphenus,* Euph*emus, Efimus, Euphramus, Euphebius*. In veteri Lectionario, *Euphimus Hodie nanque Beatiſſimus Pater noſter Euphimus, corporea depoſita ſarcina, feliciter volauit ad cæli palatia*. Ioannes Diaconus in Chronico Epiſcoporum, *Epheuum* vocat. Vetus M.S. Kalendarium, *Ephremus* habet. Vulgò denique *Euphremus* correpta media, nunc appellatur. Scriptum etiam alicubi reperi, *Efimus*, & *Euphramus*: ſed corruptè, vt puto. Vſitatius hodiè in ſacro eius officio vocabulum eſt, *Euphebius*: & ſic nominatur hic Diuus, in Hiſtoria Miraculorum, quæ ab eo poſt obitum patrata ſunt, vbi ita habetur. *Hic Sanctiſſimus Chriſti Confeſſor Euphebius poſt multa annorum curricula*, &c. Inter tot autem nuncupationes, nulla ſignificantior, quam *Euphimus*: quæ vox, *benè ominatum glorioſum conſpicuum* & aliquando etiā *ſpecioſum*, latinè ſonat. Erat verò noſter hic Præſul, florido vultu, & venuſta admodum ſpecie: vt de eo Diaconus ſcripſerit. *Pulcher corpore pulchrior, & mente, plebi Dei ſanctiſſimè pr[æ]fuit, & fideliter miniſtrauit*. Neque inſolens eſt, ſpeciem corporis, vultuſque, etiam in Epiſcopo commendari. Nam eo nomine S. Epiphanius Epiſcopus Ticinenſis laudatus eſt à Beato Ennodio pag. 361. edit. Parißien. *Illud verò in quit, l[i]bandum eſſe non abnuo, quòd formoſitas in illo lucis corpore, index animæ fuit: & tantum contra ſtudium illius, forma decus exstruit, vt nec fortis viro poſſet oppugnante ſubuerti. Ridebant genæ, etiam cum animus mæſtitudine torpuiſſet*. Et alia multa Ennodius habet, quæ hoc loco referre non eſt neceſſe. Meritò igitur, hoc etiam nomine commendatur noſter Euphebius verè *Chryſooras, aureæ pulchritudinis*, quod cognomen B. Ioanni Damaſcæno adhæſiſſe, palam eſt ex Theophane, Hiſt. Miſcel. lib. 22.

Cæterum, quo tempore Euphebius vixerit, aut Epiſcopus fuerit, ſignatè quidem ſciri non poteſt, nulla extante de eius vita geſtiſque narratione. Id ſolùm nouimus, admodum antiquum fuiſſe Neapolis Antiſtitem. Nam Ioannes Diaconus, octauum Epiſcopum numerat Epheuum. Neque alium deinde habet, qui Euphebius, ſiue Euphremus appelletur. Itaque nonnulli recentiores, qui hunc Sanctum Præſulem figunt ad ann. Chriſti 717. Conſtantino Summo Pontifice, cum nullus antiquus auctor id tradat, neſcio quo fundamento illud aſſerant: ac proinde puto iſtum affingi ab eis potius, quàm verè figi ad illud tempus. Ad iam dictam verò ævi, quo Sanctus Euphebius vixit antiquitatem vtcumque ſignificandam, commodè arbitror illum veteres, vna cum Sanctis *Fortunato*, & *Maximo*, Euphebij, longo licet interuallo, in Sede Neapolitana ſucceſſoribus, ſepeliuerunt. Atqui

For-

Fortunatus,etat ſanè Neapolis Epiſcopus anno Chriſti 348.Huic quippe, alijſque Catholicis Epiſcopis,oblata fuit Epiſtola quædam Sardicẽſis, ſeu veriùs Philippopolitani conciliabuli, vti ex Diuo Hilario refert Baronius tom.8.Annal.ad fin.Maximus verò, floruit ſanctitate, circa annum ſalutis 359.actuſque in exilium eſt,quòd Arrianæ fidei formulæ,in Cõuentu Ariminenſi, nefario vaframento concinnatæ, ſubſcribere noluit. Itaque diu ante hæc tempora,vixiſſe Euphebium,& Ioannes Diaconus prodit,& ipſa tumulatio cum Fortunato,& Maximo,aliquo modo ſignificat. Cum nullus Neapolis Epiſcopus ſanctitate clarus, inter hos medius intercesſerit. Idipſum autem cernimus interdum antiquitus factum, in quibuſdam alijs Sanctis Epiſcopis:vt ſcilicet,tempore, & ſanctitate proximos, vnus ſepulturæ locus exciperet.Sic etenim,Epiſcopus Neapolitanus Maro, *ob ſanctitatis*,inquit Io.Diaconus *meritum cum Epitimito,& Aſpreno*. Sic Noſtrianus, cum Gaudioſo,& Quoduultdeo. Sic Athanaſius cum Laurentio, Neapoli olim ſepulti fuiſſe leguntur. Porrò, nonnulli recenſent Euphebium inter Neapolis Patronos,& Tutelares Diuos,ſextum,aut ſeptimum, ſed reuera, tempore conſiderato quo vixit,ſecundus fuit. Cur verò factum, vt vatiè temporis ordo in Sanctis Patronis enumerandis inuerteretur, non eſt huius loci diſquitere. Intereà Philippus Ferrarius lib.de Sanctis Italiæ,hunc Diuum,ob id potiſſimum adſcitum à Neapolitanis Patronum narrat,quòd ciuitatem ingenti miraculo à Saracenorum incurſione, ac depopulatione liberauerit.Quod,quia,vt dixi,ingens fuit, ex ipſa Hiſtoria miraculorum eius,ab Anonymo olim ſcripta narrabo.

*Cum quidam presbyter,extra Neapolitana mœnia,in Sancti Euphebij nomine cõditam Eccleſiam, ſedulè viſitaret:& illic quotidie ſacra Miſſarum ſolemnia exhiberet:contigit,vt Agarenorum impetus,improuisè aduenient, quia intrinſecus non poterat,extrinſecus vicina quæque vaſtaret.Quod prædictus audiens presbyter, Nullus, inquit me terror ab obſequio noſtri Patris,& Domini,poterit cohibere. Intentus,inquam,ad Miſſarum ſolemnia,ſi dignus ſum,ſolito more perficiam. Verumtamen,illius virtutis efficaciam,hoc volo probare indicio. Si me ſedulè obſequentem, inter iniquorum hoſtium gladios,& tela poterit cuſtodire.Et hæc dicens,inſertam baculo ſportulam,eccleſiaſticis refertam monilibus,collotenus geſtans,intrepidus iter arripuit. Ad Eccleſiam verò veniens,priuſquam ingrederetur, breue ad hunc modum carmen compoſuit.Præſul amande,tui ſim tutus numine Templi. En tibi deuotus,ſolitas paro reddere laudes.Et hęc dicens,calula indutus, Miſſarum ſolemnia,ſolito conſtantior inchoauit Nec dum prece finita, Agarenorum manus illius ſacri Templi ædificia vndique circumdedit. Verum Omnipotens Deus, ob meritum Sanctiſſimi Præſulis Euphebij, tanta eos cæcitate percuſſit, vt per Eccleſiæ aditum introſpicerent, & ſacra myſteria celebrantem presbyterum non viderent. Illis itaque forinſecus vacantibus, presbyter Miſſarum ſolemnia conſumauit. Expletis verò Miſſarum ſolemnijs,vocem de cœlo dicentem ſibi audiuit prædictus presbyter.Ne formides:nec paueas: conſtanter proprium accipe baculum:& quoſcumque obuios habueris,intrepidus percute. Ego enim eos, te aliquo modo feriente,proſternam Quo firmatus oraculo, baculum, vt ſibi fuerat iuſſum,arripiens,extra Eccleſiæ ianuam audacter exiuit, & quos ante fores Eccleſiæ reperit ictu baculi ferientis extinxit. Dehinc recto tramite, contra ciuitatis mœnia proficiſcens,quoſcumque hoſtium obuios habuit,eiuſdem virgæ tactu deleuit.Cœteri verò videntes corpora ſuorum,ſine telorum percuſsionibus ſtrata,terroris nimietate fugati, ad Claſſes redeunt,ac mucronibus raptim retinacula truncantes,nautum velis remiſque,prout poterant,marina ſulcantes æquora,ad priora remeare, moribundi feſtinant:*

*Mira*

*Mira enim Dei clementia,& incomprehenſibilis,quòd totius ciuitatis populus,gladijs, & telis armatus non poſſet præſumere, vnius tantum inermis presbyteri baculus, ipſo auxiliante,alios in terram ſtrauit, alios in fugam vertit. Prædictus verò presbyter, ad ciuitatem rediens,ſuos conciues ad currendum,& inuſitata videnda miracula hortans,aiebat: Currite Chriſticolæ alacriter properate ſecuri. Hoc baculo plures iam credite morte peremptos. Nullus in vrbe metus,voce liberante Diuina. Iamque alij furtim fugiendo per æquora currunt. Cumque populus ciuitatis,de inaudito miraculo titubaret,nec presbytero talia referenti,credulitatis aſſenſum preberet. Ite,inquit preſbyter,& pariter hinc vſque ad Eccleſiam properate: & dum quod dixi,verũ eſſe probaueritis,non mihi,ſed conditori omnium Chriſto Domino, & Sanctiſſimo Confeſſori ſuo Euphebio, munera perſoluite laudis: cuius munere fretus, alios hoſtium extinxi, alios in fugam verti. Cumque incredibilis multitudo, per verbum presbyteri, ad hoc ſpectaculum curreret,& plurimorum corpora per viam,ſicut presbyter dixerat,extincta videret,volucri curſu ad ciuitatem rediens,Omnipotenti Domino, & Sancto Euphebio illius dilectiſſimo Confeſſori,laudes innumeras referebat.* Hæc Anonymus. Porrò de anno, quo tale miraculum patratum fuerit, nihil equidem certi ſtatuere poſſum. Conijcio tamen id factum,paulò poſt annum ſalutis 878. Nam poſtquam Docibilis Dux Caietanus anno 877. inijt fœdus cùm Saracenis,tradiditque eis arcem Gariliani munitiſſimam, quam per quadraginta annos tenuerunt, ij ex ea arce crebrò excurrebant populabundi, in Campaniam totam. Leo Oſtien.lib.1.& ex eo Sigonius,alijque.

Ergo antiquiſſima cenſenda eſt Ædes ſacra Euphebio dicata. Ea verò anno 1530. à Vincentio Carafa Archiepiſcopo, tradita eſt Religioſiſſimis Patribus Cappuccinis,qui tum Neapolim,ductu F.Ludouici Foroſempronienſis, viri ſanctitate conſpicui aduenerant. Non debeo tamen ſilentio præterire,præclaram ſacri corporis Diui Euphebij inuentionem, quæ anno Domini 1589.Xyſto V.Sum.Pont.contigit.Nam annuit Deus F.Euangeliſtæ Lupienſis, Euphebiani Monaſterij Vicarij pijs votis, ſummopere exoptantis,ſacra Sanctorum lipſana,quę in ea vetuſta Eccleſia olim tumulata nouerat,reperire,& honeſtiore loco reponere.Itaque die 20.Nouembris,ſub eius Ædis paraſtite, detectum eſt S.Euphebij corpus, lignea capſa concluſum,quam ferrei circuli ambiebant. Caput verò non repererũt: nam id iam antea,ſeiunctum à corpore,tralatum intra vrbem ſeruatumque fuerat in Æde Archiepiſcopali. Die autem ſequenti, coram Alexandro Gloriero,Pontificiæ Cameræ Clerico,& Apoſtolico Nuntio,qui ad eam Eccleſiam, vna cum Lęlio Brancatio, alijſque nobilibus viris acceſſerat, ibique ſacrum peregerat, ſub eadem paraſtite Aræ maximæ proxima, reperta ſunt cum ingenti adſtantium voluptate,atque effoſſa, SS. Fortunati, & Maximi, antiquorum Neapolis Epiſcoporum, veneranda corpora, cum hac epigraphe. *Hic iacẽt Sanctorum Maximi,& Fortunati corpora ſub Paulo Primo.* Porrò,cum vnum ex his Diuis ad Ædem Conceptionis Deiparæ Virginis,Cappuccini Patres transferre cuperẽt,Xyſto V.rem omnem deferunt: cumque exorant,vt transferendi ſacri corporis licentiam impertiret. Pontificem verò reſpondiſſe ferunt,ſe per quietem,à Diuis iam dictis monitũ, ne,qui per octingentos circiter annos coniuncti quieuiſſent,diſiungi vllatenus permitteret. Itaque ſub Ara eiuſdem Euphebianæ Ædis primaria, tres hi Diui honorificum è pario marmore tumulum habuerunt, ſolemni ſupplicatione per Religioſum agmen, dum eo inferrentur, ritè pieque celebrata. Sic habent Acta inuentionis apud Regium. Ex quibus, alijſque

Eccle-

Eccleſiæ Neapolitanæ monumentis,licet colligere, Diui Euphebij corpus primo ſepultum fuiſſe,vt mos antiquus,in cœmeterio(quod Ioannes Diaconus in Vrſo Epiſcopo tradit). Deinde tranſlatum ad Stephaniam Baſilicam,vt idem habet in Epheuo Epiſcopo. Demum in Ædem ſui nominis, vbi nunc cum Sanctis collegis ſuis, Maximo, & Fortunato iacet, fuiſſe tranſuectum.

Porrò,non ſolùm Neapoli,ſed Capuæ etiam,& Salerni, D. Euphebij nomen, atque annui cultus diem, Breuiaria illarum Eccleſiarum abundè teſtantur. Libet autem ex Salernitano à Grimoaldo II. Archiepiſcopo, anno ſalutis 1166. edito, Orationem, hic ſubnectere,quam in eius feſto recitare conſueuerant (nam tres de ipſa Lectiones,nihil peculiare continent.) Ea eſt huiuſmodi. *Deus qui perennem gloriam Sanctiſsimi Euphebij Confeſſoris tui, atque Pontificis animæ conſtituiſti, tribue quæſumus, eius apud te, ita patrocinijs ſubleuari,vt cum eo, vitam poſsideamus æternam. Per Dominum noſtrum.* Geſta autem Sancti huius Epiſcopi,& totam eius vitę ſeriem,tempus nobis, cum ingenti noſtro damno,abſtulit.

✠

# DE
# S. RESTITVTA
## VIRGINE, ET MARTYRE.
### CAPVT DECIMVMQVINTVM.

MVlta ſe offerunt, de hac puriſſima Virgine, & fortiſſima Chriſti Martyre hoc locó diſquirenda. Nempe

*Sect. I. Fuerit ne Sancta Reſtituta S. Cypriani Carthaginienſis Epiſcopi diſcipula.*

*Sect. II. Quonam imperante Martyrium ſubierit.*

*Sect. III Reſtitutæ Aedes Carthagine exiſtentes, vtrum à noſtra hac Reſtituta nomen habuerint.*

*Sect. IV. Vtrum Neapolitanam Baſilicam B. Reſtitutæ, Conſtantinus Magnus Imperator ædificauerit.*

*Sect. V. Sit ne corpus S. Reſtitutæ Neapoli nunc, an verò in Inſula Aenaria.*

*Fuerit ne Reſtituta S. Cypriani Carthaginienſis Epiſcopi diſcipula.*
*Sect. I.*

QVatuor Diuas Reſtitutas, in Sanctorum Actis habemus: duas in Africa, tertiam in Sardinia, quartam verò Soræ in Italia. De Sorana nihil mihi agendum eſt: nullum quippe periculum imminet, poſſe eam quoquomodo cum hac noſtra confundi, Imperatore, Iudice, Tempore, Mortis genere, Loco, ſatis ſuperque ſe diſcriminãt. Rurſus, ea quæ in Sardinia eſt, cum mater fuerit Sancti Euſebij Vercellenſis, ac deinde vidua, nequit pro hac noſtra Virgine accipi. Illa item Sancta matrona Reſtituta Africana, quam Sancti martyres Donatus, & Felix, eiecto à filio eius tortore dœmone, ad Chriſti fidem traduxerunt, facilè ab hac noſtra diſtinguitur. De iſta igitur B. Martyre, ſic ab alijs eiuſdem nominis Diuis diſcreta, veſtigandum primo eſt. An verum ſit quod recentiores nonnulli fidenter aſſerunt, fuiſſe diſcipulam Cypriani. Id equidem verum eſſe percuperem: nihil tamen eiuſmodi vſpiam reperire mihi hactenus licuit. Quamuis & vetus Lectionarium, quo, typis ſuperiore ſæculo im-

impreſſo, olim vtebatur Eccleſia Neapolitana, & Acta etiam ipſa Reſtitutæ, eaque ad tres MM.SS.Codd.collata perlegerim. Præterea, id ſanè non conuenit cum Numeriani Auguſti tempore: quo, vt Acta eius legitima præferunt, Reſtituta tunc puella paſſa eſt. Numerianus enim, vno circiter anno, hoc eſt 283. ſiue 284. imperauit. Si igitur eo tempore Reſtituta virgo, puella erat, quomodo dici poterit diſcipula Cypriani, qui ante totos triginta annos, Decianam perſecutionem fugiens, Carthagine exceſſit, & ante 22. annos capite plexus eſt? Porrò Dauid Romæus prochroniſmi huius primus ſcriptor, & auctor fuit: quem deinde Regius, Capacius, alijque ſcriptores, vno excepto Ludouico Piſaurienſi, ſunt ſequti.

## *Quonam imperante martyrium Reſtituta ſubierit.* *Sect. II.*

IAm prædicta Romæi opinione reiecta, non erit opus, Reſtitutam ad tempora Valeriani Imperatoris, quo etiam Cyprianus vixit, euehere, maximè cum vetus Lectionarium, & MM. SS. Reſtitutæ Acta, eam Numeriano imperante, martyrium paſſam, conſtanter tradant. Neque verò ſuſpicari quis poterit, ex librarij errore, & nominum ſimilitudine, Numerianum pro Valeriano fuiſſe ſcriptum. Integra enim ſeries verborum, quam ex vet. cod. hic repreſento, profectò prohibet alium quemuis Auguſtum, quàm Numerianum intelligere. *Cum Romani Imperij Cæſar, Carus nomine, moderaretur habenas, & Perſarum gentes victor exſuperaſſet, in ſuperbiæ faſcibus elatus, dum ſuper Tygridem fluuium caſtra poneret, diuino iudicio fulminis ictu percuſſus interijt. Huius itaque filij Numerianus, & Carinus, in Regno ſuccedentes, atque iniqui patris veſtigia ſequentes, diuinam & ipſi experti ſunt vltionem. Nam Carinus prælio victus, apud Argium occiditur. Numerianus autem, oculorum dolore percuſſus, dum in lectica portaretur, ab Apro Socero ſuo peremptus eſt. Sed Diocletianus Cæſar cum ſucceſſiſſet in Regnum, ſtatim prædictum Aprum interemit, iurans ſine ſuo ſcelere Numerianum fuiſſe percuſſum. Iſte igitur Numerianus, dum adhuc regnaret, atque ſuam tyrannidem in ſublime eleuare cuperet, à Chriſti Eccleſia incboans, per omnes Prouincias ſuæ ditioni ſubiectas, Iudices & Præfectos deſtinare ſtuduit: præcipiendo crudeliter, vt vbicumque Chriſti cultorem inuenire valerent, igne, ferro, fame, cæteriſque pœnarum generibus, ipſos laniando trucidarent, niſi celerius Chriſtum negarent & dæmonum ſimulacris ſtuderent flectere colla. Eo itaque tempore, quo hæc gerebantur, & Romanam Eccleſiam Caius Dei Pontifex, & Martyr, optimè gubernaret, erat quædam Virgo in Prouincia Africa, in loco qui dicitur Ponizarius, nobili genere exorta, & ſacræ ſcripturæ ſtudijs optimè erudita, nomine Reſtituta,* &c. An hęc verba, aliqua ratione, Valeriani tempora ſignificare poſſint, tui iudicij facio, erudite lector. Quòd verò, ſacris literis inſtructam beatam hanc virginem fuiſſe narrant, id fortè Romæo, & Regio nuperis ſcriptoribus, laciniæ aſſuendæ occaſionem præbuit, ęam, ſcilicet, non ab alio, quàm à Cypriano doctiſſimo Epiſcopo, & Martyre celeberrimo inſtitutam. Sic etiam in geſtis Sanctorum Martyrum duodecim Fratrum Adrumentinorum, ab Alphano factum, ſiue potius confictum, eruditè detexit ſolertiſſimus Baronius, Notis ad 1. Septemb. eundem videlicet Cyprianum per immanem metachroniſmum, ab Alphano fuiſſe adductum ad animandos ad martyrium Beatos illos iuuenes, qui Maximiano Herculeo Imperatore, hoc eſt, multo poſt Cypriani tempora, martyrium conſummarunt.

### *Reſtitutæ Aedes Carthagine exiſtentes, vtrum à noſtra hac Reſtituta nomen habuerint.*

### *Sect. III.*

BAronius quidem, ſuis in Martyrologium Notationibus, id dubio procul affirmat. *Non tantùm*, inquit, *Neapoli celebris fuit, quo translatum eſt venerandum corpus eius, ſed & Carthagine in Africa, vbi paſſa, eius etenim nomine cenſetur illa Baſilica Reſtitutæ dicta, in qua nonnulla Concilia celebrata habentur*. At tomo 5. Annal. ann. Chriſti 397. ſignificat, hanc ſibi diſplicuiſſe ſententiam. Cùm enim tres adduxiſſet originationes Baſilicæ Reſtitutæ, Vel videlicet à Reſtituta Martyre, Vel à Reſtituto Epiſcopo Carthaginienſi, Vel denique, quod ea Baſilica Conſtantio Imperatore ablata fuit Donatiſtis, & reſtituta Catholicis, ipſe in hanc tertiam propendet: adeò, vt alias duas à ſe dudum expoſitas, penitus abijcere videatur. Baronio, Binius Notis ad Cõcilia Carthag. 3. 4. & 5. vt ſolet, adſtipulatur. Vterque verò, ob id maximè ad hanc tertiam originationem amplectẽdam adductus eſt, quod in Conc. 3. Carthaginienſi vocetur Baſilica *Perpetua Reſtituta Perpetua*, inquiunt, *à ſacro corpore Sanctæ Perpetuæ, quæ, teſte S. Victore Vtic. lib. 1. de perſecut. VVandalica, in eo primario Templo, vna cum S. Felicitate quieſcebat. Reſtituta autem, ex eo, vt dictum eſt quòd reſtituta ea Baſilica Catholicis fuerit*. Hæc illi. Atqui, niſi ego vehementer fallor, id argumentum non eſt tanti, vt nos ad tertiam iſtam Baronij, Binijque ſententiam vi ſua trahere nos poſſit. Nam, etſi probabilis ſit eorum ſententia, nonnullis tamen premitur difficultatibus. Nam, quòd dicunt, Baſilicam hanc Carthaginienſem, diu fuiſſe poſſeſſam à Donatiſtis, & poſtea Catholicis reſtitutam: id profectò nullo auctore dicunt, ſed ex proprij ſolummodo ingenij coniectura: quã ſanè in rebus Hiſtoricis crebrius adhibere, abuti ingenio eſt, & viam ſibi erroribus aperire. Refert quidem Baronius tomo 5. ann. 439. ex Vict. Vtic. lib. 1. eam maiorem Carthaginis Baſilicam, vbi corpora Sanctarum Martyrum Perpetuæ, & Felicitatis ſepulta ſunt, ab VVandalis fuiſſe occupatã: atqui id contigit multo poſtquam, Reſtitutæ Baſilica vocata eſt. Eam autem à Donatiſtis vnquam fuiſſe poſſeſſam, quiſnam antiquus Hiſtoricus ſcripſit? Enimuerò totam Hiſtoriam Donatiſtarum euoluenti, nuſquam apparebit, Eccleſiam primariam Carthaginis, fuiſſe ab alijs, quàm à Catholicis ante iam dictum annum 439. quo eam VVandali occuparunt, aliquando poſſeſſam. Primum enim, ordinato in legitima Carthaginis Eccleſia, in locum Menſurij, Cæciliano, ſchiſmatici illi, qui Donatiſtæ poſtea appellati ſunt, non in æde illa primaria Carthaginis, ſed ſeorſum, ſuum ſchiſmaticum Epiſcopum Maiorinum ordinauerunt. Baſilica autem Metropolitana Carthaginienſis, Catholicis eo vſq; ſeruata eſt, quod planè ſignificãt verba illa Optati lib. 1. aduerſus Parmenianum, cùm agit de ordinatione Cęciliani in Epiſcopum Carthaginis. *Interea ad Baſilicam, vbi cum Cæciliano tota ciuitas cum frequentia fuerat, nullus de ſupradictis ſchiſmaticis traditoribus acceſſit*. Et infra. *Conſerta erat Eccleſia populis, plena erat Cathedra Epiſcopalis, erat Altare loco ſuo. Sic exitum eſt foras à ſchiſmaticis, & altare contra altare erectum*. Hæc S. Optatus. Ergo eo tempore Cathedralem Carthaginis Ædem, Catholici tenuerunt, ſchiſmatici defugerunt. Nec poſtea vnquam legitur Donatiſtas

eam

eam occupaſſe. Nam nec in Actis Reſtituti Martyris, aut Aureoli, Capreoli, aliorumque Epiſcoporum Carthaginis, id accidiſſe memoratur.

Præterea obſeruo, Templis ab hominum nominibus appellatis, ea certè vocabula, non nominandi, ſed gignendi caſu adiungi ſolere. Sic Cõcilium Carthag. 3. legitur coactum, in Baſilica Fauſti: Concilium Chalcedonenſe primum, in Eccleſia Euphemiæ: & Concilium illud Romanum antiquiſſimum, Melchiade Pontifice, habitum eſt in ædibus Fauſtæ ad Lateranum. Ad hunc itaque modum, iam dictum Carthaginenſe Concilium, ſi vera eſſet originatio à Baronio allata, deberet efferri celebratum in Baſilica Perpetuæ: non autem, vti in omnibus excuſis Codicibus, quotquot mihi videre licuit, ſcriptum reperi, *in Baſilica Perpetua*, ablatiuo caſu. Id ergo indicat, non à Martyre Perpetua, cognomen accepiſſe, ſed aliunde. Quòd ſi quis nihilominus ſuſpicetur, in excuſis libris corruptè ſcriptum, *Perpetua* pro *Perpetuæ*, legendumque *Baſilica Perpetuæ reſtituta*: is ipſe, qui eo modo conijcere, & corrigere audeat, vna eademque opera, aditum etiam mihi prebebit, ſic emendandi, & legendi, *Baſilica Perpetua, & Reſtituta*: præcipuè id nobis ea ſuadente ratione, quod dictio *Reſtituta* R. maiuſcula iis Concilijs ſcripta eſt, etiam apud Baronium ipſum. *In Secretario Baſilica Reſtituta*. Alioquin enim ſi (quod Baronius cenſet) participium eſſet, non autem proprium fœminæ nomen, debuiſſet proculdubio cum *r* minuſcula ſcribi. Sed hæc minutiora videntur, quàm vt debeant nos diutius diſtinere. Opiniones in medium allatæ ſunt: cordatus lector cenſeat, & ſeligat.

## *Vtrum Neapolitanam Baſilicam Beatæ Reſtitutæ Conſtantinus Imperator ædificauerit. Sect. IV.*

MArtyrologium quidem Romanum, id luculenter his verbîs aſſerit. *Et in eius honorem Conſtantinus Magnus, Baſilicam poſtea Neapoli erigendam curauit.* Intelligendum igitur eſt, Conſtantinum Neapoli Baſilicam illam, quæ *Stephania*, ſiue Ἐπισκοπεῖον *Epiſcopium* dicta eſt, ædificaſſe: eandem enim, illato in eam (quod infra probabimus) corpore Sanctæ Reſtitutæ, Reſtitutæ Eccleſiam fuiſſe etiam antiquitus dictam, planè conſtat. Variè namque appellatam vnam iſtam eandemque Baſilicam, ex antiquis Neapolis monumentis abundè probari poteſt. Exponam proindè hoc loco breuiter, quid de hac vocabulorum varietate dicendum exiſtimem. Sanè verò, cùm ego Ioannis Villani Chronicon, Petri de Stephano de Eccleſijs Neap. Opuſculum, aliorumque recentiorum ſuper ea re placita legerim, ac perpenderim, ſtatui mecum denique in vnius Ioannis Diaconi ire ſententiam, quæ omnibus antiquior, & probabilior mihi videtur. Is igitur in Stephano primo Epiſcopo, hæc ſcribit. *Hic inter alia bonitatis ſtudia. fecit Baſilicam ad nomen Saluatoris, copulatam cum Epiſcopio, quæ vſitato nomine, Stephania vocatur.* Et in Stephano ſecundo. *His ita peractis, Eccleſia Saluatoris, quæ de nomine ſui auctoris, Stephania vocitatur*, &c. Ex his itaque habemus, eandem eſſe Baſilicam Saluatoris, atque Stephaniam. Habemus itẽ, Epiſcopium eſſe idem propemodum, ac Stephaniam, aut Ædem Saluatoris, videlicet Epiſcopio incluſas, coniunctaſque. Habemus tertio, nomine Baſilicæ, Ioannem hunc, ſuo more intelligere, non Ædem aliquã integram

magnamque,ſed Cappellam,Sacellum,Cellam. Sic quippe in hoc eodem Chronico accipit nomen Baſilicæ, atque Eccleſiæ. In Fortunato Primo Epiſcopo. *Sepultus*, inquit, *foris vrbem ad ſtadia quatuor. Deinde poſt longum tempus, populi patrocinia eius pe[r]ſentes, ab Eccleſia ſuo nomini conſecrata, per manus Pontificum collocarunt in Eccleſia Stephania*,&c. At conſtat tamen, eam quam dicit Eccleſiam Fortunati,non fuiſſe aliud,quàm Cappellam ante Ædem Sancti Ianuarij extra Vrbem.Idem in Noſtriano Epiſcopo. *Sepultus eſt in Eccleſia Beati Gaudioſi Chriſti Confeſſoris,foris Vrbem.*At ea,quam vocat Eccleſiam,Cappella fuit in porticu Ædis Sancti Ianuarij:quia ſubdit: *euntibus ad Sanctum Ianuarium Martyrem in porticu ſita.*Et ſcriptor idem,in Victore Epiſcopo,vocat *Baſilicas Stephani,& Euphemiæ*:quæ Cappellæ erant:ſiue,mauis, quædam parua oratoria. In hoc autem ferè differunt Cappellæ ab Oratorijs,quòd Cappella membrum Eccleſiæ eſt, Oratorium autem ſeiunctum ab Eccleſia,& quaſi quædam parua Eccleſia.At eius æui Scriptores,paſſim hæc confundunt,vocantque Cappellas,Oratoria,& è contrario.Quin etiã, ipſemet Diaconus,quam dixit Baſilicam Sancti Stephani, alibi (in Paulo Epiſcopo)ſic eam deſcribit,vt non Eccleſiam, ſed Cappellam fuiſſe ſignificet. *Mox*,inquit,*eius Pauli Epiſcopi exequias,totus Clerus,omniſque ſexus,& ætas vna cum pueris eadem nocte baptiʒatis,vſque ad Baſilicam Sancti Ianuarij deduxerunt:& ibidem in eius porticu,ante Eccleſiam Sancti Stephani ſepelierunt.* Erat igitur Eccleſia Sancti Stephani,Cappella,ſiue Oratorium paruum in porticu Sancti Ianuarij. Item in Stephano II. Epiſcopo Cappellam Sancti Petri, quam in Stephania ſtruxit, idem Epiſcopus vocat Eccleſiã, & Cappellam Sanctæ Fortunatæ,intra Eccleſiam Sancti Gaudioſi ſitam,vocat Baſilicam. Eodem modo Petrus Diaconus Caſſinenſis,ſcriptor vitæ, & translationis Sancti Athanaſij Epiſcopi Neapolitani, appellat Oratoriũ Laurentij,quod tamen erat Cappella in Æde Sancti Ianuarij. Denique Philippus Bergomas in Supplemento Chronicorum, narrat, Innocentium IV. Summum Pontificem,in Baſilica Sancti Laurẽtij fuiſſe tumulatum. Et tamen ſcimus, illam,Sacellum,ſiue Oratorium, non autem Baſilicam propriè vocari debere.Bene igitur Ioannes Villanus lib. 1.Chronic.Neap.c.43. vocat Cappellam Sancti Ioannis in Fonte,ædiculam Stephaniæ attiguam.Et cap.44. illud,quod dicitur,Oratorium Sancti Aſpreni,ipſe vocat, *Altare poſitum intus Cappellam Sanctæ Reſtitutæ, quod dicitur Sancta Maria de Principio*. Ex quibus verbis habemus,etiam,Beatæ Reſtitutæ Templum integrum, Cappellam fuiſſe aliquando vocatam. Hæc ſatis: ne plura afferens exempla,faſtidio ſim lectoribus.

Opinor itaque,vetus Epiſcopium, quod etiamnum extat,à Conſtantino fuiſſe ædificatum, cum ante videlicet ob perſecutiones, non adeò licuiſſet publicè, magnificas Deo Ædes extruere, ſed vtplurimum paruas Cellas,& Oratoria, intra piorum domos, aut cœmeteria, ſeu Cryptas incluſa.Epiſcopium autem iſtud,varias ſubinde appellationes olim ſortitum eſt,à varijs ijſque pro tempore magnificis Sacellis in eo conſtructis. Nimirum ob Sacellum S.Reſtitutæ, eiuſque corpus eo illatum, Sanctã Reſtitutã vocatum eſſe conſtat:eamque hodie nomenclationem obtinet.Ab abſide verò,picturaque,*Saluatoris*,dictum eſt. Quod verò poſtea ibidem Eccleſia à Stephano Epiſcopo conſtructa fuit, *Stephania* nomen accepit: vt apertè ſcribit Ioannes Diaconus in Stephano Primo. Eademq; Stephania cum fortuito conflagraſſet,& à Stephano Secundo reparata eſſet,& coro-

nis

nis Apocalypſeos in abſide depictis ornata, Stephaniæ nomen, quod ante habebat, magis magiſque retinuit, adiuuante etiam nomen *Stephaniæ* coronarum illarum pictura. Ea item à capite, & cruore (vt puto) & Sacello Sancti Ianuarij, Baſilica Sancti Ianuarij dicta eſt Petro Subdiacono ſcriptori translationis Sanctorum Iulianæ, & Maximi Martyrum. Quem Maximum translatum fuiſſe, ait, *in Baſilicam Sancti Ianuarij*: hoc eſt, proculdubio, in ipſud Epiſcopium: aut ſi mauis alio vocabulo, in Stephaniam. Similiter autem, eodem Diacono teſte, Eccleſia S. Georgij ad Forum, quæ antea vocabatur Baſilica Seueriana, poſtea propter Oratorium S. Georgij ibi factum, S. Georgij vocata eſt, & hodieque vocatur. *Nunc verò*, inquit in Seuero Epiſcopo, *Seuerus quieſcit in ea ipſa Eccleſia* Neapoli *conſtituta: quam alij Seuerianam, alij propter Oratorium ibi factum*, S. Georgium *vocant*.

Nec ſanè deſunt, in alijs etiam ciuitatibus, ſimillima veterum Eccleſiarum exempla: quæ varijs temporibus, varias habuerunt appellationes. Mediolani, antiquiſſimum, & primarium Templum, Saluatori, primo dicatum: poſtea Sanctæ Teclæ nuncupatum eſt. Beſut. libello de inſtrum. Chriſti paſſ. Romæ, Lateranenſis inclyta Ædes, à Saluatore primum dicta eſt: poſtea à Ioanne, vt nunc etiam ſolemus, appellata. Mutati autem vulgò vocabuli, ea potiſſimum, vt Hugonius lib. de ſtation. cēſet, cauſa extitit, quòd ponè ampliſſimam illam primariamque Baſilicam, Porphyreticum extet Conſtantini Auguſti Baptiſterium, nitidis lapidibus, auroq; prefulgidum. Vel etiam, vt idem ſubijcit, quod tum Baptiſtæ, tum etiam Euangeliſtæ Ioanni, geminum ornatiſſimumque Oratorium, à B. Hilaro Summo Pontifice, ibi fuerit olim ædificatum. Alia item huiuſmodi exempla ſuppetunt, ſed hæc ſatis erunt, monendo lectori, ne nouum, aut inſuetum exiſtimet, Templum aliquod, à Sacello, Oratorioue inibi conſtructo, hoc eſt, à parte totum, vocabulum ſumere.

Proinde cum apud iam dictum Ioannem Diaconum legis in vita Sancti Athanaſij Epiſcopi. *Eodem enim opere, in Eccleſia Stephania tredecim pānos fecit*. Et paulò infra. *Ordinauit etiam, vt in Eccleſia Saluatoris, omni die Miſſa publicè cum dypticis celebretur*, &c. Ne vacilles lector, neuè exiſtimes, de alia, atque alia Eccleſia, Ioannem verba facere: ſed ſcias de ipſa eadem eum loqui, quam ſupra vocauerat Stephaniam. Et eam quam Eccleſiam Saluatoris vocat, exiſtima fuiſſe cappellam, ſiue abſidem Epiſcopij, ac proinde nō aliud ſibi hic velle, niſi ſignificare, B. Epiſcopum Athanaſium ſtatuiſſe, vt in Altari Saluatoris, quod erat, vt puto, Ara Epiſcopij primaria, quotidie Miſſa ſolemniter celebraretur. Inde quoque eſt, quod Canonici Epiſcopij, *Canonici Saluatoris*, in aliquibus antiquis ſcripturis appellantur. Vt videre eſt, in veruſto quod legi Diplomate M.S. donationis, cuiuſdam prædij, *Canonicis*, vt ibi dicitur, *Saluatoris*, hoc eſt, *Epiſcopij* factæ. Quocirca verba illa, quæ idem Diaconus, inter iam citata loca inſeruit. *In ipſo verò Epiſcopio ad quotidiana miniſteria in cochlearijs, cæteriſque*, (lege pateriſque) *ferè centum libras contulit argenti*, hæc, inquam, verba, ſi probè perpendantur, ſignificant, ipſum Epiſcopium non aliam ædem fuiſſe, ab ipſa Saluatoris, & Stephaniæ. Nam eo loquendi modo, vti exemplis iam adductis oſtendimus, Ioannes Diaconus vtitur, vt varijs nominibus, vnam eandemque Baſilicam queat exprimere. Idipſum etiam patet, hoc validiſſimo, niſi fallimur, argumento. Nulli dubium eſſe poteſt, corpora Epiſcoporum, maximè Sanctorum, vt plurimum, tranſlata fuiſſe ad Epiſcopium. Atqui Ioannes Diaconus in vita

Sancti Ioannis Epiſcopi narrat, ab eo illa tranſlata fuiſſe in Eccleſiam Stephaniam. Ergo eadem erat Stephaniæ, atque Epiſcopij Eccleſia. Præterea in vita Athanaſij, ita ſcribit. *Eodem quoque tempore Miſenates Eccleſia, peccatis exigentibus à Paganis deuaſtata eſt, cuius omnes penè immobiles res, hoc Præſule Athanaſio ſupplicante genitor eius Sergius Dux, Neapolitano conceſſit Epiſcopio Et in altare Eccleſia Stephaniæ cooperuit velamen cum auro, & gemmis, atque liſtis ornatum: quod ipſius, & vxoris eius Druſæ continet nomen.* Hic niſi fallor, dicitur, Stephaniæ altare fuiſſe in ipſomet Epiſcopio, ac proinde Stephaniæ vocabulo, Epiſcopium intelligendum eſt.

Tandem, & coniecturam adijciam, cur primaria ſacra Ædes, Saluatori fuerit dicata, ac de eius nomine nuncupata. Puto enim id eueniſſe, quod æmula Athenarum Parthenope, Templum Ioui liberatori conſtruxit: inſtar eius, quòd Athenis erat: in cuius porticum ſecedens Socrates apud Platonem, initio Theageſis, cum Demodoro, & Theagete, de Sapientia diſſerit. Id quippe Neapolis, & cum ethnica fuit, & cum poſtea Chriſtiana facta eſt, æmulata fuit. Nam in primaria vrbis regione, ad altam ſemitam, quæ & Summa Platea dicta eſt, habuit Iouis Soſpitatoris Templum. Poſtea autem eodem loco, optima rerum commutatione facta, ædes extructa eſt, Deo Chriſto Saluatori. Et illud quidem Athenis Templum, græcè appellat Plato τῦ Διος τοῦ ἐλευθερίου στοὰν. *Porticum Iouis Liberatoris*, ſiue *Saluatoris*. Inſcriptiones verò Neapolitanæ apud Capacium libro primo, probãt Neapoli fuiſſe id Templum.

T. FLAVIVS. ANTIPATER.
VNA. CVM. FLAVIA. ARTEMISIA. VXORE.
ET. ALCIDE. LIB.
ASCLEPIVM. ET. HYGIAM. IOVI. EIAZIO. VOTVM.

Et in altera eiuſdem baſis parte.

T. FLAVIVS. ANTIPATER.
VNA. CVM. FLAVIA. ARTEMISIA. VXORE.
IOVI. EIAZIO. VOTVM. LIBENS. SOLVIT.

Et Capacius quidem græcæ linguæ peritiſſmus, perluſtrata cuncta antiquitate, teſtatur ſe non inueniſſe hunc *eiazium* Iouem. Vnde reſtituendam putat vocem *ſabazio, tripudianti*: vel *abazo* taciturno: aut, *Permittenti*, vel *ſtabilienti* ab alijs græcis originationibus. At ego reſtituerem *Hygiazonti*, hoc eſt, *Soſpitatori*: propriè autem, *Sanitatis reſtitutori*. Sic enim id vocabulũ vſurpat Ariſtoteles Polit. 3. Hoc verò *Iouis Soſpitatoris*, ſiue ſignum, ſiue Templum, extitiſſe eo loco, vbi nunc Epiſcopium vetus eſt, ſuadet ipſa primaria vrbis regio, in qua conueniens erat coli primarium Diuum, Patremq; Diuum, à ſuperſtitioſa illius temporis gentilitate. Extabat olim apud Ioãnem Vincentium de Porta, numus æreus, in cuius vna parte erat Saluatoris imago: ex altera vero ΝΕΑΠΟΛΙΟ. Vnde colligere licet, quanta fuerit Neapolitanorum in Saluatorem fiducia, contra vanam olim illam in Soſpitatorem Iouem.

### *Sitne corpus S. Reſtitutæ Neapoli nunc, an verò in Inſula Aenaria.*
### *Sect. V.*

QVoniam Hiſtoria Sanctæ Reſtitutæ, liquidò narrat, ſacrum eius corpus, diuino nutu ad Inſulam Ænariam nauigio olim delatum: inque eius Inſulæ littore, Templum Beatæ Martyri, quod etiamnum extat, fuiſſe conſtructum, opinari nonnemo facilè poſſet, illud & hodie quoque eodem loco iacere. Verum enimuerò, quamquam oſſicula aliquot Beatæ Reſtitutæ, illic haberi, probabile ſit, maiorem tamen ſacrorum pignorum partem, Neapoli in eius Eccleſia nūc eſſe, nullus quidem dubitat. Id quippe in primis perſuadet Baſilica in vetuſtiſſimo Templo, quod Sanctæ Reſtitutæ vocabulum obtinet, à Conſtantino Magno religioſiſſimè exædificata. Cum enim Pithecuſa, ſiue vt alij vocant, Ænaria Inſula, ob permutationem cum Inſula Caprearum ab Auguſto, vt Suetonius teſtatur cap. 92. olim facta, Neapoli iam ſubdita eſſet: meritò proinde Neapolitanos, ad ſe illud pertinere cenſuiſſe, & ſuo quodammodo iure, Neapolim deferendum curaſſe, exiſtimandum eſt. Alioquin, nulla propemodum occaſio, Conſtantino Magno fuiſſet, cur Reſtitutæ potius, quàm alij cuipiam è Cœlitibus, Neapoli Baſilicam extrueret.

Porrò ex Sancti Gregorij Epiſtolis 84. & 85. lib. 7. colligi poteſt, trecentis etiam propemodum poſt Conſtantinum annis, Neapolitano Epiſcopo, iam dictam Inſulam ſubiectam fuiſſe. Fortunato enim Epiſcopo Beatus Gregorius Papa demandat, vt Oratorium in Maſſa Furiana (ea hodieque *Furta* vocatur) à Ianuaria Religioſa fœmina ædificatum, conſecret. Idque non parum confirmare videtur Catalogus Epiſcoporum Pythecuſæ inde acceptus. Is quique, primum Pythecuſæ Epiſcopū ponit anno Chriſti 1204. vt proinde procliue ſit exiſtimare, ante id tempus, eam Inſulam ad Neapolitanam Diœceſim pertinuiſſe: deinde verò præciſam, proprio Epiſcopo paruiſſe. Quin etiam, ex epiſtola eiuſdē Beatiſſimi Pontificis ad Maurentium oſtenditur, etiam Prochyten, quæ vtpote continua Ænariæ, eandē cum ea ſubiectionis ſortem ſubire ſolita eſt, eo tempore Neapolis Demarcho paruiſſe.

Beatæ igitur Reſtitutæ ſacra lipſana Neapolitani nunc poſſident, ſub altari eius Ædis, olim condita. Vt præter officium vetus Beatæ Reſtitutæ, oculati etiā teſtes affirmāt. Nā cū extremis ſuperioris ſæculi annis, Alphōſo Geſualdo Cardinale Neapolitanā Eccleſiam moderante, primaria Tēpli Sanctæ Reſtitutæ Ara, quæ parieti abſidis contigua erat, vt citerius adduceretur, dimota loco fuiſſet: repertus eſt ſub terram altè defoſſus loculus marmoreus columellæ marmoreę ſuperpoſitus, oſſibus, & cineribus ferè plenus: in quo, & phialæ aliquot ſacri cruoris, qui ob temporis longitudinem, locique ſitum, in puluerem rubeum iam abierat. Loco item huic propinquo, capſa altera erat, qua Sancti Ioannis Epiſcopi Neapolitani oſſa tegebantur. Omnium autem quotquot illic adfuerunt iudicio, exiſtimatum eſt, loculo illo marmoreo, tum quia ſub Ara maxima Templi Reſtitutæ repertum eſt, tum etiam, quia ſeruatus ampulla cruor, martyrium indicabat, B. Virginis, & Martyris Reſtitutæ ſacra pignora contineri. Quamuis

autem,

autem, corroſis ob vetuſtatem Notis, lapis ille quondam litteratus, nihil de ea re nobis teſtificari nunc poſſit: adſunt tamen in antiquo Officio Sanctæ Reſtitutæ, verſiculi aliquot rythmici, qui ſacrum eius corpus Neapoli iacere, non obſcurè ſignificant. Ecce hi ſunt.

*Tranſit rates diuino miraculo,*
*Nullo Duce, vel gubernaculo,*
*Prebens iter ſacro corpuſculo,*
*Vt quieſcat prouiſo loculo.*
*Iam Lucina theſaurus creditur,*
*Cuius manu dignè reconditur.*
*Inde nobis colendus traditur,*
*Quo feſtiuus hic dies agitur.*

Viden' igitur Beatæ Reſtitutæ ſacrum corpus, primò in Ænariam diuino nutu delatum, & à Lucina honorificè conditum. Poſtea verò, inde nobis fuiſſe traditum. Hoc eſt, ex ea Inſula Neapolim translatum. Meritò proinde Volaterranus lib. 6. Geographiæ, inter ſacra Diuorum corpora, quæ Neapoli eſſe ſcribit, Beatæ etiam Reſtitutæ corpus adnumerat. *Nulla*, inquit, *quę ciuitas tot Præſulibus claret*, de Campania eo capite loquitur, *Aſpreno ante omnes à Petro conſtituto. Deinde Seuero, Athanaſio, Ioanne, Gaudioſo, Confeſſoribus. Præterea Ianuarij Præſulis Beneuentani, & Agnelli Abbatis. Inſuper & Reſtitutæ Virginis, & Martyris, cui dicata Baſilica, Candidæ viduæ Neapolitanæ, Petri diſcipulæ, corporibus decorata*. Quod ipſum, & Petrus de Stephano lib. de Eccleſ. Neap. & Baronius Card. Notis ad Martyrol. 17. Maij: alijque nonuulli recentiores, indubiè aſſerunt.

Porrò cēſet Ferrarius Indice topographico lipſanorum, præfixo operi de SS. Italiæ, huius noſtræ Reſtitutæ eſſe Reliquias quaſdam, in primario Templo Piſarũ aſſeruatas. Sed ego, ex eo quod Piſæ nõ lõgè abſunt à Sardinia, cuius etiam Primas aliquando fuiſſe dicitur Piſanus Archiepiſcopus: quodque aliquot Potiti Martyris, aliorumque multorum è Sardinia Diuorum reliquias, Piſani habeant, probabilius exiſtimo, non huius noſtrę Reſtitutæ, ſed alterius, quæ in Sardinia colitur, matris videlicet Sancti Euſebij Epiſcopi Vercellenſis, eſſe illa oſſicula.

De noſtra hac Reſtitutą, agunt vetera Kalendaria Neapolitanæ Eccleſiæ: & Martyrologium Patricianum ad 17. Maij. Quin etiam litaniæ antiquiſſimæ Beneuentanæ Eccleſiæ, noſtram inuocant Reſtitutam. Eiuſdem mentio eſt in Indiculo Reliquiarum Eccleſiæ Montis Virginis, vbi & capillos complures B. Reſtitutæ nunc eſſe, ſcribit Coſtus in Hiſtoria eius Monaſterij ſuperioribus annis typis expreſſa.

Quod autem in Faſtis Sãctorum ab Heriberto Roſ-uueydo editis littera R legatur 17. *Maij eiuſdem* Reſtitutæ Virginis, & Martyris *translatio ex Italia in Franciam*, eo nihil aliud ſignificatur, niſi quòd aliquod oſſiculum Neapoli in Franciam fuerit translatum. Sic enim ſæpè legitur in eodem libro Faſtorum. *Eiuſdem* Hadriani Martyris, *Translatio Roma in Flandriam. Eiuſdem*, Agnetis V. & M. *Translatio Roma Vltraiectum Eiuſdem* Chriſtinæ V. & M. *Trãslatio è Tyro Beurariã apud Betbumã, Eiuſdẽ* Monicæ Viduæ, *Translatio ad Monaſteriũ Aroaſiēſe in Arteſia.* Quas tricas benè ſoluit Baronius explicãs partẽ pro toto. Et verò tanti æſtimabant, vel oſſiculũ alicuius sãcti, vt eius Translationẽ in Martyrologio ſcripſerint, ac diẽ Translationis oſſiculi deuotè ſignauerint. Id legere, & obſeruare eſt in Martyrologio Pulſanenſi, Patriciano, Beneuentano, alijſque non paucis.

DE

# Martyrium, & Tranſlatio
# S. IVLIANAE
## NICOMEDIENSIS
### VIRGINIS
## Neapoli tumulatæ.

### CAPVT DECIMVMSEXTVM.

IVlianæ Virginis, quæ Chriſti anno CCXCIV. Caij Papæ X. Diocletiani,& Maximiani Imp.XI. Conſtãtio, & Galerio Coſſ. Nicomediæ, deluſis dœmonis artibus, ac Tyranni ſuperata ferirate, martyrij coronam adepta eſt, Nos Neapolitani ſacra lipſana Cumis tralata poſſidemus. Decet igitur de ipſa aliquid effari. Et primò quidem eius martyrij tempus exquirere.

Quod Acta Martyrij B. Iulianæ à Petro Subdiacono, vt etiam Baronius notat, è Græco tralata, tradunt eam anno à Chriſti Incarnatione ferè 291.quod eſt dicere,à Chriſti natiuitate 290.ſubijſſe martyrium, id equidẽ,vel adiectio eſt imperiti interpretis,vel(quod malim credere)nota numeri,vt contingere ſolet,vetuſtate corrupta. Facile enim accidiſſe potuit obliteratio vltimæ obliquæ litteræ, & ex CCXCIV. fieri CCXCI. Vtut res fuerit,certum apud me eſt, non poſſe ſtare annum Chriſti CCXC.cum ijs,quæ eadem Acta habent.Videlicet,Iulianam,Nicomediæ fuiſſe excruciatam, poſtquam Maximianus Galerius factus à Diocletiano Cæſar,in Orientis Prouincias fuit ablegatus:quod ipſum Metaphraſtes in Actis Iulianæ videtur aſtruere. Scribens, tunc Iulianam dediſſe Chriſto teſtimonium,cum Galerius,Nicomediam,captus vrbis pulchritudine, iam cæpiſſet incolere. Atqui non ante annum CCXCIV. Galerius in Oriente fuit. Quippe cum,Gordonio etiam conſentiente,ſequenti anno figenda ſit victoria ab eo de Perſis reportata,cuius occaſione belli, è Danubij limitibus in Orientem abierat.Imò ſecundum alios, multò poſt eſſet ponenda ea de Perſis victoria.Nam,Cedrenus eam collocat anno 17.Diocletiani,qui eſt CCC.Chriſti.Baronius ex Euſebio,anno CCCI.& Caſſiodorus (perperã quidem,& ob id à Baronio reprehenſus) anno CCCVII. Ego ex ijs adeo diſcrepantibus Chronologorum ſententijs,eam, quæ & Gordono placuit, ſelegi.Poſuique Iulianæ martyriũ anno Chriſti CCXCIV. Sic enim, verũ quoque erit, quod Petrus Subdiaconus ſcribit, Iulianæ martyrium, Marcellino Pontifice contigiſſe: qui iuxta Vaticanos Indices ab Anaſtaſio, & Luithprando relatos,anno CCXCIV.ſedere cæpiſſe dictus eſt.Hi enim, Caio eius prædeceſſori, non annos tredecim, vt recentiores nonnulli,ſed

vnde-

vndecim ſolummodò rribuunt. Ac proinde, initium Marcellini Pontificatus, ex anno Chriſti CCXCVI. ad annum CC.XCIV. retrotrahendum eſt, ſi Anaſtaſium, quem Petrus Subdiaconus ſequutus eſt, ſequi velimus.

Sed cum Iuſiana noſtra, Nicomediç martyrium paſſa referatur: & Euſebius, qui ea viuebat ætate, non omnia ſcripſerit, exiſtimo non ab re fore, ex ipſo, alijſque Hiſtoricis; & ex ipſis Actis Martyrum, immaniſſimā Chriſtianorum ſtragem, ea vrbe factam, non quidem prolixè, quis enim poſſit? ſed coacta ſaltem breuitate recenſere.

Anno Chriſti 284. Diocletianus factus à militibus Imperator, vbi primum bellorum, quæ Gallias turbauerant, expeditus fuit curis, vt Chriſtianum nomen, quod prius cogitauerat, prorſus deleret, anno 286. M. Aurelium Valerianum Maximianum, Sirmij vili genere ortum, hominem ſæuū, & Chriſtiani ſanguinis ſirientiſſimum, Auguſtum appellat. Iunctis animis viribuſque, tot hominum millia, crudeliſſima immanitate peremerunr, vt numerum propemodum omnem excedant. Ea quippe rempeſtate (vt Seuerus air lib. 2. *Omnis ferè ſacro Martyrum cruore Orbis infectus eſt. Quippe certatim glorioſa in certamina ruebatur. Multoque audius, tunc martyria glorioſis mortibus quærebantur, quam nunc Epiſcopatus, ambitionibus appetuntur. Nullis vnquam magis bellis, mundus exhauſtus eſt. Neque maiore vnquam triumpho vicimus, quàm cum decem annorum ſtragibus vinci non potuimus*. Decem hos annos, Seuerus ab ea, quæ anno Chriſti 302. ſæuius recruduit perſecutione, computat. Sed vigintiſeptem dicendi ſunt, inito à priori Diocleriani Edicto, annorum perſecutionis numero.

Duas verò præcipuè Vrbes, exercendæ lanienæ, Diocletianus conſtituiſſe viſus eſt. Romam videlicet, & Nicomediam. Et de Romç quidē Martyribus, cum multi profusè ſcripſerint, nihil opus eſt, hoc loco dicere. Nicomediæ autem ſtragem, vtcumq; repræſento depictam in Romanis, Grçciſque Faſtis. Nam in ſolo Martyrologio Romano (quem tamen librum, non omnes complecti Martyres ſcimus) die 18. Martij, decem millia Chriſtianorum. Er 27. Aprilis, vniuerſam ferè cum Epiſcopo Anrhemio ciuitarem. Et 25. Decembris, ipſo ſcilicet Chriſti narali die, omnem Chriſtianorum cætum, qui ad Eccleſiam conuenerant (hi verò, vt Grçcorum Faſti numerant, fuere vigintimillia) pro Chriſto morrem oppetijſſe leguntur.

In illa igitur immani perſecutione, eaque Nicomedienſi ciuitate, tot millium Martyrum irrigata cruore, virguncula Chriſti Iuliana, voce, geſtis, ac ſanguine teſtimonium euangelicæ dedit veritati. Et, quod Magnus ille Paulus IV. noſtræ Religionis Clericorum Regularium, cum B. Caietano Thienæo Conditor huic Virgini valde deuotus obſeruabar, illo ipſo die ſextodecimo Februarij, à Ioanne Chriſtum baptizante quadrageſimo, quo ante ducentos circiter annos, ſponſus eius Chriſtus, Dœmonem in deſerto vicerar, eundem Virgo hæc fortiſſima vicit, & vinxit. Nam (vt martyrij Acta tradunt,) ipſiſmet catenis, quibus in carcere ligata erat, inaudito ſæculis omnibus miraculo, Dœmonem, qui humana ei apparuerat ſpecie, arctius illigauir. Imbelliſque, ac delicatula fœmella, monſtrum illud portentoſum, & horrificum, vt cunctis ludibrio eſſet, tenuit fortiter catenatum.

Diuam iſtā, paruo interuallo, partim præceſſerūt, partim ſecutæ ſunt, beatæ aliquot virgines. Occiſæ enim Nicomediæ pro Chriſti fide ea tēpeſtatæ ſunt, Antonia, Barbara, Baſiliſſa, & Cyriaca cum alijs quinque, Eulā-

pia

pia item, Domna, Agapes, Theophila, Patritia, Modeſta, Iuſtina, Baſſa. Sed qnid numero, quæ numerum ſuperant? Dicam, quod Nicephorus refert lib. 7. cap. 7. *Tyrannum, adeo in ſacras Virgines exarſiſſe, vt Aſceteria, & Monaſteria omnia dirueris. Quo tempore puellæ multæ, quæ ijs locis, pro ſtudio virginitatem conſeruare ſtudebant, in martyrij ſtadio conſtantiſſimè decurrerunt.* De ipſa Menologium Græcum, die 28. Decembris ſic, *Commemoratio S. Martyris Iulianæ apud* Nicomediam, *ſub Maximiano Imperatore.* Beda quoque ad 16. Februarij. *Paſſa eſt*, inquit *in Nicomedia: ſed poſt paucum tempus, Deo diſponente, in Campaniam eſt translata.*

Huius translationis hiſtoriam narrat Petrus Subdiaconus, qui eius paſſionem ſcripſit ad Petrum Epiſcopum Neapolitanum. Acta huiuſmodi ex man. ſcrip. Cod. Langobardico Monaſterij monialium Sancti Ioannis Baptiſtæ Capuanæ Ciuitatis, à Baronio laudata, qui ea è Græco tralata dicit, habemus in noſtra Bibliotheca man. ſcrip. Domus noſtræ Sanctorum Apoſtolorum. Quæ & diuerſa ſunt ab ijs, quæ Ioannes Heſſelius vidit, & taxat, impreſſa Louanij anno 1485. Carent enim abſurdis illis, ac fabuloſis narrationibus, in dicta Louanienſi editione relatis. In horum calce, de translatione ex Nicomedienſi ciuitate hæc leguntur. *Poſt hæc autem, quædam Senatrix nomine Sophronia*, Melaniam intelligit, *cum pax Sanctæ Eccleſiæ eſſet reddita, &* Romam *properaret, per ciuitatem Nicomediam tranſiens, & Beatæ* Iulianæ, ſic eam ſemper appellat, *glorioſa miracula cognoſceret, abſtulit corpus eius, & condiens aromatibus, ſecum ferebat cum gaudio. Nauigante autem illa, tempeſtas magna exorta eſt, quæ ipſam nauem perduxit in finibus Campaniæ, iuxta ciuitatem Puteolanam, quæ diſtat ab vrbe Parthenope, ferè milliaribus nouem. Cumque prudenti animo cognouiſſet,* Dei *martyram illic velle habere oraculum,* fortè ſacrarium, *ſpontaneè illius patrocinijs fauens, continuò Baſilica in eius nomine conſtructa, corpus illius ibidem, cum hymnis, & laudibus nobiliter collocatum eſt. Poſtea verò imminente ethnica feritate, ne talis, tantuſque theſaurus deboneſtaretur, translatum eſt corpus eius in ciuitatem* Cumanam, *in ipſum Epiſcopium: & in B. Martyris* Maximi *Baſilica cum gloria collocatũ. Vbi plurima petentibus beneficia, ad laudem* Domini *præſtare non deſinit, vſque in hodiernam diem.*

Solennior autem translatio Beatorum Iulianæ pignorum ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ Domnæ Aromatæ, facta eſt anno Domini 1207. vt Acta eiuſce tranſlationis, quæ apud Nos ſunt, teſtantur. Capacius quoque lib. 2. Hiſtor. Neapolitanæ ex Officio ſacrarum Virginum Domnæ Aromatæ ſex Lectiones refert, hiſtoriam eiuſce tralationis ſub Anſelmo Archiepiſcopo Neapolitano factæ narrantes.

Huius Diuæ ſacra lipſana certatim ad ſe rapiunt Veronenſes, Rauennates, Comenſes, Beneuentani: & in Hyrpinis Gulielmitæ Monachi Montis Virginis. Et Hiſpani quoque; qui proferunt nomen oppidi *Sanctiluna* Burgenſis diœceſis, & vetuſtam ædem, in qua oſſa eius antiquo cultu eſſe creduntur. Sed quando illuc fuerint tranſlata, ignorant. Atqui Hiſpanum ego Pſeudo Dexterum, vnde id cœteri hauſerũt, nihil moror. Cõſtat quippe fœda, & crebra ipſius ἀνιςορία. Potuit item Veronenſis Eccleſia, aut Rauennas, aut Comenſis, alterius Iulianæ reliquias habere: illius ſcilicet orthodoxia celebris, de qua nuper Borghinus libro de Epiſcopis Florentinis pagina 375. quæ floruit imperante Anaſtaſio. Vel, ſi id cordato lectori non placeat, facilè fuit ijs Eccleſijs, è vicina Florentia, aut Bononia, habere oſſa aliquot D. Iulianæ Bononienſis, aut Iulianæ Florentinæ (nam Bor-

ghinus has diſcriminat)& per errorem arbitrari,ea eſſe Iulianæ noſtræ. A nobis certè ſtant Acta prædicta à Petro litteris mandata, ſub Leone vltimo Cumarum Epiſcopo. Solenne item vetus officium,quod per Octauas D.Iulianæ à ſacris Virginibus recitabatur. Lectionarium quoque,ex ipſis publicis ſcriptis concinnatum,atque ad Eccleſiæ vſum digeſtum.

Sed,dicet aliquis, habuiſſe quidem Cumas, Iulianæ oſſa: vt ex Actis patet, & Gregorio Papa lib.7. Regeſti epiſt.84. & 85. ad Neapolitanum Epiſcopum Fortunatum. Tranſuecta item ea fuiſſe è diruta illa ciuitate, Neapolim. Dubium autem eſſe,num illa nunc Neapoli extent.Cum nemo ſciat,quonam loco extent.Surrepta igitur inde fuiſſe, alioque tranſlata, aliquis opinabitur. Leuicula ſanè coniectura:quæ,ſi alioqui ſolida eſſet,ac valida,conficeretur itidem,nec Romæ Hieronymi corpus, nec Mediolani, Ambroſij extare,dicendum. Nec apud Ticinenſes, Auguſtini, nec apud Tolentinates,Nicolai.Quòd, vbi nam ſacra ea pignora requieſcant, nulli adhuc ſit compertum. Fortè iacent illa in ædibus ijs, quas Moniales vendiderunt Nobilibus Nili viris,vt ibi Sedile ſuum,ampliori forma cõſtruerent.Etant enim ex veteris Monaſterij,vnde Moniales ad nouum tranſmigrarunt.Vt ex publicis tabulis anno 1476.per Notarium Antonium Sportellum confectis,oſtendit Engenius. Vel fortè iacent in quadam ædicula, ipſi Iulianæ ſacra,ſed nunc diruta,at certè tunc monaſterio proxima.Exeret fortaſsè caput Iuliana,cum Deo viſum, & nota inſurget. Vtinam noſtris id fiat diebus, & eam toto animi affectu venerari detur.

At, quoniam in hac tralatione dicitur, ea beata lipſana ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ *Domna Aromata* fuiſſe tranſlata,de ea nomenclatura, coniecturam meam adijciam. Prædictam Eccleſiam, appellatam quandoque Sanctæ Mariæ de Perceio:vel de Conſtãtinopoli: vel Dominarum de Romania:vel Romitatum de Conſtantinopoli, vt ex Actis tranſlationis, & ex Regeſtis Regum Neapolitanorum apparet: quaſi nomen illi dederint deuotæ aliquæ mulieres Romitæ,vt vocant è Romania,vel Conſtantinopoli, ad hanc vrbem appulſæ.Illam verò nuncupationem,Sanctæ Mariæ *Domna Aromata*,puto eſſe corruptam. Et primo loco fuiſſe appellatam hac vocis impoſitione τῆς Μαρίας Κυρίας Ρώματης, hoc eſt, Mariæ Dominæ potentis. Rhoma enim Græcè ſignificat vim,robur,& fortitudinem. Vt ea nuncupatione, Virginis potentiam laudarent, quæ eas tutata fuiſſet in tam longo maritimo itinere. Vulgus poſtea græciſſans, ex Κυρίας Ρώματης fecit,Domna Romita. Sed tuum,expoſtulo in hac re iudicium, Lector.

TVRMÆ

# T V R M AE CHRISTIANORVM

## In littoralibus Campaniæ oris pro Chriſto cæſorum.

### CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

CIRCA annum Chriſti CCXCV. & Caij Papæ XII. Diocletiani, & Maximiani Imperatoris XII. Tuſco, & Anolino Coſſ. Hoc eſt, tempore Chriſtianis infenſiſſimo, in Campaniæ littoralibus oris, propè Neapolim, magnus numerus Martyrum, cœlo inſertus eſt. Eorum videlicet, qui Chromatio, Ariſtone, & Creſcentiano Ducibus, ad vnum omnes interempti ſunt.

Hic primùm videndum, quænam ſit Campaniæ littoralis ora. Antoninus certè Auguſtus, in ſuo Itinerario, ſic digerit inferum littorale iter.

*A Terracina Neapolim M.P.LXXXVII.*
nempè *Sinueſſam M.P.XLIIII.*
*Linternum M P.XXIIII.*
*Cumas M.P.VI.*
*Puteolos M.P.III.*
*Neapolim M.P.X.*

Hic ſiſtit, & iter finit Antoninus. Eoque patet, Neapolim fuiſſe terminum Romani itineris ad Campanum littus. Rarius verò, aut certè non tam frequens, Puteolos, aut Cumas. Pomponius item Mela, hæc ipſa Campana littora deſcribit. Sed inuerſo ordine, ad hunc modum. *Neapolis, Puteoli, Lacus Lucrinus, & Auernus, Baiæ, Miſenum, id nunc loci, aliquando Phrygij militis nomen, Cumæ, Linternum, Vulturnus amnis, Vulturnum Oppidum, amœna Campaniæ littora.* Neapolis itaque, primaria tunc quoque vltra citroque commeantium meta. Quanquam enim, de vniuerſo Campaniæ agro, Polybius hoc elogium proferat. *Eſt Campanus ager, copia rerum, & fertilitate regionis, ac amœnitate, & pulchritudine loci excellentiſſimus: nam in littore maris poſitus eſt: & eo ex vniuerſo terrarum Orbe venientes in Italiam innumeræ gentes confluunt.* Strabo tamen lib. 5. eiuſmodi aduentantium frequentiam, Neapoli vrbi præcipuæ attribuit. *Vitæ autem,* inquit, *græcanicam rationem Neapoli agunt, qui eo Roma ſecedunt in otium: ſiue qui ab ineunte ætate laboribus defuncti ſunt: ſiue qui ob imbecillitatem, aut ſenectutem cupiunt vitam faciliorem degere. Et Romanorum nonnulli, hic vitam gerere gaudentes, vbi vident multitudinem hominum, qui eius inſtituti cauſa ibi verſantur, libenter locum eum amplectuntur, ibique viſitant.* Et eodem libro expeditè concludit. *Parthenopen ob vbertatem, & amœnitatem, magnopere frequentari præ cunctis.* Quo circa, meritò Cicero, Neapolim vocauit, *celeberrimum Oppidum,* hoc eſt, frequentiſſimum.

Hæc idcircò, huc attuli, vt mirari deſinat, (ſi quis erit, qui fortè mira-

bitur) quicunque me videbit affirmantem, ad noſtram in primis Neapolim pertinere, turmas illas fortiſſimorum Martyrum, qui Chromatio, Ariſtone, & Creſcentiano Ducibus, ex vrbe Roma, ad Campaniæ littora ſecederũt: & non multo poſt, in hoc ipſo Campano agro, pro Chriſto cæſi, Laborios Campos proprio ſanguine purpurarunt, ac fœcundarunt.

Res ad hunc ſe modum habuit. Cum Chromatius vrbis Præfectus, qui Beatum Sebaſtianum, eiuſque ſocios Chriſtianos primum inſectatus fuerat, diuina poſtea luce perfuſus, non ipſe ſolum, ſed etiam Tiburtius filius, ac de domo eius mille, & quadringenti ſerui, Chriſti baptiſmum ſuſcepiſſent, B. Caius Pontifex Maximus, ne tanta Chriſtianorum multitudo, perſecutoribus, qui Romæ potiſſimum, latebras omnes explorabant, eſſet expoſita, humanæque fragilitati conſulens, cum Chromatio medelæ gratia Cãpanum littus ex Imperatoris Reſcripto, petituro, eos omnes Roma abire iuſſit, & ſecedere ad oram Campaniæ littoralem. In Actis S. Caij nuper à Becillo editis, & annotationibus illuſtratis, hæc lego, *Occiſo Carino ad Margum, Maximo, & Aquilino Coſſ. tam immanis exorta eſt perſecutio, vt nulli quidquam, vel vendere, vel emere liceret, niſi paruis quibuſdam ſtatuis, eo in loco poſitis, vbi emendi gratia conueniendum eſſet, thura incenderet. Tum etiam, circa Inſulas, Vicos, & aquas, poſiti erant compulſores, qui neque molendi, neque aquas hauriendi poteſtatem facerent, niſi qui Idolis libaſſent. Itaque ex S. Caij Pontificis conſilio, Chromatius vir illuſtriſſimus, Chriſtianos omnes illos, qui nuper crediderant, in domum ſuam recepit. Cunctoſque ita fouit, vt nullus omninò ſacrificandi neceſſitate ſuccumberet. Verum, quia tanta perſecutionis extitit vis, vt opinio Chriſtianæ Religionis ab eo ſuſceptæ, celari iam non poſſet, meruit ex ſacro reſcripto Chromatius, vt medelæ gratia, in Campano littore, vbi lati ceſpitis erat Dominus, demoraretur. Fecitque copiam Chriſtianis omnibus, cum ipſo ire volentibus, & commigrandi, ad perſecutionis rabiem fugiendam.* Et poſt narratam Polycarpi, & Sebaſtiani piam contẽtionem, quiſnam in vrbe eſſet remanſurus, & quis cum Chromatio iturus, qui tam multos receperat Chriſtianos, Caij alloquium ſubdit ad omnes die Dominica in Chromatij domo habitum, cuius ea fuit concluſio. *Pergant, qui volunt vna cum filijs noſtris Chromatio, & Tiburtio: & mecum in hac vrbe, qui voluerint, remaneant. Non enim nos terrarum ſpatia diuidunt, quos Chriſti gratia nectit. Neque abſentiam veſtram ſentiunt oculi noſtri, quia interioris hominis, vos intuemur aſpectu.* Et poſt pauca. *Remanſerunt autem cum venerabili Papa, Marcellinus, & Marcus, & pater eorum vir clariſſimus Tranquillinus: itemque B. Sebaſtianus, & iuuenis corpore pulcherrimus ſed mente pulchrior, S. Tiburtius. Tumquoq; Nicoſtratus protoſcriniarius cum fratre ſuo Caſtorio, & coniuge Zoe. Et Claudius etiam cum fratre ſuo Victorino, & filio Symphoriano, qui fuerat ab hydropiſis morbo liberatus. Hi ſoli, reliquis omnibus cum Chromatio proficiſcentibus, in Vrbe cum Caio Pontifice remanſerunt.* Hactenus Acta S. Caij.

At Martyrologiorum ſcriptores, ad VI. Non. Iulij, horum martyrium memorantes, qui ad Campaniæ littora, vna cum Chromatio ſeceſſerunt, ex aliquo alio monumento, nomina illa Sanctorum excepiſſe videntur, quæ his Actis nequaquam ſunt ſcripta. Memorant enim Ariſtonem, Creſcentianum, Euthychianum, Vrbanum, Vitalem, Iuſtum, Feliciſſimum, Felicem, Martiam, & Symphoroſam in Campania ſub Diocletiano Imperatore martyrium paſſos. Immo etiam, Petrus Epiſcopus Equilinus, etſi non admodum antiquus ſcriptor, videtur proculdubio habuiſſe Acta exilij, ac necis B. Chromatij, & aliorum mille, & quadringentorum, qui cum ipſo, &

B.Po-

B. Polycarpo presbytero, ſub prætextu medelæ, hoc eſt, vt medicatas Cāpani littoris aquas experirentur, vrbe exceſſerunt, ſicut ſuperius dictum eſt. Narrat enim Equilinus (quamquam compendio, & ieiunè) Chromatium, aliosque iam dictos, à Diocletiano fuiſſe proſcriptione damnatos: eosque poſt longum tempus, martyrio coronatos. Ex eo autem Bzouius lib. 4. Hiſt. Eccleſ. figit horum martyrium ad annum Chriſti 304. his verbis. *Eodem tempore degebat Chromatius vrbi Præfectus, Sancti Tiburtij pater, qui recuperandæ ſanitatis deſiderio incenſus, Polycarpum presbyterum aduocans, ab eo in fide inſtructus, confractis idolis, vna cum filio, & familia, in qua ex vtroq; ſexu erant, ſex millia ſupra quadringenta, eſt baptizatus: ſtatimque integram ſanitatem recuperauit. Cum verò ob perſecutionis acerbitatem, amplius latere non poſset: nec domus ſua tantam neuerum Chriſtianorum, qui in dies conuertebantur, multitudinem capere poſſet, in Campaniam cum eis, qui ſe ſequi volebant, Caio Pontifice aſſentiente, ſeceſſit: exilioque ab Imperatore damnatus, ibi in pijs operibus, vitam ducens, ſancto fine quieuit.* Sic Bzouius. Idipſum, & aliquid amplius ſcribit in ſuo Martyrologio Maurolycus ad diem 11. Auguſti. Nam, poſt ſcriptum de Tiburtio elogium, ſubdit. *Item Chromatius Tiburtij pater, cum multis alijs, qui exilio, & inopia afflicti, ſub eadem Diocletiani perſecutione in Campania defecerunt. Qui à Sancto Sebaſtiano conuerſi, & à Polycarpo baptizati fuerant.* Addit autem Equilinus, horum natales dies, ignotos eſſe, ſed vndecima Auguſti de Chromatio mentionem fieri, quod ea die Tiburtius paſſus ſit martyrium: & in Martyrologio celebretur.

Iā verò videat ſincerus Lector, nihil prorſus obeſſe, quin nobis Neapolitanis, aſſerere poſſimus, & referre partem ſaltem aliquam tantæ multitudinis Martyrum. Primum enim, ſi rura quieta hi petierunt, profectò Cāpaniæ loca, Neapolitanum littus, & Neapolis ſuburbia, quiete fruebantur amœniſſima. Atque, hoc potiſſimum nomine lego laudatam fuiſſe Neapolim, non ſolum à Strabone, & Virgilio, qui Chriſtianæ perſecutionis tempora præceſſerunt, ſed etiam à Papinio Statio noſtro, qui Neronis, & Domitiani, fors, & Traiani vixit ætate. Nam Claudiam vxorem, Neapolim inuitans hoc modo canit Sylu. 3.

*Noſtra quoque, & proprijs tenuis, nec rara colonis*
*Parthenope, cui mite ſolum, trans æquora vecta*
*Ipſa Dionea monſtrauit Apollo columba.*
*Has ego te ſedes (nam nec mihi Barbara Thrace,*
*Nec Lybia natale ſolum) transferre laboro.*
*Quas & mollis hyems, & frigida temperat æſtas.*
*Quas imbelle fretum, torpentibus alluit vndis.*
*Pax ſecura locis, & deſidis otia vitæ,*
*Et nunquam turbata quies, ſomnique peracti*
*Nulla foro rabies.* Et alia pluſcula concinnat in hanc ſententiam. Præſtat autem D. Ambroſij verba audire ad Seuerum Epiſcopum Neapolitanum ſcribentem lib. 7. epiſt. 57. *Ex vltimo Perſides profectus ſinu, Iacobus frater, & compresbyter noſter, Campaniæ ſibi ad requieſcendum littora, & veſtras elegit amœnitates.* Vides, vt Neapolitanum ſeceſſum laudet Ambroſius, prædicetque à tumultibus tutum? Nec enim ceſſauerat Ambroſij tempore perſecutio Chriſtianorum. Nàm, poſt pacem à Magno Conſtantino diuinitus prebitam, ſucceſſere in manes illi Catholicorum vexatores, Conſtantius, Iulianus, Valens, & (ſuo Ambroſij æuo) iniuſtiſſima illa Iuſtina, Maximinus,

minus,

minus, Eugeniuſquc tyranni. Qui cum Italiam fermè totam, vario turbine concuterent, Neapolis tamen, & Campana ſeceſſio, tuta propemodum, & tranquilla, Ambroſio viſa fuit, ideoque & elogio illo celebrata. Quamquam igitur Diocletiani immanitas, Romani Orbis Regiones omnes, vltimis maximè eius annis penetraſſet, Neapolis tamen aliquanto quietior locis Romæ vicinis viſa eſt. Ac proinde nonniſi poſt longum tempus, vt Equilinus refert, B.Chromatius, eiuſque in hoc exilio ſocij, martyrium ſubierunt.

Conſidera obiter, Lector, hos Chriſtianos viros, thermas ſalubres, quas Statius ſcitè appellat *Lacus Medicos* petiuiſſe. Hoc quippe prætextu V. C. Vrbi Præfectus Chromatius, copiam vrbe eum ſua familia commigrandi, ſacro Cæſarum Reſcripto obtinuerat. Inde vero etſi Baiana, & Puteolana balnea deſignari videantur, non tamen excludendæ, aut prætereũdæ ſunt, quæ Neapoli erant thermæ, Strabone teſte, Baianis neutiquam concedentes. *Habet* Neapolis *etiam*, inquit, lib. 5. *calidarum aquarum ſcaturigines, & balneorum apparatus, Baianis non deteriores*. Porrò, quo loco extiterint haud ſatis liquet. Nam ab Oriente ad Veſuuij radices erupiſſe aquas calidas, Lucret. lib. 6. his verſiculis tradit.

*Qualis apud Cumas locus eſt, montemque Veſeuum,*
*Pompei calidis, vbi fumant fontibus auctas.*

Sic enim, priore Lucretij editione Lambinus probè legit hos verſus, quos, me iudice, immeritò in alteros demutauit. Lucretio ſubſcribit Dio Nicæus in Tito. *Veſuuius*, inquiens, *mari imminens, propè Neapolim extat, fonteſque habet perennes*. Potui ſcilicet, &, curandis quoque morbis, ex eo, quod *calidi* ſint, idoneos. Permeat namque eius oræ viſcera, abſconditus ignis, vt proinde Phlegreos inde campos vocarit antiquitas, Polyb. lib. 3. Plinius lib. 8. c. 11. ἀπὸ τοῦ φλέγειν, quòd, vti Dalecampius ad Plinium notat, toto illo tractu paſſim ignis ineſſet: & tamquam accenſo ſub terris ſulphure, ea regio deflagret. Occidentale etiam Neapolis latus, ſcaturijſſe olim aquas, ſcripſit Pontan. lib. 6. de Bello Neapolitano his verbis. *Ipſius quoque ad collis ima, fontes tum manabant ſcatebroſis ſub rupibus, qui nunc, etſi paucioribus locis, in ipſa tamen maris ora, ſubter ædificia defluentes ſcaturiunt.* Voluere aliqui, locum, qui hodie, corrupto vocabulo, appellatur *Chiatamone*, ſed vero *Platamone* antrum fuiſſe, vbi ſalubres aquæ diffluebant. Quibus non aſſentior πλάταμων enim, licet foſſam aquis plenam prope littus ſignificet, ſeu latiſſimas lapides ad mare exundantes aquis, aut læuigatam petram, nullatenus tamen ea vox vſurpata fuit, ad aquas medicas ſignificandas, ſeu pro conceptaculo aquæ medicæ, & non ſalſæ marinæ. Nec vllus vnquam dixit, è rupe illa tophacea, quæ hodieque viſitur; promanaſſe olim has ſalutares vndas, plenam; latamque lapidum ſuperficiem operientes. Aquas itaque illic fuiſſe, affirmo quidem, at eas ſalutares fuiſſe non audeo affirmare. Qualeſquales tamen fuerint, perijſſe nihil mirum. Nam, & quæ Surrenti erant his oppido ſimiles, periere, ſola illarum memoria Statio cantante, relicta, carm. ad Pollionem.

*Curui tu litteris ora*
*Clauſiſti, calidas gemina teſtudine Syraphas.*

Vtras aquas adierint Chromatius, & ſocij, Orientales ne, an Occidẽtales, incertum apud me eſt, nullo veterum monumentorum extante ſubſidio. Vero tamen videtur propius, ad Orientalem potius plagam ſeceſſiſſe.

Interlu-

Interlucet enim in his antiquitatis tenebris, haud prorſus contemnenda coniectura, à vetere vocabulo, quamquam, vt fit, luxato, deſumpta. Extat quippe eo loci Pagus, quem *Sancti Georgij ad Comanum*, vulgus appellat. Id autem cognomentum, cum dici nequeat, à crematis Veſuuij eruptione lapidibus, eſſe deriuatum (nulla enim ante poſtremum incēdium anni 1631. extabant igneæ illæ cladis veſtigia, ſed bene in vlteriore littoris plaga) reſtat ſuſpicioni locus, Pagum ita vocatum, quòd ibi olim extiterit ea Chromatij villa, ad quam Chriſtianorum beatæ illæ turmæ, D. Caio monente, vti dictum eſt, *medela gratia* ſeceſſerunt.

Habet nunc Sueſſana Eccleſia, horum ſanctorum aliquot corpora. Inde verò nemo, vt puto, iure colligere poterit, mille illos, & quadringentos viros, omnes in agro Sueſſano conſediſſe, & omnes inibi mortem oppetijſſe. Celebritas quippe loci, thermæque ſalutares, & vox ipſa *Chromatius* planè exigunt, vt ſi quis hoc ſerio perpendat, exiſtimet partem ſaltem aliquam tot Sanctorum, Neapoli, vel propè Neapolim conſediſſe, ac vitam ærumnis confectam inibi in Chriſti confeſſione, cum martyrij laurea conſumaſſe.

# DE S.MAXIMI LEVITAE MARTYRIO;

## Cumana Ciuitate, Sybillis, & Eculeo.

### CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

CVMÆ Sybillino antro, & tripode celebres, Maximo Leuita, poſt eculeum, vngulas, ardentes laminas, aliaque tormenta tolerata, capite pro Chriſti fide truncato, magis, magiſque clareſcunt. Incidit fortiſſimi huius athletæ paſſio, anno Chriſti CCXCVIII. vti ex eius Actis licet colligere: in quibus legitur. *Paſſus eſt autem Beatiſsimus Martyr* 3. Kal. Octob. *poſt cuius obitum, quindecim ferè per annos, Chriſtianorum infeſtatio manſit. Tum, vbi pax Chriſti* Eccleſia *reſtituta eſt, apparuit idem Martyr*, &c. Hæc quippe verba, deſignant annum Chriſti 312. quo videlicet Maximinus in Oriẽte, belli, & morbi cladibus conſternatus, deſijt Chriſtianos vexare. Euſeb. lib. 9. cap. 7. Et in Occidente Conſtantinus, deuicto Maxentio, edicta promulgauit pro Chriſtianis, & bonorum ipſorum reſtitutione. Euſeb. lib. 10. cap. 1. Socrates lib. 1. c. 1. Sozomen. Eutrop. & alij.

Nobis, antequam Martyris huius agonem, vtpote in cuius beata pignora in Cathedrali hac Eccleſia conſeruantur, narremus, aliqua ſunt de eius patria diſcutienda: & poſt hoc, de eculeo atrociori ipſius tormento, nonnulla differenda, hoc propemodum ordine.

*Sect. I. Sitne Cumana Ciuitas, omnium Italicarum Vrbium antiquiſſima.*

*Sect. II. Cumanæ Eccleſiæ Antiquitas, & Dignitas.*

*Sect. III. De Sybillarum Nominibus, Spiritu, Numero, & Aetate.*

*Sect. IV. S. Maximi Martyrium per anacephaleoſim traditur, & eiuſdem Neapolim translatio.*

*Sect. V. Eculeum, vno tantum ſtipite conſtitiſſe, non pluribus.*

*Sect. VI. Cataſtæ, & Eculei differentia.*

## *Sitne Cumana Ciuitas omnium Italicarum Vrbium antiquiſsima.*
## *Sect. I.*

CVmæ Ciuitas, ſiue, vt Statius noſter ad Græcam formam extulit, Cymæ, ſi originem eius inquiramus, paulò ante Parthenopem ab Hyppocle Cumæo, & Megaſthene Chalcidēſe ædificata eſt, ann. Orbis conditi 3004. A Troia exciſa 130. quæ certè primordia, etſi valdè antiqua ſint; nequaquam tamen eam Vrbem ideo παλαιότατον Strabo vocat lib. 5. quòd omnibus Italicis, Siculis, Græciſque, colonijs deductis, vti Capacius cenſet, antiquitate antecelleret. Nam, in promptu adſunt plures Italiæ Vrbes, Cumis antiquiores. Vt Cimmeriū Cumis ipſis propinquum Campaniæ Oppidum, quod Sybillæ Cumeæ, ad quam Æneas diuertit, fuiſſe patriam, Varro tradit: atque adeò multò vetuſtius Cumis, quæ à Troiæ excidio, & Æneæ ab ea diſceſſu ann. 131. vt dudum dictum eſt, extructæ ſunt. Prætereà, antiquior eſt Sibaris ab Achiuis ædificata: qui paulò poſt Troiæ excidium, vi tempeſtatis, eò fuerunt appulſi. Steph. de Vrbibus. Itē Caieta, quæ ab Æneæ nutrice nomen ſumpſit. Solin. & Virgil. Tum Sulmo, à Soſimo Æneæ comite. Ouid. 4. Faſtor. Necnon Lauinium, Albanorum Metropolis, à Lauinia Æneæ vxore dictum, conditumque ab Æneæ ſocijs, Dionyſ. Antiq. 1. Denique Laurentum multò ante Æneam, ac Troianum excidium, à Pico Rege conditum memorat Priſcian. Idque patet ex Liuio, Solino, & Dionyſio: qui referunt, Æneam in agro Laurenti poſuiſſe caſtra. Omnes itaque Vrbes iſtæ, ſeù Oppida, vel ante tempora Troiani excidij, vel paulò poſt, extructa, palàm eſt, multò antiquius Cumis Campanis habuiſſe principium.

Adhuc tamen, ob huius Vrbis antiquitatem factum fuit, vt ea Romæ ſubdita non fuerit, niſi poſtquam Imperatores Orbem fermè totum ſubiugārunt. Hinc Tarquinius ſuperbus Romæ pulſus, Cumas ſe recepit: vtpotè in liberam, ac tutam ciuitatem, ibique reliquum vitæ ſuæ tempus exegit.

## *Eccleſia Cumana Antiquitas, & Dignitas.*
## *Sect. II.*

SI vera eſſent, quæ ex vulgi dictis narrat Stephanus Viuandus Pighius in Hercule Prodicio fol. mihi 512. & ex Poetarum dictis, maxima eſſet Cumanæ ciuitatis dignitas. Audiamus eum ſic loquentē. *Haret adhuc opinio nunc temporis apud Campanos, & vulgus imperitum, ab Auerno, vel inferis, iſthac Chriſtum ſeruatorem noſtrum, morte per mortem domita, retuliſſe ſpolia opima, Sanctorumque Patrum animas ex infernis carceribus extractas, per montem Auerno, & nouo monti vicinum traduxiſſe, qui propterea Chriſti mons nūc etiam appellatur. Suffragantur huic opinioni veteres item Poeta quidam de balneis Puteolanis ſcribentes, vt Alcadmus.*

*Eſt locus, effregit, quo portas Chriſtus Auerni,*
*Et ſanctos traxit lucidus inde Patres.*

Item Euſtaſius quidam.

*Eſt locus auſtralis, quo portam Chriſtus Auerni*
*Fregit, & eduxit mortuos inde ſuos.*

Sed fabuloſa ſunt iſta. Aliunde itaque Cumanæ Eccleſiæ Antiquitas inueſtiganda eſt.

Eam certè arguunt Epiſcopi, Maxentius, qui Diocletiano Imperatore, & Caio Pontifice, eam rexiſſe legitur in Actis Sancti Maximi Leuitæ. Et Adeodatus in Concilio Romano ſub Hilaro Papa celebrato ſubſcribẽs cum Sotere Neapolitano, & Tiburtio Capuano Epiſcopis. Ac præterea Sanctæ Iulianæ Virginis ſacrum corpus, ab vſque Nicomedia, non multò poſt eius martyrium, quod anno Chriſti 290. contigit, eo translatum. Talis quippe in eam potiſſimum Vrbem ſacrorum lipſanorum tranſlatio, fuiſſe iam tũ Chriſtianis ipsũ refertã, nõ obſcurè ſignificat. Quocirca, haud prorſus abſimile verò quis dixerit, Paulum Apoſtolum, cum Puteolis fuit, Cumas etiam proximam, & celebrem ciuitatem, Fidei Chriſtianæ rudimentis inſtituiſſe. Eam certè vrbem, ſecundo Chriſti ſæculo, Iuſtinus presbyter, & martyr inuiſit: antiquum Sybillini oraculi antrum, Templum, aliaque vetuſtatis veſtigia admiratus: vti cap. 9. diximus.

Sanè verò, quædam Chriſtianæ Religionis præludia Cumis emicuiſſe videntur, cum ibi Sybillæ, tam diſertè partum æterni Regis è Virgine, & felicia Chriſti ſæcula ſit vaticinata. Sed de hoc ſectione ſequenti.

## *De Sybillarum Nominibus, Spiritu, Numero, & Aetate.* Sect. III.

CVmanam Vatem, aliaſque Symmiſtas, quamquam Ariſtotel. ſect. 3. Problem. atra bile, Hilarius verò 1. Cor. 2. dœmone agitatas opinentur, id certè de Pythoniſſis, alijſque id genus bacchantibus fœminis, intelligendi ſunt pronunciaſſe. Nam Sybillas, Deo extitiſſe plenas, non ſolùm Iuſtinus Martyr exhort. ad gentes, Auguſtin. lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 23. & in epiſt. ad Roman. Hieron. contra Iouinian. Lactant. lib. 1. Diuinar. inſtitut. Metaphraſt. in vita S. Catherinæ Virgin. & Martyris. Sed ipſe etiam Conſtantinus Imperator in Orat. ad Sanctor. cœt. cap. 18. beatas vocant. *Quam* inquit hic *Beatam Vatem, ad diuinandum, de ſua in nos prouidentia delegit.* Immò Ethnicus ille Philoſophus Heraclitus apud Clement. 1. Stromat. aſſerebat, eas non humanitus, ſed *diuinitus*, hoc eſt, Deo mandante, apparuiſſe mortalibus. Vti Baronius refert in Apparatu Annal.

Quo circa, non aſſentior Delrio, qui tomo 2. Diſquiſ. magicar. cap. 2. §. 6. ſect. 1. ait, communiore ſententia, Sybillas cenſeri dœmone poſſeſſas, & ſola vaticinatione, ab energumenis diſtinctas. Quod quidem, ſi de pſeudoſybillis quibuſdam, ſiue, vt alij vocant, Nymphis albis, Ancouitana, Nurſina, Kempienſi, Brabantina, & huiuſmodi alijs intelligit, de quarum præſtigijs ipſemet egerat, tom. 1. quæſt. 27. ſect. 2. verum quidem erit. Sin autem de antiquis loquitur, veriſque Sybillis, quas Lactantius, Auguſtinus, alijque iam laudati, commemorant, falſum omninò id ego cenſeo. Quomodo enim, dœmone poſſeſſas arbitrabimur, quas cognomen ipſum, Deo fuiſſe plenas oſtendit? Seruius certè in 4. Æneid. & Lactantius 1. Diuinar. Inſtitut. ex Varrone dicunt, Sybillam, ſiue Sybullam nominatam eſſe, quaſi, *Dei conſilium*. Nam Æoles σιὸς Deos vocant. & βουλὴν. Quocirca D. Hie-

D.Hieron.1.contra Iouinian. *Quod ſi,ait, Aeolici generе ſermonis* Sybilla *θεοβυλη appellatur,rectè conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe virginitas.* Auguſtinus verò,tantus Eccleſiæ Doctor, de noſtra Sybilla Cumana concludit, eam ad ciuitatem Dei pertinere. *Hac autem Sybilla,*inquit,*ſiue Erythraa,ſiue,vt quidam magis credunt,Cumana,ita nihil habet in toto carmine ſuo,quod ad Deorum falſorum,ſiue factorum cultum pertineat:quinimmò ita contra eos,& contra cultores eorum loquitur,vt in eorum numerum deputanda videatur, qui pertinent ad Ciuitatem Dei.* Diuino itaque afflata ſpiritu Cumana Sybilla, quæ Chriſtianæ religionis myſteria ſexcentis,& eo amplius annis ante Chriſti aduentum, vaticinata eſt,Cumanam ſanè vrbem, atque Campaniam totam,ad Chriſtianam legem amplectẽdam diſpoſuiſſe,Chriſtoque Deo, quodammodo dedicaſſe videtur.

De hac Cumana Sybilla,tria profero. Primum,eandem fuiſſe Sybillam Cumanã,& Cumæam.Secundum,eandem eſſe,quæ belli Troiani ſata cecinit:& quæ Tarquinio Regi Romanorum,libros venales obtulit. Tertium,hãc porrò fuiſſe olim apud Chriſtianos celeberrimam:vtpotè, quam omnia propemodum, aut certè potiora Chriſtianæ Religionis myſteria, vaticinijs ſuis cernerent eſſe complexam.

Primum ſic oſtendo. Non eo quidem in illorum ſententiam, quos tacitis nominibus Onuphrius Panuinius libello de Sybillinis oraculis produxit in aciem: Opinantium ſcilicet, vnicam tantummodo in Orbe terrarum extitiſſe Sybillam. Ea enim opinio,mihi videtur prorſus improbabilis. Qui enim Cumana, Delphica,Helleſpontiaca,Tyburtina,Samia,Erithræa, Lybica, Perſica, in vnam compingi poterunt vatem,tot diuerſis regionibus, ac temporibus natæ,atque diſtractæ?Ideo id ego non probo. Et meam nihilominus ſententiam ſic explico, vt multò eas pauciores fuiſſe arbitrer,quam quæ vulgò feruntur. Hactenus quippe,multi, ijque ferè recentiores,decẽ eas fuiſſe crediderunt. Verumtamen ego ex ijs decẽ, quas numerant,nominibus illas tantum inter ſe diſſidere, cœtera conuenire cẽſeo:idque his argumentis,& veterum Auctorum placitis oſtendo. In primis,quam Erythræam vocant,eam Cumanam faciunt Ariſtotel.lib.de naturæ miracul. & Marcianus Capella de nupt. philolog. Rurſus hanc eandem Cumanam,Virgil.Eclog.4.Cumæam indigetat, cum ait. *Vltima Cumai venit iam carminis ætas.* Tempus ſcilicet, quo per vaticinium, Romanarum rerum euentus,ſiue (vt nos verius) Chriſti in Orbem aduentus, & Chriſtianæ Religionis progreſſus præſignificabatur. Porrò,illam etiam, quam Phrigiam Lactantius,& Varro dicunt,Marcianus Capella,eandem cum Cumana eſſe iudicauit.Præterea Iuſtinus Martyr,qui Cumis fuit,Cumanam appellat,eam Sybillam,quam Nicanor,Perſicam,& Iuſtinus ipſe, Chaldæam vocat,eamque ex Babylone Cumas profectam tradit. Quin etiam,Amalthæam,& Cumanam,eandem fecit ex Varrone Lactantius: vt benè Muret.in 2.lib.Tibulli obſeruat. Habemus itaque, Perſicam,Chaldæam,Phrygiam,Erithræam,Cumæam,& Cumanam, fuiſſe vnam, eandẽque Sybillam. Vocatam etiam,teſte Suida,Heriphilem, ſiue, vt Marcianus habet,Herophilem. Nam,quod Virgilius Deiphobem eam vocet,id,puto, non proprium nomen eſſe,ſed cognomen. Nempe,quòd Deo Phœbo afflatam fuiſſe,eo vocabulo voluerit declarare. Et Marcianus quidem Capella, qui duas tantum Sybillas extitiſſe cenſuit, mihi certè fatere dignoſcitur. Quamquam enim ego, non duas tantummodo,ſed fortaſſe plures

opiner, illud tamen Marciani placitum ſequor, complura Sybillarum vocabula, vni eidemque vati, facilè attribui poſſe.

Neque ab hac ſententia, me porrò dimouet, quod varijs locis, temporibuſque vaticinatæ legantur. Quippequi, ex Seruio, alijſque didicerim, eam Vatem, quæ in Inſula Erithra orta eſt, vocatam fuiſſe Erithræam. Eãdemque, quòd inde Cumas poſtea profecta ſit, appellatam Cumæam. Immò eadem cauſa, Phrygiam, Perſicam, & Chaldæam dictam eſſe exiſtimãt: quòd antequam Cumas acceſſerit, in omnibus ijs regionibus, vaticinia fuderit ſua. Vixit enim tam longo tempore, tamque longo ſæculorum decurſu, vt eas etiam regiones, diu inhabitare potuerit: quippe cui immenſam penè ætatem veteres ſcriptores tribuerint. Itaque mirum videri non debet, eam mox ab excidio Troiano, vel etiam, vt alij quidam exiſtimant, antè excidium illud natam, ad Priſci Tarquinij, ſiue ad L. Tarquinij tempora perueniſſe: hoc eſt, pluſquam trecentos annos, Deo Vatem ſuam conſeruãte, peregiſſe. In quam profectò ſententiam Seruius in *6. Æneid.* eos iuiſſe tradit, qui libros illos fatidicos, Romam delatos, Cumanæ Sybillæ, quæ Æneæ locuta eſt, fuiſſe exiſtimarunt. Sanè verò inter recentiores eruditos viros, qui idipſum cenſuere, adnumerandus eſt Philippus Beroaldus. Is etenim explanans illud Propertij lib. 4. *Auernalis cortina Sybillæ*, diſertè docet, Cumanæ Sybillæ, quæ de Romano Imperio vaticinium Æneæ dedit, fuiſſe libros illos, Fata Romana continentes, quos Decemuiri adire ſolebant, cum in rebus arduis, quid opus facto eſſet, noſſe cuperent. Scimus autem, hos libros à Decemuiris cuſtoditos, fuiſſe à Sybilla prebitos, venditoſque Tarquinio Regi. Itaque Beroaldus, tantam longæuitatem dedit Cumanæ Vati, quantum temporis eſt, ab Æneæ aduentu, ad priſcos Reges. Hoc eſt dictu, circiter quingentos ſexaginta annos. Id longiſſimum ætatis ſpatium, cum penè incredibile videretur, vni fœminæ potuiſſe contingere, in cauſa fuit, vt opinor, cur Acroſtichos de Chriſto verſus, quidam Sybillæ Ærithreæ, quæ Rege Romulo, vel vt alij tradunt, belli Troiani tempore vaticinata eſt, nonnulli verò Cumanæ, Auguſtino teſte lib. 18. de Ciuit. Dei. cap. 23. tribuerint. Sed enim, ij quanquam diuerſa ſenſiſſe videantur, in vnam tamen, eandemque ſententiam facilè adduci poſſunt. Quòd videlicet, vna, eademque Sybilla, à bello Troiano vſque ad Romulum: ſiue etiã vſque ad Tarquinios, ſuperſtes eſſe quiuerit. Nam, & Virgilius *6. Æneid.* verſ. 321. & *628.* Sybillam hanc Cumæam, *Longæuam Sacerdotem* appellat. Propertius quoque lib. 2. Eleg. 24. Sybillæ ætatem, pro quantumuis longa, Adagij inſtar poſuit.

*At me, non ætas mutabit tota Sybillæ.* Et eleg. 2.
*Hanc vtinam formam nolit mutare ſenectus,*
*Etſi Cumæa ſæcula Vatis agat.*

Quin & ipſamet Sybilla, ſua de ætate loquens, apud Ouid. 14. Metamorph. mille propemodum vitæ annos ſibi promittere non eſt verita.

*Innuba permaneo, ſed iam felicior ætas,*
*Terga dedit, tremuloque gradu, venit ægra ſenectus:*
*Quæ patienda diu eſt: nam iam mihi ſæcula ſeptem,*
*Acta vides: ſupereſt, numero vt pulueris æquem,*
*Ter centum meſſes, tercentum muſta videre.*

Ne verò quis, figmentum id eſſe poetarum ſuſpicetur, meminerit, adeo illud fuiſſe certum olim apud omnes, vt Prouerbio locum fecerit, *Sybilla viuacior.*

*uacior*. Et quidem cum legamus, & credamus, Neſtorem vixiſſe trecentos totos annos:& Patrum noſtrorum ætate, Ioannem Stampis, alias de Temporibus,trecenta ſexaginta annorum curricula peregiſſe,nempè à tempore Caroli M. cuius ipſe erat armiger, vſque ad Ludouicum iuniorem: vti Faſciculus temporum,& Genebrard.in Cœleſtino 2.ſeu anno 1138. teſtãtur: & plures alios longiſſimo tempore: cuinam deinceps incredibile ſit, Vatem hanc Cumanam,Gentilibus inſtruendis, prouidentia Numinis datam, complura exegiſſe ſæcula, quò diuturnius, ac ſpectatius, de Chriſto Rege venturo,ab ea teſtimonium redderetur?

Poſtremum denique, quod propoſui, nempe, permulta Chriſtianæ Religionis myſteria,à Sybillis fuiſſe prædicta, id quidem fusè narratum, habes apud Lactantium,Auguſtinum,Sozomenum, & præcipuè apud Euſeb.Conſtantini M.verba referentem in Oration. ad cœtum Sanctorum. Quos,quia paſſim proſtant,& longiuſculi ſunt,piguit me breuitati ſtudentem exſcribere.Illud interea,quòd breue ſit,haud præteribo.Non eſſe aliter fabulam, ſed veram, certamque hiſtoriam, quamquam à pædotribis quibuſdam impiè irriſam, narrationem illam, quam Conradus in lib.1. Æneid.& alij quoque commemorant. De Secundino videlicet pictore,& Marcelliano Oratore, ex lectione Sybillinorum carminum, apud Virgil. Eclog.4.ad Chriſtianam Religionem,mirè conuerſis. Ea enim hiſtoria legitur in Actis iam dictorum Martyrum,tomo 4.Surij. Vt,vel ex hoc certè euentu colligi poſſit,ob id voluiſſe Deum, res Chriſtianas à Sybillis prædici,vt idolatræ Ethnici,ad Euangelicam legem facilius allicerentur.

## S.*Maximi Martyrium per anacephaleoſim traditur: eiuſque Neapolim Tranſlatio.*

### *Sect.* I*V.*

Codex M.S.noſtræ Bibliothecæ SS.Apoſtolorum,paſſionem Sancti Maximi enarrans,nullum prodit auctorem. Exiſtimo tamen ego, hunc fuiſſe Petrum Neapolitanæ Eccleſiæ Subdiaconum, qui & Tranſlationem eius,ac Sanctæ Iulianæ Virginis, ex Ciuitate Cumana in hanc noſtram dicitur ſcripſiſſe. Potuit ergo ipſe,ex breuibus Actis Notariorum,hanc hiſtoriam fuſius ſcribere.Nos eam ſummatim, & per facta tantùm,lectori tradimus.

Feruente Diocletiani edicto contra Chriſtianos, miſſus eſt Cumas Fabianus Præſes: qui acceſito Maximo, incaſſum conatur ad idolorum cultum eum trahere. Ideo Maximus plumbatis ceditur, vt inter ea ſpiritum exhalet. Fatigantur in cedendo miniſtri:at ipſe hilareſcit. Conſtringitur in neruo, donec Præſes, luſtrata Prouincia redeat. Decem ibi dies moratur,abſque potu,& cibo. Aperiente ianuas Angelo, illuminatur carcer,ac ſua,& aliorum ibi detentorum vincula ſoluuntur.Orat,vt Sacerdotis detur copia,qui illos baptizet. Maxentius Epiſcopus,qui ob perſecutionis rabiem latitabat,per viſum admonitus,ad carceris fores accurrit, & ducentos ferè ibi detentos,Chriſto regenerat.Ob iſtorum conuerſionẽ, actus in rabiem Præſes,ſæuius in Maximum recrudeſcit. Iubetur ſuper ardentes prunas nudis pedibus ambulare:& ambulat innocuus. Magicis artibus omnia tribuit Præſes. Suſpenditur in eculeo, vt membratim totus

ſcinda-

ſcindatur. Suſpenſo apparet Dominus, ad conſtantiam illum roborans. Magiæ maculam abolere ſtudet, oblata interrogatione infantis loqui neſcij, qui reſpondeat, in cuius ea virtute fiant. Inuentus caſu puer trimeſtris, reſpondet, In Dei virtute cuncta fieri, qui etiam Præſidem ad veræ fidei cognitionem adhortatur. Orto in populo murmure, tenellus puer articulatim retortus, ab Ipſomet Præſide ſæuiſſimè interficitur: ſed ab exultabunda matre tumulatus. Suſpenditur iterum Maximus, capite deorſum, interim pſallens. Veniunt ad illudendum ei, decem & octo milites, ſed illuminati à Deo, baptiſmi aqua renouantur: qui decollari iubentur, eorumque cadauera feris, & auibus tradi, illæſa tamen, & à Chriſtianis poſtea, odore fragrantia, tradita ſepulturæ. In Maximum excandeſcit Præſes, iubetque lãpadibus latera eius aduri: ſed flamma in miniſtros conuerſa, multi ex ijs Chriſto nomen dederunt. Non mouetur à ſua conſtantia propter dignitates, & diuitias oblatas. Flagellatur, adeo vt riui cruoris eius terram impleant. Capite tandem cęditur, & ecce tonitrua, ac terræmotus, omnium corda percellens. Sepelitur in via Caballina, ad duo ferè milliaria extra Cumas. Poſt eius obitum, quindecim ferè per annos Chriſtianorum infeſtatio manſit. Tum vbi pax eſt Chriſti Eccleſiæ reſtituta, apparuit cuidam fœminæ nomine Iulianæ, locum indigetãs, vbi tumulatus, iubetque inde in decentiorẽ locum ſe trãsferri. Quod mox Clerici, & vniuerſus populus exequuntur, tota integrum habitudine corpus ſanctiſſimum reperientes, & miracula ab illo patrata, demirantes.

Alia ſequitur narratio, eiuſdem Petri Subdiaconi, vt arbitror, de Cumanæ Ciuitatis excidio, cuius hoc eſt initium. *Anno igitur ab Incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo ſeptimo V. Kal. Martij 10. Indictione. Cum ciuitas Cumana, quæ propter habitantium malitiam, ciuitatis nomen amiſerat, & latrocinãtium locus, & malorum omnium ſentina effecta, &c.* Vbi Dei Omnipotentis ira, ſuper eam, deſcribitur, atq; cõcluditur. *Et ſic locus ipſe, qui tanto tempore ſcandali materia fuerat, & malitiæ cauſa, dirutus eſt per Dei gratiam, penitus, & euerſus, dignam ſuæ iniquitatis recipiens vltionem.* Ac de ſanctarum reliquiarum Maximi, & Iulianæ ad Monaſterium Neapolis Sanctæ Mariæ Domnæ Aromatæ, longiſſima inſtituitur narratio. Capacius lib. 2. Hiſt. Neapolit. nonnulla de hac Tranſlatione tradit. Id vnum nobis eſt adnotandum: eam ſub Anſelmo Archiepiſcopo Neapolitano contigiſſe. Ac pretioſa fortiſſimi huius athletæ pignora, in cathedrali Neapolitana religioſiſſimè condita eſſe.

## *Eculeum vno tantum ſtipite conſtitiſſe, non pluribus. Sect. V.*

FRequens eſt eculei mentio in Actis SS. Martyrum. Quoniam autem nunc primùm, eius mentio incidit, occaſione Sancti Maximi, qui vngulis excarnificatus, in eo fuit ſuſpenſus, de eiuſmodi tormenti genere explicatè, ac diligenter, nobis tractandum eſt. Quamquam enim id olim triſtiſſimum, notiſſimumque fuerit, hodie tamen, adeo deſuetum, atque obſcurum eſt, ſiue, (quod crebrò accidit) adeo varijs opinionibus, ceu nubibus obſcuratum, vt, licet de eo, quamplurimi, iique doctiſſimi viri ſcripſerint, nihilominus (ſi dicere fas eſt) vix quiſquam ad veri ſcopum profectò collineaſſe dicendus eſt. Conabor igitur poſt Beroaldum, Sigonium, Baro-

Baronium,Bozium,Gallonium,Cardulum,Magium,Hungarũ, Meurſium, & alios,atque alios,meam hoc loco proferre ſententiam:eaque confirmata,oppoſitam,ſolidis,ni fallor,rationibus infringere.

Sed prius monebo,ſolenne olim fuiſſe,eculeo extenſos deradere vngulis,& ardentibus laminis vſtulare.Quocirca Tertull. Apologet.cap.12. cum dixiſſet.*Crucibus,& ſtipitibus*,hoc eſt eculeis *impoſitis* Chriſtianos,mox ſubdit.*Vngulis deraditis latera Chriſtianorum.* Erant vngulæ,vt Pamelius De lapſis interpretatur,velut pecten ferreus. Prudentius verò eas vocat,*mucronem biulcum.*Nam in Romano,ſic loquitur Tyrannus.

*Scindunt vtrumque milites teterrimi*
*Mucrone biulco,penſilis latus viri.*
*Sulcant per artus longa tractim vulnera,*
*Obliqua rectis,recta tranſuerſis ſecant.*
*Etiam retectis,pectus albet oſſibus.*

Hinc apud eundem Prudent. eodem hymno, *euiſcerandum corpus eculeo*, dicitur.

Laminarum autem ardentium apud Cyprian. mentio eſt. lib.De laudib.martyr.vbi air.*Hoc verò quòd eculeo corpus extenſum,candentes ſtridet ad laminas,non exempti ſanguinis,ſed tentationis eſt cauſa.* Quin & Cicero huc facit Inuect.7.in Verr. Nam de extenſo,tortoque in eculeo loquitur, cum inquit, *Quid,cum ignis,ardenteſque laminæ,cæterique cruciatus admittebantur*? Sed in re clara,hæc ſatis ſit adduxiſſe.

Eculeum itaque, hoc eſt,

*Vita tyrannum,belluonem funerum,*
*Sacerrumam generis humani luem.*

vno tantum ſtipite conſtitiſſe, non pluribus intelligo. Vnicum inquam,& validum ſtipitem erectum. Siue, vt Tertullian.loquitur Apologet.cap.16. *Erecta ſtatione defixum*,& trochleatum,ad quem,manibus, pedibuſque vinctum hominis corpus,ſurſum,ac deorſum diſtendebatur, tortoris arbitrio. Figuram hic habes.



Hanc deſcriptionem, ab Euſebio, ſeu verius à Philea Martyre apud Euſebium, cruciatus Martyrum lib. 8. cap. 16. narrante, deſumpſi. Quo quidem viro, in hac maximè re, quam ſuis ipſe oculis ſæpè vſurpauit, nemo ſanè locupletior, certiorque teſtis proferri poteſt. Phileas itaque, rem exequitur, vt non aliud tortorium inſtrumentum, niſi hunc, de quo loquimur, eculeum, ipſo Baronio teſte, eo loco deſcribere certum ſit. *Quidam, ait, primum manibus à tergo religatis, ligno appenſi, & machinis quibuſdam, membra eorum vniuerſa diſtincta, diſtractaque*. Operæ pretium profectò erit, hæc verba perpendere. *Primum*, inquit, *ligno appenſi*. Singulari vtique, & vnico, non autem pluribus, in vnius inſtrumenti compoſitionem compactis: vt recentiores effotmant. Eodem quippè modo, & Plaut. Aſin. 2. trabem appellat: & Pruden. periſteph. 1. *noxialem ſtipitem*. Et Paulin. lib. 5. de vit. S. Martin. *Porrecti robora ligni*. Et Sozomen. Eccleſ. hiſtor. lib. 5. cap. 9. *tortorium lignum*. Acta inſuper S. Blaſij ſic loquuntur. *Iuſsit eū in ligno ſuſpendi*. Itē in paſſione S. Valeriani. *Præſes ſtipiti appenſum Sanctum Martyrē, vnguibus iuſsit ferreis laniari*. In

Ro-

Romano quoque Martyrologio VIII. Auguſti *S. Marini ſenis, qui ſub Diocletiano Imperatore flagris cæſus, & in ligno ſuſpenſus*. Et XX. Octob. *S. Maximi Leuitæ, qui in eculeo ſuſpenſus*. Et XXIX. Octob. *S. Saturninus ſenex in eculeum* ſcribitur *leuatus*. Videnda item Acta S. Abibi Martyris apud Metaphraſ. XV. Nouembr. In Actis item S. Reſtitutæ lect. 2. habetur. *Iudex iuſſit eam poni in eculeo, & capillis ſuſpendi in ſtipite, atque clauos in pedibus eius figi*. Ecce hic ſuſpenſio capillorũ, ſtipes, & claui in pedibus. Eulatalia quoq; in eculeo dicitur ſuſpenſa: vt & alij. Menologiũ deniq; Græcorũ, ſæpe de eculeo intelligens, vnicũ fuiſſe ſtipitẽ ſignificat. Præcipuè verò die vltimo Octobris. *In ligno ſuſpenſus Epimachus, ferreis vnguibus diſcerpitur*. Huc quoq; facit illuſtris locus Dionyſ. Halicarnaſ. à Petro Fabro germanè verſus. Narrat enim lib. 48. Antigonum Regem, non cruci fuiſſe affixum, vt malus eius interpres habet, ſed palo alligatum: hoc eſt, eculeo diſtentum, atq; excruciatum.

Ex his itaque, alijſque ſcriptoribus, quos, ne faſtidio ſim, referre ſuperſedeo, abundè refelluntur ij, qui eculeum lignis nouem, præter trochleas, compoſitum deſcripſerũt, & hac, quã vides imagine, repræſentarũt.



Throcleis inſuper, fuiſſe inſtructum eiuſmodi ſtipitem, tum Euſebius, ſiue Phileas Martyr apud Euſebium ſignificat: cum docet, machinis quibuſdam, hominis membra diſtrahi ſolita. Tum etiam antiquiſſimus ſcriptor apud Nonium, verſiculo iſto declarat. *Et vbi inſilui in trocbleatum,* ſic lege, non cochleatum *eculeum, ibi tollutim tortor*. Trochleatos quippe eculeos intelligere debemus, ex Actis martyrij Sanctæ Symphoroſæ, & filiorum eius, apud Adonem Treuirenſem, 27. Iunij: in quibus legitur. *Imperator iuſſit, ſeptem figi ſtipites, ibique filios eius ad trocbleas extendi*. Eculeus itaque, nihil aliud erat, niſi ſtipes, & trochlea: ſiue ſtipes trochleatus humi fixus. Idque adeo clarè apud Adonem exponitur, vt Fuluius Cardulus Notis ad Acta S. Symphoroſæ, velut veritate conuictus, ſtipiti alligatam trochleam, vocarit eculeum. Imperitè igitur fecit, quiſquis ille fuit, qui Romæ ad D. Vitalis, depinxit eculeum triplici ligno ad furcæ formam, & Vitalem ex eo pēdentem, diſtentum non trochlea, ſed pondere lapidis.

Quod item, manibus à tergo religatis. Hoc eſt, non hinc inde diſtractis, ſed retro vinctis appenderentur, & coniunctis pedibus infernè diſtenderentur, Prudentius aſſerit: apud quem fortiſſimus ille Martyr Romanus, ita de eculeo canit.

*Miſerum putatis, quòd retortis pendeo*
*Extentus vlnis, quòd reuelluntur pedes.*
*Compago neruis, quòd ſonat crepantibus.*

Et in Vincentij martyrio, apud eundem Prudent. Tyrannus loquitur:

*Vinctum retortis brachijs*
*Surſum, & deorſum extendite:*
*Compago donec oſsium,*
*Diuulſa membratim crepet.*

Et clariſſimè Acta Tergeminorum fratrum Speuſippi, Eleuſippi, & Meleuſippi apud Adonem 17. Ianuarij. *Ligatis manibus ſurſum, & pedibus iuſum*, ideſt deorſum, *ita extenti, vt penè putarentur ab ipſa membrorum compage ſeparati*. His adiungendus B. Hieronymus, qui epiſt. 49. ad Innocent. *Cum eculeus,* inquit, *corpus extenderet: & ſordidas fætore,* lege, *pædore,* fœtoris enim non eſt ſordidare manus, ſed olfactum lædere, *carceris manus, poſt tergum vincula cohiberent*. Hæc igitur priſci eculei forma erat.

Eam nihilominus recentiores aliqui, duabus ferè ratiunculis permoti, deſerunt. Et de eculeo ad equuleum: hoc eſt, à ſimplici diſtēdendi hominis inſtrumento, ad lignei equi ſtructuram, vocum vicinitate decepti, immerito tranſeunt. Vrgent itaque. Primùm, ipſam vocis etymologiam, qua perſuaſi arbitrantur, eculei figuram, equo fuiſſe ſimilem: quam profectò, vt ſingularis ille, quem nos ponimus, ſtipes, repræſentare non poteſt, ita inquiunt, lignum quatuor pedibus fultum, adeo expreſsè repræſentat, vt, ob id, quadrupes eiuſmodi ſtipes, vulgò apud Italos vocetur, *Caualletto*. Non aliam igitur antiqui eculei formam fuiſſe videri. Quin etiā ad hanc equulei norationem, inuirum Ciceronem trahit, & neſcium, Pamel. Schol. ad Tertull. de lapſis num. 52. Sed profectò Cicero, neque eo lib. 5. Tuſculan. QQ. Neque alibi id docuit, aut ſcripſit, vt ipſum attentè legenti, patere poteſt dilucidè.

Secundum autem, quod ex ipſorum ſcriptis elicui argumentum, huiuſmodi eſt. Ammian. Marcellin. tum lib. 26. extremo, tum etiam lib. 27. narrat. *Eculeo tortos ſtetiſſe incurues*. At recto, & vnico ſtipiti appenſos, ſum-

maque

itaque vi diſtentos,nullo modo poſſe tergum incuruare, palam eſt. Sunt quippe curuus,& diſtentus,contraria. Non ex vno,igitur,ſtipite conſtabat eculeus, ſed ex pluribus, ad equi effigiem compactis, ſub quo laxatis aliquando funiculis,incuruum torti hominis corpus pendebat.

Verùm iſta facilè diluentur. In primis enim,quod ad etymon eculei ſpectat,longè eos falli Iſidor.Hiſpalenſ. euincit. Qui non *equuleus*,ſed *eculeus* ſcribit:& non ab equo,ſed à diſtentione deriuat. *Eculeus*, inquit, lib.5. Origin.cap.27. *dictus,quòd extendat*,ſic enim lego,vt in Iſidoro à Grialio,& Sigonio emendato legitur: non autem *extendatur*, vt in aliquibus Codd. corruptis. Prudenter igitur,& eruditè, complures docti viri,quos Paulus Manutius Dictionario Latino à ſe recognito, preſſis nominibus laudat,in hac tortorij huius inſtrumenti ſignificatione, malunt ſcribere *eculeus* per *e*, ſicut in antiquis pleriſque Martyrologijs M.M. S.S. docti illi Notarij ſcripſerunt.Quod cernere,& obſeruare eſt in Beneuentano,Pleſcano,Pulſanenſi, & Sophiano in noſtra Neapolitana Bibliotheca Sanctorum Apoſtolorum extantibus. Et verò,idipſum aſtruunt locutiones illæ apud antiquos ſcriptores frequentiſſimæ,quæ eculei tormentum, nonniſi immanem extenſionem membrorum fuiſſe ſignificant. Senec. epiſt.67. *Eculeo longior factus*.Cyprian.Martyr.ep.2. *Illic eculeus extendens*. & ſer.5. de lapſis. *Nunc eculeus extenderet*. Et de laude Martyrij. *Eculeo corpus extenſum*. Prudentius verò idipſum non raro.Nunc,*Surſum,& deorſum extendite*. Nunc, *Pendeo extenſis vlnis*.Nunc,*eculeo pendere,& creſcere*. Et huiuſmodi apud ipſum, alioſq; ſexcenta.Ab extendendo igitur dictus eſt eculeus, vt benè Iſidorus dicit. Quod videlicet,*culeum*,hoc eſt,corium,cutem, pellem, validè extenderet. Sanè quidem ad hunc eundem modum,pleriſque vocabulis littera *E* præfixa,extenſionem quandam importat.Sic *emanſor*,miles eſt,qui manſionem extra caſtra,vltra quam liceat,extendit.Sic *erugare* Plin. lib.11.cap.19. eſt, *rugas ſiue pellem ablatis rugis extendere*.Denique,non mea iſta eculei originatio eſt,ſed B.Iſidori Hiſpalenſis,vetuſti,& oppido eruditi viri:quam non alibi obiter, ſed in doctiſſimo illo opere, quod de etymologijs edidit, ex profeſſo poſuit:& eculeum ab extendendo culeum ſcilicet,deriuauit.Eculeum igitur perperam ab equo deriuari,& perperam equuleum ſcribi,tam certum eſt,quam quod certiſſimum. Ab hoc turbido fonte,omnium manarunt errores.

Iam verò qui Marcellini narrationi adhærentes, reos ſcilicet eculeo tortos,ſtetiſſe incuruos, plura in eculeo ligna ſtatuerunt, excuſandi ſunt. Videntur enim in valde deprauatum Ammiani codicem incidiſſe.Is quippe lib.26.extremo,nequaquam ſcripſit,*ſub eculeo capit incuruari*, vt iſti legerunt, ſed *ſub eculeo caput incuruos*. Eius profectò verba,in editione Francofurtenſi, veterum collatione codicum emendata diligenter, ac 2. Tomo Hiſt.Auguſtæ inſerta,cui conſentit editio Hamburgẽſis ann.1609. ab Lindeburgio procurata,hæc ſunt.*Innocentes tortoribus exhibuit multos, vel ſub eculeo caput incuruos, vel ictu carnificis torui ſubſtrauit*. Quocirca illud Hiſtorici eiuſdem lib.27.*Quanquam incuruus ſub eculeo ſtaret,pertinaci negabat inſtantia*, eodem modo intelligendum eſſe,nempè *ſolo capite incuruus*,nemo,arbitror, ambigere poterit.Quæ ſanè poſitio, & figura,optimè quadrat in noſtrum, ex vno, & arrectario ſtipite eculeum. Da quippe mihi hominem iunctis, vinctiſque poſt terga manibus,in ſublime elatum,alligatumque ſtipiti,toto verò corpore,trochlearum vi infernè pertractum,ſtatim profectò ſic di-

ſtenti hominis caput in pectus decumbet. Hoc eſt, vt Marcellinus habet, fieri, vt caput incuruus pendeat. Quod quidem cõfirmat Tatianus ſcriptor antiquiſſimus, in Harmon. Quatuor Euangeliſt. dicens, Chriſtum, *demiſſo in pectus capite*, ſpiritum emiſiſſe, extenſo enim in crucis ligno corpore, caput in pectus demittendum fuit. Ad hunc itaque modum emendata Marcellini verba, tantum abeſt, vt noſtræ ſententiæ officiant, vt potius magis, magiſque eam declarent, valideque confirment.

At, qui eculeum in equuleum, ſtipitem in ſtipites, ac proinde ſimplex lignum in quinquemembrem quandam machinam, pro libito commutarunt, in quantas incurrant difficultates, cordatus lector dijudicet. Non enim in illum ipſorum equuleum, veterum illæ locutiones aptari poterũt, quibus verum nobis eculeum deſignarunt. Petam enim ab illis equinæ machinæ figuratoribus, Num dici poterit, hominem vel tranſuerſo ligno iacentem, vel laxatis funiculis, toto propemodum corpore ſub eo contractum, atque incuruum, *Longiorem eculeo fieri*, *Fixum in eculeo ſtare*, *Diſtentum pendere*? Vti paſſim Seneca, Hieron. Paulin. & alij loquuntur. Certè qui cõglobatus, & in ſeipſum quodammodo collectus iacet, is propriè, neque *ſtare*, neque *diſtentus pendere* dici poteſt. Similiter *ſurrectum fuiſſe ad ſtipitem*, quod de Mneſtheo Vopiſcus narrat in Aureliano, vtique nec de iacente ſuper tranſuerſum iſtius equulei lignum, neque de eodem, incuruo corpore ſub eo pendente, verè pronunciabitur. Ab eiuſmodi præterea equuleo, longè aberit illud Prudentij:

*Vinctum retortis brachijs*
*Surſum, ac deorſum extendite.*

quippecum in iacente, & tranſuerſo homine, non ſit reperire *ſurſum*, & *deorſum*. Et multo minus in conglobato, & collectis ſub equuleo membris, incuruo.

Quid? Nonne ipſi fatentur, & docent, antiquum illum eculeum, Crucis quandam imaginem præſetuliſſe? Certè, id, ipſis etiam tacentibus, Acta S. Andreæ Apoſtoli cap. 19. & S. Dorotheæ Virginis, apertè declarant. Immo Tertullian. idipſum vniuerſè docet, Apologet. cap. 16. *Pars Crucis eſt*, inquiens, *omne robur, quod erecta ſtatione defigitur*. Porrò, nullam in ea equulei forma, quam iſti commenti ſunt, Crucis ſimilitudinem reperiri, non mens tantum, ſed cuiuſcumque Lectoris oculus intuebitur. Noſter autem eculeus, quamuis vno, eoque arreptario ſtipite conſtet, & tranſuerſarijs lignis, ſiue brachijs careat, antiquam tamen crucem, optimè referre exiſtimabitur: ſi meminerimus quod eruditiſſimus Lipſius lib. 1. de Cruc. cap. 5. probè vidit, & docuit. Duplex, videlicet, dari crucium genus. *Simplex, & compactum*. Illud antiquius. Hoc verò, ex illo factum. Et ſimplicem crucem, illam eſſe, *cum in vno, ſimplicique ligno fit affixio, aut infixio*. Quod Tertulliani auctoritate confirmat Apologet. cap. 16. componentis, & aſſimilantis cum cruce, rudem palum, & informe lignum: hoc eſt, ipſum noſtrum è ſimplici ſtipite eculeum. *Quanto*, inquit, *diſtinguitur à Crucis ſtipite Pallas Attica, & Ceres farrea, quæ ſine effigie, rudi palo, & informi ligno præſtat? Pars crucis eſt, omne robur, quod erecta ſtatione defigitur. Pars*, inquit, hoc eſt, ſpecies crucis. De cruce profectò ſe pendere, inque ea, ſe, Chriſto cruci affixo, ſimilem quodãmodo redditam exiſtimabat B. Felicula virgo, in eculeum leuata, vt ex Actis, & Martyrolog. Beneuentano, & Pleſcano die 13. Iunij. Hoc itaque ſolo, diſtat à ſimplici cruce eculeus, quòd in illa, reus funibus affigitur, ſeu clauis

nis infigitur. In iſto autem, trochleis, per manus, ac pedes trahitur, dirumque in modum extenditur.

His adde, illud, quod nonnulli veterum narrant. Eculeo pendentibus, præter laminas ardentes, lateribus vſtulandis, ignem quoque haud rarò ad pedes apponi ſolitum. Id ſanè Hieron. epiſt. 49. factum ſcribit, innoxiæ illi Vercellenſi mulieri excruciandæ, vt adulterium, quod non commiſerat, fateretur. *Crines*, inquit, *ligantur ad ſtipitem, & toto corpore ad eculeum fortius alligato, vicinus pedibus ignis apponitur.* Et ante Hieron. Senec. lib. 3. de ira cap. 3. *Circumdati defixis corporibus ignes.* Et cap. 19. Eculeo ignem adiungit. *Torreat per omnia, quæ in natura triſtiſſima ſunt, fidiculis tribularibus, eculeo, igne, vultu ſuo.* Quo autem pacto, ad pedes non pendentis hominis, ſed supernè, alteque iacentis, ignis adhiberi poſſit, profectò nō video. Sed in eculeo noſtro ſimplici, & cruci perſimili, pendenti reo, potuit ſanè ignis ad pedes terræ proximos apponi. Quocirca, ſignificanter Seneca dixit, *defixis corporibus.* Et B. Hieron. *vicinus pedibus ignis.* vt ſcilicet Lector perciperet, defixi corporis rectam ſtationem: ac item, pedes torti hominis per eculeum, non iacuiſſe longè à terra tranſuerſos, vt illorum equuleus repræſentat: ſed vtpotè vicinos terræ, facilè potuiſſe ignis tormenta ſubire.

Stet igitur, antiquum eculeum, vnicum, & ſimplex fuiſſe lignum, ſed trochleatum. Ex quo, quandoque, pendentem non diſtendebant, ſed trochleis in ſublime eleuatum, ictu celeri ſuper ſilices demittebant. Sic de Seruo, Romanum Martyrolog. 7. Decembris teſtatur his verbis. *Tuburbi in Africa Sancti Serui Martyris, qui in perſecutione VVandalica ſub Hunerico Rege Ariano, fuſtibus diutiſsimè cæſus, trochleis frequenter in ſublime eleuatus, atque ictu celeri ſuper ſilices, pondere corporis demiſſus, & lapidibus acutiſsimis perfricatus, martyrij palmam adeptus eſt.*

Hanc tandem veram eculei formam, vir eruditiſſimus Carolus Sigonius, probè aſſecutus videri poſſet. Sed eculeum cum craſſa compede, minus conſideratè confundens, rem perturbauit, ac diruit. Vt ante me Baronius aduertit. Qui tamen, in confutanda ſuper ea re Sigonio, felicior fuit, quàm in vera eculei forma tradenda: quod & de Gallonio quoque dictum volo.

## *Cataſtæ, & Eculei differentia.*
## *Sect. VI.*

AFfirmat Sigonius, eculeum eſſe cataſtam. Quem in hac re ſequuti ſunt Marcilius in Perſij Satyr. 6. ad finem. Hungerus in Etymol. triplici, & Fuluius Cardulus, Notis ad SS. Abundij, & Abundātij Paſſionem. Baronius autem Notis ad 16. Martij; negat eculeum eſſe cataſtam. *Erat*, inquit, *& cataſta inſtrumentum torquendi, diuerſum tamen ab eculeo.* Et ad 22. Ianuar. de eculeo agens, ait. *Sigonius rem parum feliciter videtur aſſecutus, confundit enim eculeum cum cataſta.* Verum, ſi Sigonium diligentius expendamus, patebit, immeritò illum à Baronio, & poſt eum à Serario in cap. 6. lib. 2. Machab. fuiſſe repræhenſum. Do eius verba, quibus eculeum deſcribit lib. 3. de iudic. cap. 18. *Equuleus cataſta fuit lignea cochleata, ad intendendum, & remittendum apta, atque ad torquendum homines, vt factis veritas eliceretur, inſtituta.* Quibus ſanè verbis, non prorſus confundit eculeum cum

cataſta.

cataſta. Sed in definitione, ſeu deſcriptione eculei, ponit cataſtam tanquam genus quoddam: eoque ſimul indicat, cataſtam non ſolum eculeum, ſed & alia multa, ſua ſignificatione compræhendere. Ac fortaſſe Iſidori Gloſſarium viderat Sigonius. Qui cum ſcripſiſſet *Cataſta eculeus, genus pœna*, ſubiecit illico. *Cataſta lectus ferreus. Item ſcala, in qua ligantur puniendi*. Vt, ſcilicet, oſtenderet cataſtæ vocabulum, non eculeum ſolum, ſed & lectum ferreum, & ſcalam, atque alia, & alia, vti mox dicam, latè complecti. Idipſum quidem, & Baronius ipſe diligenter facit, iam dicto loco ad 16. Martij, docēs, Cataſtæ vocabulum mulra comprehendere, nempè compedes, cratem ferream, lignum tortorium tabulatum. Idq; bene, & eruditè docet, cum enim cataſta dicta ſit à *καθιστάω*, hoc eſt, expono, mirum non eſt, cataſtæ vocabulum, ea omnia ſignificare pegmata, atque inſtrumenta, exponendis vænum mancipijs, aut reis publico ſpectaculo puniendis adinuenta. Itaque ſi Baronius adiecisſet, & eculeum quoque ſignificare, profectò, neque ipſe à Sigonio, neque ego ab eo in hac re diſſentirem.

Idipſum propemodum de Tympano dici poteſt. Hanc enim vocem compertum eſt, multa extendēdi inſtrumenta cōpræhendere, nimirum cochleas, fidiculas, crucem ſimplicem, & cataſtam, vt benè docet Serar. loco citato: & eculeum quandoque ſignificare. Vt apud Paul. Hebr. 11. quod græcè eſt *ἐτυμπανίσθησαν* apud vulgatum *diſtenti ſunt*, id D. Thomas egregiè interpretatur. *In eculeo torti ſunt*. Et verò, in eo loco, non aliud ſupplicij genus, quàm eculeum debere intelligi, haud dubito. Per illum enim, culeus, ſiue corium hominis, ſicut tympanorum pelles vltra modum intenditur, & per cochleam vel tympanum, ductario fune, qui hominis pedes vinciat, trahatque ad tympanum, humanum corpus inhumaniſſimè cruciatur. Apud Demoſthen. etiam Philipp. 3. & 4. Necnon, & apud Theodoret. lib. 8. de Græcan. affect. tympanum, eculeum ſignificare, diligens, & eruditus lector facilè depræhendet: iudicabitq; eculeum eſſe tympani ſpeciem: ideſt, diſtendendi machinam, atque inſtrumentum, quod & alia quoque diſtendendi inſtrumenta, velut genus quoddam, ſua ſignificatione complectatur.

Ad hunc igitur modum, concludere quoque licebit, eculeum vocari poſſe cataſtam: & ab ea tamen differre, vt ſpeciem à genere, & ſimplex à multiplici. Ac proinde, non admodum benè negaſſe Baronium, eculeum eſſe cataſtam. Id enim Iſidorus, quem alioqui in eiuſmodi vocibus explicādis ſequi ſolet, palàm aduerſatur. Et Prudentij etiam verſiculos, ſe tunc non meminiſſe indicat, quibus eculeum deſcribens, cataſtam illum appellat. Nam periſt. hymn. 10. cum Romanum Martyrem induxiſſet dicentem:

*Emitto vocem de cataſta celſior.*

Mox ſubijcit, eculeum profectò deſcribens:

*Miſerum putatis, quòd retortis pendeo*
*Extentus vlnis: quòd reuelluntur pedes,*
*Compago, neruis quòd ſonat crepantibus.*

Iam verò, quòd eundem Baronium, ſuppreſſo tamen nomine, infelix ille Burdo, ſuperciliosè perſtringat: id nimirum pro more hæreticorum facit, catholicorum quorumlibet ſcripta, ſannis calumnijſque ſugillantium. *Ridiculè*, ait ad Tibull. lib. 2. eleg. 6. *quidam magni nominis, cataſtam, compedem ligneam interpretatur. An non legit in ſuis Martyrologijs, cataſta ferrea Martyres imponi?* Legit, legit Baronius, immò, & ſcripſit, & docuit: quem cum Burdo minimè legiſſe videatur, ſtultè deridet, ipſe potius hoc nomine deriden-

dus

dus. Dicat, ſodes, quænam iſta conſecutio eſt: Cataſtæ ferreæ impoſiti ſunt Martyres, nequit igitur cataſta, etiam compedes ferreos ſignificare? Si eruditiſſimum Baronium diligenter legere typho Caluinico dedignabatur, adire tamen potuiſſet Tibullum ipſum, apud quem, ſuo illo commentario, Baronium repræhendit. Nam is, de ligneis ſanè compedibus accepit, cum cecinit.

*Nota loquor, regnum ipſe tenet, quem ſæpè coegit*
*Barbara gypſatus, ferre cataſta pedes.*

Neque aliter Plinius lib. 35. cap. 16. *Talem in cataſta videre Chryſonum Syllæ*, &c. Hoc eſt, expoſitore Manutio, *in machina longa, ac magna compedis forma, qua ſerui vincti tenebantur.* Inde *cataſtas* ſeruos, Vitruuio dictos à Cataſta, & compede, Gulielmus Philander docet cap. 4. lib. 8. qui in hanc ſententiam Tibullum, Martialem, Perſium, & Plinium laudat. Sed de re conſpicua, ſatis multa. Ac de tota eculei nomenclatione, ad Acta martyriorum intelligenda, vt arbitror, neceſſaria.

✠

# DE B. FORTVNATA ET FRATRIBVS EIVS.

## CAPVT DECIMVM NONVM.

AD Neapolitanam Eccleſiam pertinere B. Fortunatam, Angeli declaraſse videntur: quorum ductu, nautæ qui inclitæ Chriſti Martyris corpuſculum pio furto ſuffurati fuerant, ad Campanum littus appulerunt. Acceſſit poſtea Stephani ſecundi Neapolitani Præſulis pietas: qui Linterno, vbi primum eius oſſa condita fuerant, à Barbaris deſtructo, in Ædem ſacram Sanctarum virginum, ea tranſtulit. Merito itaq; martyris eius tempus cum genere tormentorum, ac ſacrarumq; eius reliquiarum tranſlatio, nobis exquirenda ſunt.

Autpertus presbyter, rogatu Stephani prædicti Neapolitani Epiſcopi, imitatuſque, vt ait, DD. Ambroſium, & Gregorium, de SS. Agnete, & Felicitate locutos, Paſſionem Sanctæ Fortunatæ nobis ſcriptā reliquit: quam in noſtra Neapolitana Bibliotheca SS. Apoſtolorum habemus. Sunt qui putent hunc fuiſſe Abbatem Caſinenſem: quod ſola temporum conueniētia firmari poſſet.

Figendus eſt ante omnia, Martyrij eius tempus. Ego figendum puto ad annum Chriſti 303. qui fuit Diocletiani, & Maximiani vigeſimus. Ratio ſanè eſt, quia Vrbanus, quo iudice, illa cum fratribus ſuis, neci addicta fuit, iam anno Chriſti 303. inierat Paleſtinæ, atque adeo Cæſareæ, vbi Fortunata paſſa eſt, Præfecturam: quam tenuiſſe annis quatuor, hoc eſt, vſque ad ſuum obitum, teſtantur Euſebius, & ipſe Cæſarienſis, lib. 8. cap. 17. Eo igitur anno, & non ante, vt Aupertus facit, potuit ab Vrbano cædi B. Virgo Fortunata. Neque differri debet eius martyrium ad annum Chriſti 308. vt alius quidam facit. Nam, eo anno, non Vrbanus, ſed Firmilianus, Palæſtinam regebat. Porrò Fortunatam, ſub Vrbano, & non ſub Firmiliano paſſam, Acta eius, & Romanum Martyrologium teſtantur. Si quis verò alium Vrbanum producet, Paleſtinæ Præſidem, cuius Euſebius non meminerit, non è ſuo capite, ſed ex ſcriptorum auctoritate, ſententiam ſuam firmare cogetur.

Quoad Imperatores verò, rectè arbitror à me poſitos Diocletianum, & Maximianum. Hi quippe, nondum depoſuerant Imperij faſces: quod fecerunt anno ſequenti, nono videlicet Diocletiani Cōſulatu per duos mēſes inchoato. Paulò aliter poſſent hæc temporum diſcrimina definiri ex Euſebio, qui lib. 8. cap. 13. obſcurè ſignificat, Diocletianum, & Maximianum Auguſtos, anno ſecundo acerbioris perſecutionis indicto, ceſſiſſe Imperio, non autem tertio: vt recentiores figunt. Sed malui pluribus inhærere.

Vrbanus autem iſte Cæſareæ Paleſtinæ Præſes, quo iudice paſſa eſt B. Fortunata, videtur eſſe ille Vrbanus, qui Kal. Iunij Sāctum Pamphilum marty-

Martyrem,eiuſque ſocios in teterrimum carcerem truſit, atque excruciatos,Firmiliano ſucceſſori reliquit occidendos.Quorum Acta deſcribit Euſeb.lib.8.cap.17. Quamuis enim Pamphilus ſub Maximino Imperatore, Fortunata verò ſub Diocletiano paſſa legatur:Nihil tamen prohibet,quin, vel idem Vrbanus,Præfecturam Cæſarienſem,ſemel,atque iterum habuerit,videlicet,ſub Maximino,& Diocletiano, Vel (quod mihi videtur probabilius) eo ipſo tempore, quo Diocletiani perdurauit Imperium, Maximino Orientis Regna moderante, potuit Vrbanus præfici Cæſareæ. Crebro proinde de eo, in Martyrologio Romano fit mentio. Nempe die 2. Aprilis,1.Iunij,27.Iunij,19.Auguſti,& 24.Auguſti:& fortè aliàs.

De huius Vrbani in Chriſtianos immanitate, agit Euſeb. lib.8. c.17. Sed, vindice Deo, tot Chriſtianorum, & Fortunatæ præcipuè noſtræ lanius, miſerandum vitæ exitum,eodem Maximino iubente ſortitus eſt, anno quinto perſecutionis,qui incidit in annum Chriſti 306. Id Euſebij ipſius verbis narrandum putaui.*Verum,qualem mercedem Vrbanus,ob tantam ſæuitiam,& crudelitatem, qua tantoperè in Sanctos Dei, & Chriſti Martyres inſultauit,ex iuſta Dei vltione,& vindicta,poſt mortem quid habiturus eſſet,ex ſupplicijs illi in hac vita inflictis,quæ erant tãquam futurorum proœmia,facilè licebat animaduertere.Nam non longo tempore,poſt facinora,quæ in Pamphilum nefariè conſciuerat, diuina vltio, dum adhuc Præfecturam gereret, eum ex inopinato adorta eſt, ad hunc modum.Qui iamdudum in ſublimi,& excelſo ſedens ſolio,iudicia dabat. Qui ſatellitio militari ſtipatus.Qui vniuerſæ Paleſtinorum genti præfectus.Qui conuictor Tyranni* Maximini Cæſaris,*tanquam ei intimus. Qui eiuſdem menſæ cum illo particeps erat,vindicta Dei, vna nocte non ſolum fuit tantis dignitatis ornamentis orbatus,ignominiæ,& dedecori coram illorum oculis, qui eum vt Principem admirati fuerant,expoſitus,timidus,& ignauus factus,adeo vt voces muliebres funderet, & abiecto an mo,vniuerſæ genti,cui præfuerat,ſupplicaret, Verumetiam, Maximino, de cuius gratia antea inſolens, & ſuperbus, arroganter ſe extulerat ( quippe eum egregiè præter cæteros ob facinora in nos crudeliter edita,amplexabatur) duro; & crudeli iudice vſus eſt.Adeo vt poſt turpem ignominiam,quam pro ſceleribus,quorum erat conuictus ſubibat, ſententia ab eo pronunciata,morti addiceretur.* Hæc Euſebius de funeſto Vrbani exitu.

Ipſa nunc Martyris certamina audiamus ab Autperto deſcripta. Inter triginta ſeptem Chriſtianos ab Vrbano Cæſareæ compræhenſos, tres erant Fortunatæ fratres,Carponius,Euariſtus, & Priſcianus: eò in Chriſti fide illuſtriores,quò & eorum mater infidelis erat.Carceris limina terebat Fortunata,vna tantùm puella comite,impendens eis,quantum pro viribus poterat:Et cum audiſſet, poſtridie fratres ante iudicem ſiſtendos, Dominum enixè rogauit,vt daretur etiam ſibi,cum martyribus ſociari.Quæ pietatis erga fratres obſequia,& impenſum martyrij deſiderium, cum iudici fuiſſent delata,illam carceri mancipari iuſſit. Huius verò Iudicis minas,& oblatas filij nuptias reſpuens,matriſque inanes ſuaſiones contemnens,data cuſtodi carceris pecunia, ad interiorem carcerem, in quo fratres iacebant introducta,mutuis ſe exhortationibus roborantes, ne ab inuicem ſepararentur,à Deo petebant. Vox tum de cœlo audita eſt huiuſmodi. Pax vobiſcum. Exaudita eſt oratio veſtra, Vos per leuiora tormenta,illam per acerbiora ſuſcipiam in vitam æternam. Poſtea nudatur Virgo,ac decaluata per ciuitatem ducitur.Iubeturque hirſutis ferræ dentibus,quaſi lignum, in duas partes diuidi. Sed miniſtri iniquitatis dum toto nixu ferram tra-

Aa herent,

hærent,carnem eius tangere non valebant. Impetrauerat enim ipſa à Domino,ne hoc mortis genere periret.Non quidem pœnas refugiens, ſed vt in ſe puella,diuinæ virtutis potentiam cognoſceret Præſes. Obijcitur feris in amphiteatro, ab ijs nihil læſa.Quinimo ipſarum morſus,expertus fuiſſet Præſes,niſi Fortunata eas cohibuiſſet, Chriſti præceptis inſtituta. Non reddendum malum pro malo.Terebrantur tali eius, & ferreis clauis configuntur,adhuc ipſa victrice,& in propoſiti conſtantia immota.Capitalem tandem ſententiam in eam, & fratres Iudex pronunciauit, gladio percutiendos.Quod,cum ingenti gaudio audiens,data pecunia viginti aureorũ, quæ diuinitus ei collata fuit, obtinuit à carnifice, ne eorum corpora inſepulta remanerent,aut igni cremata.Vti poſtea factum fuit.Ter à cœlo audit vocem iſtam,Veni,Veni,Veni Fortunata ad Regnum cum gloria. Decollatis fratribus, dum ad ipſam decollandam ſpiculator percuſſurus acceſſiſſet,tremefactus concidit,ac dixit. Video quoſdam viros in albis, & Virginum choros te circundantes. Tunc illa pauẽs verba ferire renuentis, cum ingenti voce clamauit,& dixit.Deus,qui es veritas æterna, & neminem tuorum fallis: qui me nunc quoque ad Regnum tuum vocare dignatus es:Deus amator verus,& caſtus, cui ſuſpirant peregrinæ animæ, & in quem deſiderãt Angeli proſpicere,fac me ſine aliqua dilatione, ſarcinam corporeæ fragilitatis exuere, & ad capeſſendã tuæ diuinitatis dulcedinem peruenire.Quæ cum dixiſſet,placidè in Domino obdormiuit. Collecta fuere deinde à Chriſtianis eorum corpora,& ſepulturæ tradita.

Sed quonam pacto, ex Cæſarea, vbi paſſa fuit B. Fortunata, eius, & Fratrum oſſa Linternum tranſlata ſint, ex ipſo Autperto docendi ſumus. Rem ſic ipſe narrat. *Quadam nocte venerunt nautæ, & notato ſibi loco furati ſunt eorum Fratrum,& Beatiſſimæ ſororis exuuias: tuleruntque ſecum in nauicula, nullo ſciente, & nauigauerunt longiſſima maris itinera. Et ecce,noctis medio deſcendentes Angeli de cœlo,ſederunt in prora nauis,ſedenteſque pſallebant,dicentes.* Gloria hæc eſt *omnibus ſanctis eius. Has dum illi voces audiſſent,nimio timore collapſi, ceciderunt in facies ſuas,velut mortui.Et ſubito apparuit eis Beatiſſima Virgo Fortunata, dixitq; eis.Surgite,& nolite timere.* Dominus de cœlo Angelicos *ſpiritus miſit,vt iter veſtrum dirigat ad locum,quo ad illuminationem multarum animarum,corpora noſtra ſepulturæ tradatis. His dictis,ab oculis eorum viſio ſancta ſublata eſt, antequam dies illuceſceret. Ducatum itineris,* Angelis *prebentibus,venerunt nautæ,cum beatiſsimis Martyrum corporibus,in partes Campaniæ,ad locum,qui dicitur Patrias, ibique fodientes, ſepelierunt illa: atque ſtatim ſinguli reuerſi ſunt in ciuitates proprias.* A cœlitibus ergo, iubente Deo, & ipſiſmet Sanctis adiutoribus, hæc ad Linternum trãſlatio procurata fuit. Quo poſtea Oppido per VVandalos euerſo,Neapolim ea beata lipſana decorarunt.Euerſionem Linterni ſic deſcribit Autpertus.

*Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti,ferè quadrigenteſimo quinquageſimo ſecundo, poſt obitum ſcilicet Valentiniani, & Maximi Auguſtorum: cum Romanæ Eccleſiæ Beatiſsimus, ac primus Leo Pontificatum gereret,* Rex *VVandalorum* Genſericus *ex Africa veniens, fultus auxilio* Maurorum, R*omam obtinuit, occurrente ſibi eodem Leone Pontifice.* Cuius *ſupplicatio ita eum pacificauit,vt ab igne, & cæde,atque ſupplicijs abſtineretur.*Deinde per Campaniam *ſeſe VVandali, Maurique effundentes,cuncta ferro,flammiſque conſumunt.*Capuam *primùm ciuitatem ad ſolum vſque deijciunt.*Nolam *nihilominus vrbem,in qua erat Sanctiſsimus Paulinus Epiſcopus, pari ruina proſternunt.* Hic diſſimulare non debeo, malè ab

Autperto

Autperto in hac narratione coniungi Paulinum Nolæ Epiſcopum, cum anno Chriſti 452. Et rurſus, hunc annum, cum Valentiniani nece, & cum clade vrbis Romæ à Genſerico patrata. Hæc enim inuicem pugnant. Liquet enim per eruditos Chronographos, S. Paulinum obijſſe anno 432. Geiſericum diripuiſſe vrbem anno 455. Et Valentinianum dolo Maximi occiſum anno eodem, ſed ante aduentum Geiſerici. Excuſandus itaque Autpertus, quòd ſæculo rudi, & prorſus illiterato vixerit, ſcripſeritque. Vel dicendum, notam numeri ab exſcriptoribus corruptam fuiſſe: & pro 452. 455. reponendum. Illudque, *in qua erat ſanctiſſimus Paulinus*, legendum, *in qua fueras*. Sequitur Autpertus. *Cum autem prædicta ciuitas Patrienſis, penitus depopulata eſſet, nec debitam reuerentiam Sanctorum reliquia habere poſſent, multis iam euolutis temporibus, regnante ſcilicet Conſtantino, & Irene matre eius, ac præſidente Romanæ ſedis Hadriano Pontifice, animaduertens Stephanus Parthenopēſis Epiſcopus, hoc nimis decoris eſſe, inito conſilio cum ſancto Clero, ſimulque Magnatibus, quod ad protectionem ſua Vrbis, dignè, & glorioſè haberentur, miſſis exequijs, ſacra martyris Fortunatæ corpuſculum exinde educens, Monaſterio puellarum Dei, quod B. Gaudioſus Africanus Epiſcopus, intus Neapolim olim conſtruxerat, fugiendo ſcilicet VVandalorum ſæuitiam, qui tunc Africam inuaſerant, cum magna gloria, & honore, cum hymnis, & laudibus, in Eccleſiam ſcilicet, quæ ad honorem nominis eiuſdem B. Fortunatæ, optimè reſulget, eam collocare curauit.* Porrò Baſilicam D. Fortunatæ, de qua hic fit mentio, à Stephano Epiſcopo, in Monaſterio Sancti Gaudioſi eſſe conditam, tradit etiam Ioannes Diaconus in Stephano. De ea etiam mentio fit in quodam Diplomate Longobardicis litteris ſcripto, his verbis. *Imperante Alexio Porphirogenito magno Imperatore anno 29. Sparanus Clericus Eccleſiæ Sanctæ Fortunatæ*, &c. apud Engenium in Eccleſia Sancti Georgij.

Ter igitur huius Sanctæ Martyris oſſa tranſlata ſunt. Primò quidem, per nautas, ex Cæſarea, Linternum: vbi manſerunt vſque ad Adriani primi Pontificatum. Hoc eſt, vt Summontius ſupputat, vſque ad annum 789. quādo, vt iam dictum eſt, ad Eccleſiam Sancti Gaudioſi, Stephanus ea tranſtulit. Itaque, quod Notationibus ad 14. Octobris, Baronius ſcripſit, Puteolos primum fuiſſe tranſlata, deinde Neapolim μνημονικὸν ἁμάρτημα, proculdubio cenſendum eſt. Tertia verò, eaque poſtrema, facta eſt anno 1561. Non. Martij. Quando videlicet, eæ venerabiles reliquiæ caſu repertæ in Eccleſia Sancti Gaudioſi, breui locorum ſpatio, ex Ara veteri, & lapſabunda, in nouam longè ornatiorem, contumulatæ honorificè ſunt, & reconditæ. Extant Acta eiuſce inuentionis, in libello Neapoli impreſſo: quorum initium eſt. *Nos Frater Octauianus, Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Monopolitanus, & Electus Arianenſis*, &c.

Curioſulus quidam efflagitabat à me, quidnam cauſæ eſſet, quòd illuſtrior eſſet in Eccleſia, & Eccleſiaſtico officio, Fortunatæ memoria, quàm Fratrum. Atque adeo, cur fœmina viris præcederet, ſororque fratribus? Reſpondi, fortè, Quia prior illa cæſa eſt: deinde fratres. Sic enim habet Martyrologium Romanum. *Poſt eam gladio iugulati, paritèr marty·ÿ coronam perceperunt.* Quamuis enim Autpertus ſignificare videatur, ante Fortunatam cæſos eſſe fratres eius: id tamen, quod habet Romanum Martyrologium, iuuat nos arbitrari ex purioribus fortaſſe Codicibus deſumptum eſſe. Secundò, quia maior virtus, audacia, & animi ſoliditas in Fortunata refulſit. Non enim vnum tantùm vicit hoſtem, ſed multos ſimul: ſexum videlicet

muliebrem,matris ethnicæ à Chriſto eam euocantis doloſa blandimenta: deſtinati viri nuptias,& promiſſos honores: Vrbani impij iudicis immanitatem,decaluationis illatam ignominiam, pudorem nuditatis, tormenta varia,eaque acerbiora ijs,quæ fratribus irrogata ſunt. Ad hæc, oblata pecunia cuſtodi carceris,fratres inuiſit,& confirmauit.Imminente morte vocatur à Cœlo,ter audita voce,Veni. Carnifex inſuper,qui eam percuſſurus erat,videt circa illam, Angelorum, & Virginum Choros. Hinc fortè factum, vt, cum Martyrologia ferè omnia non Noſtratia ſolummodo, ſed etiam extera, D.Fortunatæ copioſè meminerint, fratrem tamen eius, vix vnum,aut alterum, ac ieiunè nominent, ſolis eorum recitatis nominibus. Non deſunt tamē exempla huic ſimillima.In Martyrologio Romano,multò fuſius,ac ſplendidius memoratur die 28. Octobris Sancta Anaſtaſia ſenior,quàm ſocius eius Cyrillus Martyr. Et illa,quamquam fœmina, prior iſto punitur.In Eccleſia Reatina,potior,ac celebrior eſt D.Anatholia,quā Audax ſocius beati martyrij,Thoræ,ſiue Thioræ conſumati. In Eccleſia Ludgunenſi, atque in Martyrologio Romano, multò illuſtrius extat elogium B.Blandinæ, quàm ſociorum, Lugduni ſub Antonio Auguſto coronatorum. Idipſum obſeruare eſt, in Potamiæna virgine, quæ Plutarcho, alijſque martyrij conſortibus,meritò maioris virtutis antecedit. Nam,*inter eos*,inquiunt Faſti Romani, *præcipuè illa enituit, quæ primò immenſos innumeroſque agones, pro virginitate deſudans, deinde etiam exquiſita tormenta,& inaudita,pro* Fide *perpeſſa, ad vltimum,vna cum matre,igne conſumpta eſt*. Mitto alia exempla: hæc enim quæ adduxi, ſatis eſſe poſſunt.

HISTO-

# HISTORIA S. IANVARII

## CAPVT VIGESIMVM.

CAMPANIÆ noſtræ decus eximium, eiuſque Beatorum Patronorum longè præſtantiſſimum; magnorumque in Nos beneficiorum (Deiparam excipio) decumanam ianuam IANVARIVM deſcripturi ſumus. Vtinam alteri hanc prouinciam demandare poſſem! Sed, quominus meis confido viribus, eo alacrius, ipſius fretus auxilio, operi manum admoueo.

De magno hoc Præſule, Ciueque noſtro, hæc mihi occurrunt explicanda.

*Sect. I. Ianuarij nomen.*

*Sect. II. Patria.*

§. 1. *Quinam primùm aſſeruerint Ianuarium Beneuentanum fuiſſe.*

§. 2. *Quæ pro Beneuentanis afferri ſolent.*

§. 3. *Pauli Regij, Dauidis Romæi, & Bernardini Siculi dicta expenduntur.*

§. 4. *Refellitur argumentum à gente Ianuaria Beneuentana. Et ab Epiſcopali Beneuentana dignitate Ianuarij.*

§. 5. *Oſtenditur, Traditionem nihil Beneuentanis prodeſſe: obeſſe plurimum.*

§. 6. *Quidnam de Domo, quæ* Diui I*anuarij fuiſſe dicitur, ſit ſentiendum.*

§. 7 *Iudicium de Nou-antiquo Cyphij Epitaphio, Beneuenti, vt dicitur, reperto.*

§. 8. *Demonſtratur, Coniecturas in Hiſtorijs locum habere.*

§. 9. *Solidiſſimis teſtimonijs probatur, Ianuarij patriam fuiſſe Neapolim.*

§. 10. *Collectio dictorum.*

*Sect. III. Ianuarij Genus, Parentes, & Propinqui.*

*Sect. IV. Dignitas.*

*Sect.V.Studium, & Mores.*
*Sect.VI.Adminiſtri, Amici, & in Martyrio ſocij.*
*Sect.VII.Iudex, & Acta.*
*Sect.*VIII.*Tempus necis.*
*Sect.*IX.*Martyrium, & beata mors.*
*Sect.*X. *Admiranda à Beato in ſui agone patrata.*
*Sect.*XI. *Sepultura.*
*Sect.* XII. *Translatio prima, è Marciano fundo Neapolim.*
*Sect.*XIII.*Translatio ſecunda, Neapoli Beneuentum.*
*Sect.*XIV.*Translatio tertia, Beneuento ad Montem Virginis.*
*Sect.* XV. *Translatio quarta, Neapolim è Monte Virginis.*
*Sect.*XVI. *Ampullæ cruoris, & aliæ alibi Sancti Martyris Reliquiæ.*
*Sect.*XVII.*Apparitiones.*
*Sect.* XVIII. *Miracula.*
*Sect* XIX.*Tutela Patriæ aduerſus hoſtes, & Peſtilitatē.*
*Sect.*XX. *Tutela aduerſus Veſuuij eruptiones.*
*Sect.*XXI.*Patriæ ſuæ Neapolis patrocinium.*
*Sect.*XXII. *Aedes ſacræ, Deo in Ianuarij honorem erectæ.*
*Sect.*XXIII.*Feſti dies.*
*Sect.*XXIV. *Numi in eius honorem cuſi.*
*Sect* XXV. *Anonymi, ſed antiqui Auctoris Oratio Encomiaſtica in eius laudem.*
*Sect.*XXVI.*Aliorum de eodem* Diuo *lucubrationes.*

### Ianuarij Nomen.
### *Sect.*I.

IAnuarij cognomentum, olim non ſolum Aurelijs, Flauijs, & Pomponijs adiectum fuiſſe, ſed quamplurimis alijs Romanæ Vrbis familijs, nempe Ælijs, Æmilijs, Annijs, Antonijs, Cœſijs, Claudijs, Licinijs, cæteriſque, Gruterianas Inſcriptiones euoluenti, facilè erit reperire. Poſteà verò, id quod ſtirpis cognomen fuerat, viri nomen euaſit: Quod in pleriſque alijs eueniſſe, tradit Agell. lib. 1, cap. 23. Et, ne longius abeamus, idem videre eſt in noſtris Epiſcopis Seuero, Pomponio, Aſprenate. Quæ certè vocabula, præſeferunt primùm extitiſſe gentis vocabula. Deinde verò, ob tempo-

temporum varietatem,mortalia hæc vitiantem, & corrumpentem, in priuatorum hominum nomina tranſijſſe. Fuit igitur *Ianuarius*, Diuo huic Præſuli nomen,& proprium. Quod tamen & alia quędam, quæ nunc neſcimus, præceſſiſſe vocabula, mos eius ſæculi, quo ipſe vixit, mihi facilè perſuadet. Non enim adeo tunc obſoleta erat antiquæ nomenclaturæ formula, vt, quemadmodum nunc ferè obſeruamus, vnico ſinguli appellarentur vocabulo:ſed duo, ac tria præibant, antequam proprium nomen exprimeretur. Ad hunc ſanè modum, vti cum de Aſpreno agerem dixi, Sanctus ille Boniæ Epiſcopus, non nudè *Petronius*, ſed *Sextus Probus Petronius*. Et Diuus Bitinenſis Præſul, *Septimus Cœlius Gaudioſus*. Et primus Capuæ Antiſtes, *L. Anſius Priſcus* audiebant. Vt prætercam, quos Baronius memorat, 24. Martij, & 25. Septembris, *Latinum*, & *Anathalonem*: illum Brixiæ, Mediolani hunc Præſulem: quorum primus, *Flauius Latinus*, alter verò, *Atticus Secundus Anathalon* vocabatur. Habemus etiam, Sanctam virginem *Euſtochium*, aliquando *Iuliam* eſſe appellatam, vti Baronius obſeruauit ad diem 28. Septembris: quòd ſcilicet ex Iulo, & gente Iulia, genus duceret, teſte D. Hieron. in epitaphio Paulę epiſ. 27. Sic fortè dictus Ianuarius, quod ex gente Ianuaria genus duceret.

## *Ianuarij Patria.*
## *Sect. II.*

ANno 1633. Libellum Neapolitanis typis vulgaui, cuius hæc fuit epigraphe. *Hiſtorica Demonſtratio, quòd Sancti Ianuarij patria, Neapolis fuit*: eumque Splendidiſſimis inclytæ Neapolis VII Viris dicaui. Eo illos cohoneſtans titulo, qui in antiquis Inſcriptionibus legitur. Quarum vnam videre eſt in lapide ad D. Ioannis Maioris. Scriptionis occaſio, atque adeo particulam illam, à tota hac narratione diuellendi, religioſi cuiuſdam viri concio fuit, in principe Vrbis noſtræ Templo, coram conferta auditorum multitudine, atteſtati, Ianuarij patriam, Beneuentum fuiſſe. A voce clamantis, commota ſunt ſuperliminaria Cardinum. Acerba ſiquidem illa, & auribus moleſta ἀπειρία, auditorum fremitum meritò excitauit. Me certè, additis quoque amicorum ſtimulis, coegit ſurculum illum, à maiore hac planta diuellere. Id cum ego meditarer, ecce per aliquorum manus circumlatum, Anonymi auctoris Scriptum, in Beneuētanorum fauorem. Vulgato libello meo, prodijt in lucem, Octauij Bilottæ Diſcurſus Beneuentani ciuis, nobilitate generis, & morum nitore conſpicui. Qui, hyperaſpiſten profeſſus Anonymi, illum fuiſſe Marium de Vipera Beneuētanum Archidiaconum, doctrina, & probitate inſignem, addo ego, & mei amantiſſimum, declarauit.

Quoniam autem, fuſiore narratione, geſta Sancti Martyris Ianuarij cæpimus hic poſteris tradere, operæ pretium erit, quæ olim in dicta Demonſtratione, atque in Nou-antiqui cuiuſdam epitaphij reiectione ſcripſimus, hic repetere: quamquam mutato aliquantulum ordine, imitati ſcholaſticum, atque etiam idiomate. Nam, cum Bilotta vulgari Italica lingua ſcripſiſſet, vt par pari redderem, Italicè ego quoque de ipſius diſcurſu iudicium protuli meum. Quod, inter has pagellas Latio donatum comparebit. Porro, vt preſſius, veritatem noſtræ ſententiæ dilucidem, ſectio-

nem

nem iſtam in ſectiunculas alias ſecabo: & vt Iuriſtæ loquuntur, paragraphos.

*Quinam primùm aſſeruerint Ianuarium Beneuetanum fuiſſe.*

§. I.

Quiſquis ille Religioſus fuit, qui incautè, Ianuarium fuiſſe Beneuentanum aſſeruit, dignus excuſatione eſt. Tale enim erratum, non è ſuo capite, ſed à Paulo hauſit, ſcriptore illo, ſolo nomine *Regio*: cœtera autem, plebeio ingenio, & ſtylo. Regio adhæſit *David Romæus*: ne ſcilicet Regius in lutum caderet ſolus. Itaque hi duo fuerũt Beneuentanæ opinionis puppis, & prora. Ante quos, arbitror, ne ipſos quidem Beneuentanos ciues, auctorem aliquem typis exaratum, legere potuiſſe, ſuæ cauſæ fauitorem. Siculus certè ille *Bernardinus* Ordinis Minorum, rudi illo, & patria lingua conſcripto carmine, Beneuentanum faciens Ianuarium, minimè proſtat impreſſus. Cœteri qui id aſſerunt, Neoterici ſunt, & Regio poſteriores.

*Quæ pro Beneuentanis afferri ſolent.*

§. II.

Pio quidem animo, ſed nullo, vt oſtendam, ſolido fulti præſidio, in ſuam, Beneuentani, aſciſcunt ciuitatem, ſanctum illum Martyrem, his propemodum leuiſſimis ratiunculis.

Et primò quidem. Quòd Ianuaria gens, Beneuenti floruerit: vt vetuſti in eo lapides in Arcu Æneæ, in officina Hieronymi Albani, & in angulo Horti de Muſſo, ſignificare videntur. Ergo, ſi Ianuariorum ſtirps Beneuenti coaluit, veriſimile quoque eſt, Ianuarium hunc Martyrem, Beneuentum patriam habuiſſe.

Secundò ex Epiſcopali dignitate. Solebant enim antiquitus, ad eam dignitatem, ciues potius eligi, quàm exteri. Beneuentanus ergo Epiſcopus, Beneuentanum credendum eſt fuiſſe ciuem. Dignum autem obſeruatione cenſendum, quòd cum Epiſcopi, ciues electi eſſent, in eis, patriæ nomen nequaquam apponeretur: ſed ſolùm cum exteri eſſent. Ita Anonymus aſſerebat cap. 5.

Solidiſſimum prætera argumentum, vt putant, ex Traditione deſumunt: quam Dominus Bilocta dicit *ab immemorabili tempore, ad vſque patrum noſtrorum ætatem, ab omnibus, & abſque diſcrepantia receptam: grauiumque ſcriptorum teſtimonio, vno excepto Ioanne Villano Neapolitano comprobatam*. Quam Traditionem, foueri aiunt à domo quadam hodieque ſuperſtite: quam Sanctiſſimi Ianuarij matrem inhabitaſſe fama eſt: fuiſſeque proprium Ianuariæ gentis domicilium.

Ad hæc, Vetus quddam Epitaphium parieti Eccleſiæ S.Luciæ affixũ, id prorſus videtur ſuadere: quod eſt huiuſmodi.

IANVA-

D. M. i.& Deſiderio 1.Beneuentanis
IANVARIO ET FESTO : : : : IDERIO BEN
VT QVOS IVNXIT VNA
AMOR, PATRIA, ET MORS
SERVARET MONVM.
: : : CYPH. S.EXORATA PLE
M. P.

Si quæ verò coniecturæ contrarium ſuadere videantur, nempe Ianuarium Neapolitanum fuiſſe, Auctor cenſuræ ſpernendas eas eſſe dixit: axiomate illo ſuo nixus. *Coniecturas non habere locum in Hiſtoria.*

## *Pauli Regij, Dauidis Romai, & Bernardini Siculi dicta expenduntur.*

## §.III.

ANteqnam veritatem, quam defendimus, validiſſimis comprobemus rationibus, eneruanda duxi, quæ Beneuentani opponunt. Ac primum, de Regio, primo Beneuentanorum fautore, hoc aſſero. Ipſum potius concionatoris partes ſibi aſſumpſiſſe, quàm Hiſtorici. Hoc, prolixiores illæ orationes, hoc, longiſſimæ illæ narrationes tedium lectori ingerentes, manifeſtè produnt: quas ſi ex Vitis demas ab ipſo conſcriptis, ex longiſſimis breuiſſimæ inuenientur. Sed hi, naturæ defectus, tolerabiles vtcumque fuiſſent. *Nec verò terra ferre omnes omnia poſſunt*, dixit Virgil.2.Georgic. At (parcant defuncti manes: Non enim laudabile eſt, in patriæ damno, ciuem eſſe patientem) quiſ-nam æquo animo ferat, tot illum craſſis erroribus, tam crebris inſulſiſq; lacinijs, Noſtratium Diuorum hiſtorias commaculaſſe? Certum eſt, in vno Ianuario deſcribendo, illum decem, ac fortaſſe plura, qua ſphalmata, qua ſomnia, chartis infelicibus illeuiſſe. Ecce illa

Ipſo primo capite Vitæ S. Ianuarij aſſerit, ipſum vtroque parente Chriſtiano natum. Si de matre loquutus eſt, verum dixit. Si de patre, res eſt dubia. Alebant enim tunc temporis, Neapolis, Beneuentum, & Roma ipſa, ac Italia tota, Ethnicos multos, & Paganos. Ipſe Auguſtinus, poſt centenarium à Ianuarij cæde, non negauit, ſe patre ethnico progenitum, ſalutaribus aquis in ipſo extremo vitæ limine abluto. Martinus, Patritius, & alij, gentilitatem patrum confeſſi ſunt. Quiſ-nam Regio tradidit, quod ſcripſit? Anne pietas? Sed verum eſt illud Latom.ij pijſſimum dictum. *Cara Deo pietas: ſed veris conſona rebus.* Cara autem eſſe non poteſt, quæ minimè vera eſt.

II. S. Ianuarij ad Epiſcopalem thronum aſſumptionem, collocat ſub Caio Pontifice. Vide, quæſo te, Lector, quo id modo conſtare poſſit. S. quippe Caius, in Petri ſede ſedit, à Chriſti anno ducẽteſimo octogeſimo quarto, ad vſque ducenteſimum nonageſimum ſextum. S. Marcellinus, ab eo anno, ad trecenteſimum quartum. Et ab hoc S. Marcellus, vſque ad trecenteſimum nonum. At Ianuarius, martyrium paſſus eſt, anno Chriſti trecenteſimo quinto. Ergo, ſi ſub Caio factus fuit Epiſcopus, octo, vel ſaltem ſeptem annis, Eccleſiam ſibi deſponſam rexit. Cum tamẽ, omnes Scriptores, eius Epiſcopatus tempus, non vltra annum producant. Incertum itaque tempus electionis eius eſt.

 III. Vult

III. Vult Ianuarij in Epiſcopatu prædeceſſorem, in ſomnis illi apparuiſſe: exhortatumque eum eſſe, vt oblato Epiſcopatus oneri, ſubmitteret humeros. Quiſnam hoc ei ſomnium patefecit?

IV. Refert, Ianuarium, audito Timothei ſatellitum aduentu ad eum comprehendendum, genibus ante Crucifixi imaginem fixis, longiuſculam illam orationem fudiſſe, quam de ſuo ipſe Regius capite compoſuit. Fortè, ſubitarius ſatellitum frementium aduentus, omne illi orandi ſpatium abſtulit. Ex Actis certè, nil aliud exprimitur niſi hoc. *Timotheo Officiales diſfamauerunt opinionem Beatiſſimi Ianuarij Beneuentana Ciuitatis Epiſcopi. Ipſe autem iniquiſſimus Timotheus, audiens opinionem Beatiſſimi Ianuarij, eum ſibi exhiberi iuſſit: & fuit præſentatus Nolæ ante tribunal Præſidis.*

V. Cap. 2. Introducit Ianuarium cum Præſide, de ſacroſancto Euchariſtiæ myſterio, ac confeſſionis Sacramento colloquentem: ac ſi eius eſſet catechiſtes. Quod, licet probabile ſit, ab eo tamen gratis dicitur, cum in Actis id non habeatur.

VI. Fingit Angelum neſcio quem, multa cum Ianuario in fornace colloquentem.

VII. Acta, Capitis ſententiam à Præſide in Ianuarium ſexque eius ſocios datam referunt. At Regius de ſuo addidit, eam, in eos quoque latam, qui quempiam ex damnatis ſepulturi eſſent.

VIII. Neſcio vnde hauſerit, mendicum illum ſenem, cui orariū ſuum dedit, quo oculos ſibi obuelauerat, fuiſſe ciuem Puteolanum. Nam Acta tradunt ſolùm illi promiſſum, & exhibitum orarium. De patria verò nihil.

IX. Addit etiam, matrem audito filium in vincula fuiſſe coniectum, iuſſiſſe ſtatim, familiam totam lugubribus indui veſtibus. Quod, neque verùm, neque veriſimile videtur. Audiamus Acta. *Subitò nunciauerunt ei, quòd filius eius pro Dei amore in vinculis teneretur. At illa perterrita, proſternens ſe Domino, in oratione ſanctum reddidit ſpiritum.* Exultandum potius erat pijſſimę matri, & mortem filio pro Chriſto optanti, quàm plorandum.

X. Narrat cap. 6. Siconem Principem, ex Neapolitana Epiſcopali Eccleſia, relicto ibi eius capite, ac ſanguine, corpus Beatiſſimi Martyris abſtuliſſe. Perbellè igitur Neapoli fauens, tributariam illam Siconi facit. Erratum porrò iſtud Regij, Anonymus ille ſcriptor, magno plauſu excepit. At ego oſtendam, nunquam ingreſſum fuiſſe Neapolim Siconem Principem. Erempertum audiamus. Hic quidem in fuſiore illo ſuo Chronico hęc narrat. *Sico Princeps, exercitus ſui copias adunari iuſſit: atque magno apparatu, Neapolim properauit: & eam vndique conſtrinxit, & incendijs à foris ſcilicet denudauit. Quam & obſidens aliquanto tempore, viriliter cum Beneuentano exercitu coarctauit. Tunc Vrſus Electus, Siconem deprecatus eſt, vt amplius malum non fieret, neque ſanguis Chriſtianorum effunderetur. Ad hæc Sico Longobardorum Princeps, admonitionem prædicti Electi audiens, deſtitit: & pacem inierunt, in ſcripto pacta exponentes mutua pacis Neapolitani, & Longobardi. Et obſides Neapolitanos idem Princeps abſtulit. Spopondit verò idem Neapolitanorum Dux, cum vniuerſis ſuis hominibus, ſub terribili, fortiſſimoque ſacramento, atque in eiuſdem pacti fœdere perſcriptam paginam affirmarunt, ſe daturos illicò, omni anno, tributum quod inter eos ſtatutum fuit, & quod ſuis numiſmatibus ad ipſam Ciuitatem pro mercimonijs graderentur.* Ex hac narratione ſe efferunt Beneuentani. Atque, vt egomet ex ipſis audiui, hæc Neapolitanis quandoque obijciunt ludibundi. Sed, quàm inanis, & verè ludicra ſit iſta gloriatio, idem Erempertus in ſua Epitome à me anno vi-

geſimo

geſimo ſexto huius ſæculi edita,& Nomenclatore, ac Propilæis illuſtrata, planè oſtendit. Ciuitas,inquit fol.34. *Neapolis pene capta eſſet, ſi non adfuiſſet ingenium.* Quænam autem fuerint illæ ingenij artes, breuius ego dicam,ne Lectorem diutius diſtineat Erempertus.

Pacta & promiſſa,quæ Vrſus Neapolis Dux,iuramento firmauit,quia per vim fuerunt extorta,aduerſo animo,vt in eo caſu licuit(cap.verum,ex. de iureiuran.l.2.cap.ſi aduerſus. D.Thom. 2.2.q.89.art.7.ad 4.& cum eo Theologi)verborenus expreſſit.Itaque in tanto diſcrimine, pollicitus eſt, poſtera luce patefacturum ſe Vrbis ianuas, & Siconem triumphali pompa excepturum. Credidit ille:& prælio,atque obſidione abſtinuit. Sed Vrſi Ducis prouido ingenio,merito deceptus eſt:qui efferata manu, Neapolim immeritò preſſerat. Noctu enim,mœnia ſemidiruta Vrbis,Dux iſte validiſſimè ſtabiliuit.Mox ſub auroram armatas,& viriliter ad pugnam animatas ciuium acies,Siconi obiecit. Qui,ſiue rabie percitus,ſiue rubore perculſus,Beneuentum remeauit:onuſtus tamen ſacra,& inuidenda præda, corpore videlicet Beatiſſimi Ianuarij:vt aliquam ſaltem victoriæ ſpeciem, Beneuentanis occurſantibus exhiberet.Poſtea autem,quamquam non deſtitit,per totos ſexdecim annos, tum Sico Princeps, tum filius eius Sicardus,mali corui malum ouum,Neapolim varijs modis diuexare,& aliquoties vehementiſſimè obſidere, Neapolis tamen obſtitit ei ſemper inuicta. Ac denique, Ludouici Imperatoris, & Optimatum Francorum ſubſidio protecta, & liberata eſt ab vncis vnguibus Tyrannorum. Nec mihi quiſquam ſuccenſere poterit,quòd hos vocem Tyrannos. Sicardum namque ſic vocatum lego in Martyrologio Romano: dum 9. Octobr. Deuſdedit Caſini Abbatem,inter Sanctos refert,ab ipſo in carcerem truſum,vbi ęrũnis confectus,ſpiritum Deo reddidit.Quin & ipſe Erempertus Longobardus,æternas illi inuſſit maculas. Narrat enim,ipſum occidiſſe Grimoaldũ Ducem,& Beneuentanos *beſtiali feritate* fuiſſe perſecutum: Aliaque id genus egregia illi elogia tribuit. Omnia hæc Erempertus narrat. Quodque peſſimus vir fuerit iſte Sichardus, etiam Chronicon Caſſinenſe affirmat lib.1.cap.24. Quid verò factum ſit de obſidibus ab Vrſo Siconi datis, nemo tradit.Sed exiſtimare debemus, quòd,ſi qua illis pernicies à Sicone contigiſſet,illam ab Eremperto non fuiſſe prætereundam. Mihi autem, dum hæc legerem,in mentem venit,pulcher ille Apologus de Vulpe aperto ore ad racemum vuæ vitreo vaſi incluſum, inhiante. Is enim aptiſſimè conuenit Longobardo Siconi. Nam,lambere,& lingere phialam circumquaque potuit, racemum tamen Neapolis, vulpis illa fameſcens, vorare non potuit,Verumque eſt,id,quod ego in Notis ad vitam S.Antonini Abbatis,Not.X.ſcripſi. Neapolim noſtrã,ſolis coronatis capitibus, iiſq; præcelſis, & potentiſſimis, fuiſſe ſubiectam: inferioribus verò Dynaſtis, nequaquam.

Hæc dicta ſint,occaſione eius, quod Regius è ſuo capite commentus eſt.Nempe,Siconem ex Epiſcopali Neapolitana Eccleſia, corpus B.Martyris abſtuliſſe:quaſi ex ciuitate, ſuo iuri ſubiecta. Quòd autem Baronius, Regium quandoque in Martyrologij notis citet, inde nequaquam colligi poteſt,omnia illum,(intolerabili certe onere)eius dicta rata, firmaque habuiſſe.Sed ſatis illi fuiſſe, quod millies de alijs etiam ſcriptoribus facit,eũ tanquam ſcriptorem vitæ Sancti cuiuſpiam adduxiſſe.

De Dauide Romæo,nihil habeo quod dicam,niſi ipſum natione Ca-

labrum fuiſſe, Profeſſione Grammaticum, & Neapoli anno ferè ſeptuageſimo, præteriti ſæculi, Grammaticam docuiſſe, quanquam non publicè, ſed in priuatis Nobilium ædibus: vt mirandum non ſit, ipſum Grammaticaliter, non Hiſtoricè Vitam S.Ianuarij ſcripſiſſe. Excuſandus fortè, immò & laudandus, quòd pueris, qui ſcuticæ ſuæ obediebãt, per narrata vtcumque Sanctorum geſta, lac virtutum voluerit inſtillare.

Bernardinum tandem Siculum, nimium extollens Dominus Bilocta, dicit eum fuiſſe Canonici iuris laureatum. Cum tamen, vulgari, & rudi ſermone, de actis tranſlationis S.Ianuarij, quæ anno 1497. contigit, ſcripſerit. Cecinit hic poetaſter.

*Fù San Iennaro, como appare ſcripto,*
*In la città di Beneuento nato.*

Oſtendant rogo DD. Vipera, & Bilocta, vbi nam, & à quo, id ſit ſcriptum. Id porrò nequeunt oſtendere. Nam, ante Regium, qui poſteriore ſæculo vixit, nemo id ſcripſit. Num fortè in Cyphij epitaphio? Suſtine pauliſper, mi Lector, & mecum, epitaphij falſitatem agnoſces.

Notandum autem eſt, quòd, eodem prorſus tempore, quo Siculus *iſta* cantillabat, inſignes viri nobis tradiderunt, Ianuarij patriam fuiſſe Neapolim. Hi fuere Matthæus de Afflicto, Cęſar Carpanus, Antonius Alexius, Alphonſus Ianuarius, & alij, de quibus infra. Quorum lucubrationes, publici iuris factæ fuerunt, Siculo intra tenebras latitante. Quin, & ipſe Alexander Carafa Archiepiſcopus Neapolitanus, prælo ſubiecit aliquas Noſtratium Diuorum Miſſas. Inter quas, Sequentia, quæ in D.Ianuarij Miſſa legebatur, Ianuarij patrocinium, pro ſuis Neapolitanis ciuibus implorat. Sed de his iterum ſermo inferius redibit.

Exiſtimo autem, rem gratam me prædictis DD.Viperæ, & Biloctæ factürum, ſi bina, eaque grauia Siculi errata numerabo: ea fini, vt hi periti viri, deſinant deinceps eum, tanquam oraculum venerari.

Et primo quidem dicit, tranſlationis occaſionem fuiſſe timorem Friderici Ænobarbi, in Neapolitano Regno, ac præcipuè in Beneuentana regione, atrociter bellantis. Ecce eius verba.

*Nel dì di Federico Imperatore,*
*Da tutti Barbaroſſa nominato:*
*Era na guerra di magno terrore;*

Sed, qui Ænorbarbi huius bellorum hiſtoriam euoluent, compertum habebunt, nunquam eum in hoc Regno belligeratum. Sed Fridericum ſecundum magnum Beneuentanis timorem incuſſiſſe. Legatur inter cœteros Richardus à S.Germano in ſuo Chronico.

Alterum erratum eſt. Ianuarium ſecuri percuſſum: cum tamen gladio fuerit interemptus. *Accede iam,* dixit illi Timotheus, *& Dijs thura offer: ſi autem nolueris, gladio te iubeam interfici.* Imperitus ergo fuit Siculus rerum noſtrarum, & Actorum Sancti Martyris. Fateor tamen Siculum iſtum verius ſcripſiſſe ea, quibus interfuit: Tranſlationem enim ex Beneuentana ciuitate ad Montem Virginis, fideliter nobis tradit: vt ſuo mox loco dicemus.

## *Refellitur argumentum à gente Ianuaria Beneuentana. Et ab Epiſcopali Beneuentana dignitate Ianuarij.*

### §. IV.

IAnuariam gentem, Beneuenti coaluiſſe, nihil prodeſt ad Martyrem Ianuarium, Beneuentanæ ciuitati aſcribendum. Nam, etſi detur, multos ibi de Ianuarijs ſculptos extitiſſe lapides, qui poſtea in rudera abierunt: Quid ergo? Nonne, ſi litteratos lapides attendamus, Romæ, Mediolani, Capuæ, Nolæ, Puteolis, & hìc Neapoli, in Inſcriptionibus à Grutero editis, & in libro de ſtirpe Ianuaria, Ianuarios multos reperiemus recenſitos? Ergo-ne, ſingulę hæ ciuitates, poterunt ſuum ciuem aſſerere, hũc, de quo loquimur, Martyrem Ianuarium? Certe, ſi quid in ea re momenti, lapides habent, longè plures Romæ, & Neapoli, quàm Beneuenti, olim extitiſſe, aut nunc eſſe comperientur. Eos hoc loco verbatim non repreſento. Quandoquidem, hiſtoria Ianuariæ gentis, Neapoli anno 1623 typis expreſſa, curioſo harum rerum Lectori, affatim eos exhibebit.

Quæ de Epiſcopali dignitate, pro patria aſſerenda, dicebantur, audiui ego Neapoli à Beneuentanis nonnullis affirmantibus, ſe debere exiſtimare, Diuum illum, qui Epiſcopus Beneuenti fuit, fuiſſe quoque Beneuenti ciuem: eo quòd, antiquitus è ciuium potiſſimum cœtu, Antiſtites legerentur. Sed in tacito Auctoris breui ſcripto, qui paulò poſt, in meas deuenit manus, laudaui à prudentia virum: quòd infirmiſſimum ab Epiſcopatu argumentum omiſerit. Nam, præterquam quòd in Eccleſiarum matre Roma, id nullatenus ſeruatum eſt, vt percurrenti Anaſtaſij librum de Romanis Pontificibus innoteſcere poteſt, Ipſa etiam Mediolanenſis Eccleſia, exteros multos reuerita eſt Epiſcopos. Et, quod caput eſt, ipſa Beneuentana Eccleſia, non vnum, aut duos, ſed complures habuiſſe Epiſcopos exteros, Græcos, videlicet, Longobardos, atque ex Italia, Campanos, Samnites, Latinos, Etruſcos, Inſubres, ex Catalogo Epiſcoporum Beneuenti colligitur.

## *Oſtenditur, Traditionem nihil Beneuentanis prodeſſe: obeſſe plurimum.*

### §. V.

TRaditioni, Beneuentani valdè nituntur. Per hanc enim ſemitam ſuam cauſam dirigunt. Sed, vt video, eiuſmodi ea eſt, vt minimè, ad id, quod deſideratur, ducat. Vt autem verum fatear, turgida nimium, & ampulloſa ſunt verba illa Biloctæ. *Ab immemorabili tempore, omnes, abſque diſcrimine,* &c. in ſui Diſcurſus principio. Cum ea legiſſem, protinus dixi. *Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?* Sed aduerti, ipſum, expandere quidem dicta, ſed minimè exponere facta. De Epitaphio Cyphij, & Domo Martyris, ſingillatim poſtea, nunc de ipſa Traditione in genere.

Perſpiciendum primo eſt, vnde orta ſit fama illa, ſiue Traditio, quam nunc promunt. Nam, ſi à leui vulgò exijt, ea certè inualida eſt, ad B. Ianuarium ſibi aſſerendum ciuem. *Vulgus*, namque, vt Cic. Tuſcul. lib. 4. ait *ex*

*verita-*

*veritate paucæ, ex opinione multa æſtimat.* Ac, Varrone teſte de ling. lat. l. 2. *facilè ea, quæ placent, in mentem collabuntur*. Ea autem, maximè placent, quæ honori ſunt, aut lucro. Videndum præterea eſt, an conſtans ſit, & per ſæculorum lineam continuata. Niſi enim talis fuerit, deſerta æſtimabitur, & à mentibus hominum eruditorum elapſa, velut marcida poma, per ſe, ex arboribus cadentia. Deſerta, inquam, traditio & fama illa eſt, quam per longa temporum ſpatia, aut *Silentium*, aut *Diſſentio* obſideat Hiſtoricorum. Per hæc igitur duo capita procedet examen Beneuentanæ Traditionis. Nam illud quod primo propoſui, Nempe, an à leui vulgo orta ſit, id ego inquirere non poſſum, cum penes Beneuentanos ſit huiuſce rei affirmatio, & negatio.

Itaq; quod ad ſilẽtium attinet, hãc doctrinã reperio apud Theologos in Tractatu de ſacris Traditionibus: nempe Bellarmin. tom. 1. controuerſ. lib. 3. de Verbo Dei non ſcripto cap. 2. & lib. 4. c. 12. Matthæum Galenum catecheſi 24. & alios. Præter diuinam Prouidentiam, quæ Traditiones in Eccleſia ſua conſeruat, adeſſe etiã quatuor cauſas adiuuãtes, quibus eę cõſeruantur. Quarum prima eſt, *Scriptio*. Etſi enim Traditiones ſacræ non ſint ſcriptæ in diuinis libris, ſunt tamen ſcriptæ in monumentis veterum, & in libris Eccleſiaſticis. Arcudius lib. 1. de Sacrament. cap. 9. docet eas vocari ἀγράφας, quia non ſunt ſcriptæ in diuinis libris, non, quia non ſunt ſcriptæ in alijs libris. Quod & Bellarm. docet. Hæc prima cauſa adiuuans, qua ſacræ Traditiones conſeruantur, mihi ſufficit: alias tres omitto. Dico igitur, ſi ſcriptio adiumentum eſt primum, & maximum ad ſacras Traditiones ſeruandas, quas ſcimus à diuina prouidentia ſeruari, & Chriſtianorum animis foueri, multò magis Traditiones merè humanæ, cuiuſmodi eſt iſta Beneuentana, Scriptione indigent, vt ſeruentur & viuant: maximè cum nihil eæ pertineant ad noſtram ſalutem. Ipſum *Traditionis* nomen, apud Latinos, ſcripturam ſignificat. *Tradere* enim eſt *Scribere, referre, ſcriptis poſteritati mandare*. Sic explicante Paſſeratio ex Cicerone, Suetonio, & Aulo Gellio. Oportet ergo Traditionem eſſe antiquam, vt *Scriptis mandet poſteritati*. Alioquin poſteritas auctoritate carebit, ſi quod dicit, ab antiqua non pendet Traditione, quæ facit principium.

Præterea, id facit Scriptio, vt rei narratio nequeat corrumpi fabuloſis lacinijs. Eſt enim, quaſi ſigillum, quo veritas in paginis obſignatur. Alioquin, ſi ſoli famæ commẽdetur, facilè variabitur, & ampliabitur. Nam Fama, vt Maro ait, *Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo*. Index igitur euanidæ, & falſæ Traditionis, eſt, iactari per ora virorum, per ſcripta autem fide digna conticeri. Digna vero fide erunt, ea magis, quæ magis antiquè ſcripta ſunt: ſcilicet, paulo poſt rem natam. Magna enim eſt auctoritas antiquitatis. Legendus Suar. de Religione tom. 4. lib. 2. c. 2. explodens traditiones illas, quorum principia ignorantur.

Vt autem doctrina iſta declaretur, conducibile puto erit, proferre exempla aliquot inanium Traditionum: quæ fallaci fama per ora mortalium euentilata, à cordatis, & eruditis viris exploſa ſunt.

Romæ, adeo vulgi animis acceptum fixumque eſt, ſublime illud muri fragmentum, quod in Quirinali conſpicitur, eſſe partem turris illius, è qua Nero, dum Vrbs conflagraret, ſuum poema, quod de Troiæ excidio panxerat decantauit, vt nihil propemodum ſit frequentius Romani populi ore celebratum, nihil verius exiſtimatum. Abeſt tamen à vero, quantum diſtat

à Con-

à Conſtantino optimo, peſſimus Imperator Nero. Nam, apud eruditos, certum compertumque eſt, illas parietinas eſſe reliquias Thermarum Conſtantini, non autem turris Neronianæ, ſiue, vt Suetonius c. 38. vocat, *Mecenetiana*. Hanc enim in Exquilino colle extitiſſe conſtat; illas in Quirinali.

Traiani animam, precibus D. Gregorij ab inferis liberatam, qui intuitus ſimulacrum eius, in Foro Traiani, ex equo deſilientis, vt viduæ de occiſo filio quærenti ius redderet, in eum compaſſione affectus, Deûm pro illius animæ liberatione deprecatus fuit, fabulam eſſe oſtendit Magnus Baronius, Annali octauo. Ex eo quòd Traianus impuriſſimus fuerit, vinique vorax, ac Chriſtiani ſanguinis auidiſſimus. Itemque, quòd ob Gothorum irruptiones, paucæ tunc eſſent in Foris ſtatuæ. Atque, quòd D. Gregorij factum, doctrinæ eius fuiſſet aduerſum. Præcipuè autem (quod ad rem noſtram facit, qui Traditionum ſolida fundamenta quærimus) quia nullus antiquorum Hiſtoricorum, ac ne Plinium quidem Traiani Panegyriſtem, oſtendere poteſt quiſquis fabellæ aſſentitur, qui primò id aſſeruerit, quod poſt quingentos annos euulgatum fuit. Vide ipſum longius.

His adijcere poſſum, propinquum Beneuentanis exemplum. *Nucem* videlicet illam, quam vocant *Beneuentanam*. Eam quippe, ſi de antiquo tempore loquamur, immeritò infamat falſa Traditio, vulgique garrulitas. Nã reuera, domicilium illic fuit hominis magna virtute, ſapientiaque percelebris: quod alia occaſione in Beneuentanorum gratiam patefaciam.

Addam recentius exemplum. Inter Monachos Patauinos Ordinis Sancti Benedicti, & Venetos Franciſcanos, magna lis vertebatur præteritis annis: vtra Eccleſia haberet ſacrum corpus B. Lucæ Euangeliſtæ, Diuæ ne Iuſtinæ, quæ Patauij, an verò D. Iobi, quæ Venetijs eſt. Vtrinque allegabatur antiqua Traditio. Vtrobique frequens erat B. Lucæ cultus, ac veneratio ex conferta multitudine ciuium, & accolarum. Poſt diutinam tamen diſquiſitionem, Patauinis adiudicata cauſa eſt in Romana Curia. Et Venetis Franciſcanis, nihil profuit producta, & vulgo iactata Traditio. Matthæus Lauretus hæc narrat Tract. de Tranſlat. S. Bendicti cap. 17. Poſſem & alia exempla afferre. Sed hæc ſatis ſint. Vnde colligitur, permultas eſſe quas nuperi, de ſuis patribus, & patrijs ſcriptitant narratiunculas, Traditionis vocabulo cohoneſtatas, quæ poſtmodum à doctis, & prudentibus viris, falſæ eſſe deprehenduntur, & fallaces. Quocirca, Tulliana verba huc aptari poſſunt. *Ijs ſe vocabulis*, Traditionis, & famæ, *locupletes nonnulli faciunt, cum habeant nihil*. Optimè S. Cyprianus ep. 63. ſi rectè recolo. *Conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt*.

Age nunc, & altum, ac diuturnum de hac re ſilentium, apud antiquos, ponderemus. Quàm verò ſit validum hoc à ſilentio argumentum, præter Theologos, de quibus ſupra, docuit etiam Bartol. in l. final. C. de reb. credit. his verbis. *Probatio eſt aliquem non ſoluiſſe collectam, ſi in libro ſoluentium non reperiatur ſcriptus: nam ſoluentes collectam, in libro ſoluentium adnotantur*. Dico igitur: quod à nullo antiquo ſcriptore, neque Beneuentano, neque extero, eſt memorata iſta Traditio. Ipſeque Vipera nihil de ſcripto profert, quod B. Ianuarius ſit Beneuenti natus, niſi quod Cyphius Senator, non ſolum ſacra corpora SS. Feſti, & Deſiderij, ſed etiam, venerabile corpus S. Ianuarij, ad ſe aſportandum, per ſeruum ſuum curauit. Quod quidem etſi verum eſſet (multas quippe habet difficultates) nihil aliud probaret, niſi voluiſſe eum, illos duos ſanctos clericos, cum ipſorum Epiſcopo ſancto coniungere,

gere,& cõtumulare. Profectò,nõ omiſiſſet Vipera citare antiquum Scriptorem aliquem,ſi habuiſſet,qui affirmaret,id quod caput eſt, & ſumma rei, de qua agitur.

Admirandum certè ſilentium: vt de tanto ciue, & per totam ferè Italiam,etiam tunc cum viueret celebri,nullus vetuſtus liber,nulla tractatio, nullus apex appareat illorum quos legi Beneuentanorum Scriptorum (nam de exterorum ſilentio,non eſt adeo admirandum) quo Beneuentana iſta Traditio,& vaga fama firmetur. Non Acta B.Ianuarij,quæ Beneuentana legit Eccleſia. Non Erempertus,qui Beneuentanus fuit è ſtirpe Ducum. Non Falcus Beneuenti Chronologus. Non alius quiſpiam. Peruolui equidem multos Beneuenti MM.SS. Codices, Kalendaria videlicet, Lectionaria, Hymnaria, Emorrualia, & antiquum etiam illius Eccleſiæ Martyrologium. Sæpè in ijs memoratum legi B. Ianuarium Beneuenti Epiſcopum,Ciuem autem nunquam,nuſquam legi. Cum tamen (quod eſt valdè notandum) in hiſtorijs aliorum Beneuenti Sanctorum legatur, eos Beneuenti eſſe ciues:idemque affirmēt,etiam exteri antiqui Scriptores. Reperi præterea ego,varios libros peruolutando,duos Sanctos, vnum Martyrem, alterum Epiſcopum(data occaſione nomina dabo) quorum Acta, & Vitæ, produnt fuiſſe Beneuenti natos. Ergone ſolius Ianuarij ignota patria fuit, ignota incunabula,ſi Beneuentanus fuit? Nemo enim id ſcripſit,nemo vel leuiter memorauit. Exitioſa itaque Beneuētanis hæc taciturnitas eſt. Nam taciturnitas,quæ alioqui muta vocari ſolet,in hac re dici profectò poterit, valde loquax aduerſum illos,& imbecillem illam Traditionem. Imbecillem,inquam: etenim iam ſupra expoſui,quàm caduca ſit illa Traditio,quæ graui Scriptorum auctoritate non ſaburratur.

Sed quid dico de ſcriptis,librisque mortuorum,qui ſilendo clamant? Ipſi etiam viuentes, viri alioqui,ore,& efficacia vocaliſſimi, cum de B.Ianuario ſermò eſſet faciendus, de eius quidem Beneuentano Epiſcopatu, abundè loquuntur: de Beneuento autem patria, quam nunc Beneuentani dictitant,prorſus tacent. Et eo loco,& tempore tacent,quo,ſi id verum eſſet,verbis ſignificare deberent. Capitur Epiſcopus Ianuarius à lictoribus, iuſſu Timothei Proconſulis,quod Acta antiqua narrant. Veniunt Feſtus,& Deſiderius Beneuentani Clerici Nolam vſque. Rogo vos, Beneuentani. Quid illos mouit,vt B.Ianuarium tam officiosè inuiſerent? Dicetis,Quia ipſorum erat Epiſcopus. Benè eſt: ſed ad veſtram cauſam tuendam,id non ſolum non ſufficit,ſed non parum officit. Anne igitur,reſpondebitis, Quia & ipſe Ianuarius erat Beneuenti ciuis? At verò,vndè hoc habetis,cum Sācti illi Clerici,nihil de hac re,ſermone attigerint? Toti quippe ſunt in deploranda facti indignitate, & Timothei in talem Sanctum Eccleſiæque vtilem Epiſcopum iniquitate. *Quare*,inquiunt,*tantus,& talis Præſul tenetur in vinculis? Quid enim criminis admiſit? Vbi non ſubuenit periclitantibus? Quis ab eo æger viſitatus,non ſtatim ſanatus eſt? Quis ad eum triſtis aduenit, & non gaudens diſceſſit?* Denique,nihil quod ſuum ciuem amiſerint, lamentantes illi Beneuentani Clerici exponunt. Nullatenus commemorant Patriæ iacturam,ſed ſolummodo recenſent laudanda,& admiranda B.Ianuarij Epiſcopi,in gregem ſuum egregia facta. At verò,ſi is,non modo Epiſcopus,ſed ciuis etiam Beneuenti fuiſſet,quis neget eoſdem lamentaturos quoque fuiſſe,nobiliſſimi ciuis propinquum vitæ periculum, & imminentem Patriæ calamitatem? Arbitror certè, ſyncerum quoque Lectorem, qui ſeriò rem conſideret,noſtræ huic exiſtimationi conſenſurum.

Si-

Simile argumentum ſumi poteſt ex facto Siconis Beneuentani Principis, atque dicto. Euolui ego non ſemel illam vetuſtam narrationem ex MM. SS. Codicibus ſcriptam, Tranſlationis venerandi corporis S. Ianuarij, quæ ante octingentos annos facta eſt à Baſiliea Neapoli propinqua, Beneuentum. In ea itaque Tranſlatione Neapolitanis funeſtiſſima, ſi quæras, Quamobrem Sico D. Ianuarium Neapoli abſtulerit, & Beneuentum ipſemet intulerit, illa vnica ratio adducetur, quòd Beneuenti Epiſcopus, ſuæ ſedi iure, ac merito deberet vel mortuus reddi. Quocirca, is, qui ſcripſit Acta Tranſlationis, illique interfuit, ſic loquitur. *Lætatur Sico Princeps, quòd Patrem ſibi, ſuiſque reduceret, quem nullus poterat præcedentium Principum reuocare.* Cur *Patrem*, hoc eſt, Epiſcopum, vocat, non autem, & ciuem? Vis vt breuiter dicam? Quia B. Ianuarius Epiſcopus quidem Beneuenti fuerat, ciuis non fuerat. Valet enim hoc loco illud legale pronunciatum. *Qui de vno dicit, de alio negare videtur.* Nulla enim tunc fuit cauſa tacendi de ciue, immo omnis cauſa, & opportuna occaſio id dicendi aderat, ſi fuiſſet ciuis.

Quocirca, valde frigida eſt reſponſio illa, quam Anonymus, ne nihil dicere videatur, adducit, inquiens. *Superfluum fuiſſet ciuem nominare, quia ciuis erat.* Non aduertens quòd, ſi hoc eius effatum verum eſſet, ſuperfluum etiam fuiſſet vocare *Patrem*, ſiue Epiſcopum: iam enim omnes, qui illic erãt ſciebant B. Ianuarium fuiſſe Epiſcopum. O quantum cæca eſt neceſſitas! Senſit ſe cenſor argumento obſtrictum, nec viam videbat euadendi. Quid facit? Id negat de S. Ianuario debere dici, quod de Socijs eius, antiquus ille Actorum ſcriptor iterum, atque iterum dicit, his verbis. *S. Soſium Diaconum ciues ſui Miſenates tulerunt. Puteolani quoque, S. Proculum Diaconum, & S. Eutycetem, & S. Acutium ciues ſui tulerunt.* Ecce, ſcriptor ille, non exiſtimat ſuperuacaneum iſtos Sãctos Ianuarij Socios, poſtquam Diaconos appellaſſet, appellare & ciues, quia verè erant ciues. Anonymo autem videtur ſuperfluum, B. Ianuarium appellare ciuem, *quia erat ciuis*. Hanc etiam egregiam regulam adhibet, cum vult, Gualterium Tarentinum Archiepiſcopum, ex ciue Neapolis, facere Beneuenti ciuem: cum tamen conſtet ex antiquis Eccleſiarum tabulis, & ex Summorum Pontificum Bullatis literis, quas Ferdinandus Vghellus Abbas Ciſtercienſis, vir Eccleſiaſticarum antiquitatum peritiſſimus, propediem tradet imprimendas typis, fuiſſe Neapolitanum. Siſtit tamen in ſua hac regula Anonymus, docetq; eſſe ciuem, cauſam poſſe eſſe tacendi, quòd ſit ciuis: &, quod eſt futilius, id nobis exẽplo Catalogi Epiſcoporum Beneuentanæ Eccleſiæ nititur perſuadere: aſſerens ideo in illo Catalogo, Epiſcopis exteris tantummodo fuiſſe patriæ nomen adiectum, ciuibus autem Beneuentanis nequaquam, quia id ſuperuacaneum æſtimaretur. Quaſi verò, norma loquendi, & tacendi Catalogus ille ſit. At in ipſomet Catalogo hallucinatus eſt. Nominat enim Catalogus ille, cuius exemplum apud me eſt, quoſdam Beneuentanos ciues, vt Landulphum Radulphi Ducis filium, Franciſcum de Rubino, & alios quoſdam, quorum, eo ipſo quòd proſapiam declarat, declarat & patriam. E contrario autem, quoſdam exteros nominat, tacita ipſorum & patria, & proſapia.

Sunt præterea aduerſus cenſuræ auctorem aliorum quorundam haud taciturna ſilentia, quæ conſideranda erunt, animo nulla ſiniſtra affectione præoccupato. Ecce enim tota plebs Beneuentana, cum ſacrum Epiſcopi ſui corpus à Sicone delatum læta celebratione exciperent, omnes fauſta

voce dixerunt. *Benedictus qui venit in nomine Domini: quia poſt tot tempora, Patrem noſtrum accipere meruimus.* Ecce, *Patrem noſtrum*, inclamant, & congeminant: non, *ciuem noſtrum*. Qui tamen, non minus gloriari potuiſſent, ſe rantum ciuem excipere, & habere, quàm Præſulem. Quid ita? Adeone obſcurus & vilis eſt hic ciuis, vt memorari non ſit conducibile? Neminem arbitror id dicturum. Silentij igitur Patriæ, alia cauſa extitit. Quænam? Quia non erat ciuis. Alioquin, quis non vider, quòd ſi B. Ianuarius non modo Epiſcopus, ſed ciuis etiam Beneuenti fuiſſet, hoc proculdubio plebs illa, & Proceres expreſſiſſent? Nonne ipſa natura dictante, vniuerſi Ordines Beneuentani, qui ad ſacrum Ianuarij corpus excipiendum confluxerant, impenſius conclamaſſent, ſuum Beatum ciuem, in ſuam caram Patriam reportari, & ad ſua illum reponi cunabula? Nulla certè vnquam fuit, nullaque eſt, vel infima ciuitatula, cui ſi ſolemni celebritate excipiendus ſit Epiſcopus, qui ſimul Præſul ſit, & ciuis, non gloriabunda clamitet, ſe ſuum ciuem habere Paſtorem. Et erit nihilominus, qui imaginari poſſit, adeo claram, & amplam Vrbem Beneuentum, ſi S. Ianuarij Patria fuit, ipſam ſolam deſciuiſſe à naturali loquendi modo, à conſuetudine omnium Vrbium, ab officio verbis exprimēdo, in omnibus patrijs, in ſuos ciues vſitato. Ipſamque ſolam, fuiſſe tanti ciuis in tam magna occaſione, tam profundè oblitam? Profectò id mihi, & cordatis lectoribus perſuadebit nemo.

Vis Lector plura? Plena enim eſt hæc materies argumentorum. Ipſemet inclytus Ianuarius, antequam Neapoli diſceſſiſſet, fideli cuidam Neapolitanæ mulieri apparuit, vt Acta Tranſlationis longiuſculè à principio tradunt: eamque fecit certiorem, ſe Neapoli propediem diſceſſurum. Mulieri verò ſciſcitanti, quonam abire vellet? Reſpondit, *Beneuentum: plebs enim mea eſt.* Expende mecum lector hæc verba. Non, inquit, Neapoli emigro, & Beneuentum abeo, quia ciuitas illa, mea patria eſt: ſed, quia *plebs mea eſt:* Mihi ſcilicet Epiſcopo, à Paſtorum Principe commendata. At verò, ſi ciuis etiam Beneuenti fuiſſet, procliue quidem eſt, vt, quiſquis hoc leget, exiſtimet illum fuiſſe dicturum, ſe Beneuentum abire, quia Paſtor fuerat eius Vrbis, & ciuis. Non enim obliuiſcuntur cœlites terreſtris patriæ. Neque dedignantur oſtendere ſe ciues, qui præcipuo ſtudio ſolent, niſi peccata obſtent, ab alto æthere ciues ſuos fouere. Audi D. Maximum Taurinenſem Epiſcopum, & ciuem, ſerm. 85. *Mater quodammodo dulcis eſt patria quæ alumnum ſuum, nuſquam, & nunquam immemorem ſinit eſſe ſui.* Quare igitur B. Ianuarius, ſe Epiſcopum Beneuenti dicit, ciuem nō dicit? Quia, ſcilicet, quàm verum eſt Beneuenti Epiſcopum fuiſſe, tam à vero longinquum eſt, Beneuenti cunabula habuiſſe.

Hactenus, viuentium hominum taciturnitas, à me producta eſt, vt Traditionem Beneuentanorum, teſtibus eſſe deſtitutam clamet. Nunc autem, ipſorum etiam parietum ſilentium proferam, illis aduerſum. Sed de hoc §. ſequenti. Contendentibus Beneuentanis, domus cuiuſdam teſtimonium, pro ſe ſtare.

## *Quidnam de Domo, quæ Diui Ianuarij fuiſſe dicitur, ſit ſentiendum.*
## *§. VI.*

EXtat Beneuenti Domus quædam,quam dictitant illam eſſe,in qua mater S.Ianuarij, cum audiuiſſet ſuum filium in Nolanum carcerem fuiſſe coniectum,illico beatum ſpiritum exhalauit. Neque hic ſiſtunt Beneuentani.Sed,vt refert Anonymus,id inſuper ex Traditione ſe habere affirmant.Videlicet,in ea Domo B.Ianuarium fuiſſe natum.Nullum tamen ſcriptorem proferunt,qui hoc aſſerat. Interroganda ergo Domus, &, quid ſilentio ſuo dicat,attendendum. Nam certè Beneuentanis minimè ſuffragabitur.Compertum enim mihi eſt,eam quam oſtentant domum,etſi noua dici non poteſt,non eſſe tamen adeo vetuſtam,& caſcam, vt ætatem ſæculorum prope quatuordecim repreſentet. Tot enim ſæcula, illi danda ſunt,ſi parentum Ianuarij domus fuit.Aſpexi ego illam,cum Beneuenti eſſem,cominus:& mecum nonnulli alij.Mirum profectò viſum eſt, ac prorſus difficile creditu,tanti,vt aiunt, temporis Ædem adeo paruis, & paucis nunc rimis hiſcere.Proſtat igitur,& preſſis labijs dicit. *Non ſum illa domus*. Ne autem me ſeuerum nimis arbitrum, Beneuentani putent,ecce Alciatus prodit magnus ille Iuriſconſultus, atque Hiſtoricus. Hic cum Mediolani vidiſſet palatium illud,quod vulgus Traiani Cæſaris fuiſſe opinabatur, non eſſe rimoſum, neque ruinam comminitans, iure ac merito, Hiſtor.Mediol.lib.2. cenſuit,illud nequaquam fuiſſe Traiani domicilium, ſed Luchini Vicecomitis, qui duodecim circiter ſæculis, fuit Traiano poſterior.Quid prudens iudicium amplexati ſunt poſteri.Rectè quidem;nam lenis eſt iuuenum vultus,rugoſus ſenum. Non poterunt igitur pro Beneuentanis teſtificari parietes illi,nulla fermè rima,nullo hiatu patuli.Dicet fortaſſe quiſpiam,Pantheon illud admirabile Romæ, Dominicum aureum Antiochiæ,& Sophiæ Templum Conſtantinopoli,&,vt ait Bilocta, Multa ſacra ædificia Beneuenti antiquiſſima,& ſublimiſſima, adhunc vſque diem extare,ac ferè integra,quæ nec diſſiliunt æuo, nec rimis videntur apertis. Verum id quidem eſt. Sed iſtam Beneuentanam Domum, de qua loquimur,non eſſe tam firmis,tamque immenſis extructionibus ædificatam, ipſi pœnè cœci vident.Ergo,quòd rimas adhuc non egerit,ea cauſa eſt,quia multis fortè ſæculis poſterior eſt ea domus,ætate B.Ianuarij,& matris eius.

Quod ſi Beneuentani dicant, ideo parietes illos non eſſe rimoſos, quia antiqua illa Ianuariorum domus, vetuſtate corruit, & inſtaurata aliquoties fuit,ac innouata.Ipſi certè ſibimet,hoc dicto aduerſabuntur.Nam conſequenter,negabunt extare nunc illos ipſos antiquos parietes. Simulque fiet,nequaquam à Beneuentanis eos oſtendi aduenis poſſe,& adſtanti populo dici.*Hæc eſt illa beata domus.Hoc in cubiculo,felix illa mater*, D.*Ianuarium peperit*.Sed ſolummodo licebit dicere.*Hoc loco domus fuit;* ſi tamen illa fuit.Exemplo ſint plures antiquæ Sanctorum domus, quæ Romæ, Neapoli,& in alijs pleriſque vrbibus olim extabant. At quia poſteri in earum parietinis,Templa,vel ſaltem Ædiculas extruxerunt, illæ nunc non appellantur, neque appellari poſſunt, *Domus Sanctorum*, ſed Eccleſiæ illis locis ædificatæ, quibus domus illæ antiquæ ſteterunt. Itaque Romæ domus

SS.Cæciliæ, Valeriani, Marcelli, atque Alexij: Neapoli, domus S.Agrippini Epiſcopi, in Templa verſæ ſunt, & à fidelibus adeuntur, non vt iam domus, ſed vt Templa extructa, vbi fuerunt dirutæ illæ domus.

Fuiſſe quidem Ianuarij matrem Beneuenti, credibile eſt. Solet enim matrum amor eo progredi, vt cara pignora ſollicitè comitentur. Sic Monica ex Aphrica in Italiam cum Auguſtino filio venit, ac Mediolani diu māſit. Sic in Menologio Græcorum die 13. Martij, Pomenia mater Alexandri Martyris, filium Romam vſque, & Bizantium proſequuta legitur, ibique demorata, quouſque tormentorum ille victor euolauit in cœlum. Sed in ea domo habitaſſe, quam oſtendunt, ipſamet domus, ob ea, quæ dixi, facit ne ſit credibile. Quod etiam ſuadetur, ex eo quia ab ipſis quoque Beneuētanis, haud magni olim ea domus æſtimata fuiſſe videtur. Obſeruandum eſt nullam ferè extitiſſe in Italia Vrbem, quæ certo ſciuerit domum quampiam ſe habere ab aliquo ſancto homine in Diuorum numerum relato inhabitatam, quam in Eccleſiam non conuerterit. Notabis autem Lector aliquando etiam viuente ipſo, qui poſtea vt ſanctus cultus fuit, natale ipſius ſolum, Deo fuiſſe ſacratum. Lege vitam S.Placidi à Gordiano conſcriptam, cap. 12. vbi Tertullus pater eius, Domum in qua Placidus filius eius natus fuerat, in vrbe Roma in Cœlio monte, B.Eraſmi nomine dicauit, ac Sancto Benedicto conceſſit. Tuetur ſe Bilocta exemplo D. Caroli in Vritana ciuitate nati. Et Beati Io.Capiſtrani, & Claræ à Monte Falco. Sed quanto temporis interuallo hi à Ianuario diſtent, qui ſub Diocletiano ſanguinem fudit pro Chriſto, cum videat quiſque, redarguit etiam Beneuenranorum ſocordiam, immò negligentiam, cultum Epiſcopo ſuo non reddentium. Diſplicuit autem mihi, Biloctam in hoc, relicto exemplo Vrbis, & præcipuarum Italiæ ciuitatum, Oppida & ciuitatulas in ſui defenſionem adduxiſſe. Præterquam quòd S.Carolus ibi natus tantum aſſeritur, non longo incolatu demoratus: neque Epiſcopali eius vrbis dignitate decoratus. Quod ergo tot ſæcula prætererint, quot illi iam dictæ domui tribuūt, nec vllam tamen eo loco in B.Ianuarij honorem excitarint Eccleſiam, cauſa alia non apparet, niſi, quòd ſuperioribus ſæculis, nondum orta ibi erat traditio illa, & fama de Beati Ianuarij incunabulis. Atque indidem mihi videtur eueniſſe, vt domus illius habitatio (quod à Beneuentanis audiui) & olim locata ſit, hodieque locetur: cubiculo vno, quo B.Ianuarium natum fuiſſe dicunt, paucis ab hinc annis excepto.

Tandem, aduerte Lector, id quod Camillus Tutinus aduertit, nempe, quòd ſi Ianuarij domus iſta fuit, certè non huius Neapolitani fuit, ſed alterius Ianuarij, qui & Beneuenti Epiſcopus fuit, floruitque anno 347. interfuitque Concilio Sardicenſi cum Calepodio Epiſcopo Neapolitano, & Vincentio Capuano. Vide ipſum extremo capite Vitæ S.Ianuarij. Quòd ſi dicas, huiuſce ſecundi Ianuarij tempore, fuiſſe redditam Eccleſiæ pacem, ideoque licuiſſe Epiſcopis publicas habere domos: id haud inficior: & aſſero, huic Epiſcopo licuiſſe publicè in ea domo habitare. Sed hoc nihil ad rem noſtram, ad auferendam huic ſecundo Ianuario domum.

*Iudicium*

### *Iudicium de Nou-antiquo Cyphij Epitaphio, Beneuenti, vt dicitur, reperto.*

### §. *VII.*

A Quo-nam, & quando fictitium hoc epitaphium compoſitum ſit, ac in marmore ſculptum, & parieti Eccleſiæ Sanctæ Luciæ affixum, proſus ignoro. Suſpecta tamen res eſt, ſi obſeruemus Viperam in ſua cenſura contra Neapolitanos, nullam prorſus huiuſce epitaphij mentionem feciſſe: cum illam ediderit anno 1633. & epitaphium dicatur inuentum die 15. Iulij anni 1624. in publicis tabulis notarij, cuius hæc ſunt verba. *Repertum, vt dicunt, ſub terra imis.* Siccine formidabile telum cõtempſit Vipera? Si qua verò fides mihi adhiberi debet, hoc cum veritate aſſero. Deciduo autumno eiuſdem anni 1624. me Beneuentum adijſſe, non mœnia ſolum, marmora, & Templa perſcrutatum, ſed minutula quæque diligentiſſimè rimatum, inueſtigandis antiquitatis ruderibus, ipſo etiam Vipera comite, ac indice: & tamen, nihil de hoc epitaphio ante paucos menſes, vt volunt, reperto. Quin etiam, & Beneuentanis lapidibus, à Gualthero ſumma diligentia collectis, fateor ab ipſis me fuiſſe honeſtatum, in quibus tamen de Cyphiano iſto epitaphio nihil. Ab ipſo etiam Gualthero, quicũ amicitię vinculo nexus fui eoſdẽ accepi lapides, Cyphiano excepto. In hoc itaque refellendo partes meæ erunt: Ac, non meæ ſolummodo, ſed & aliorum. In gratiam Lectorum, iterum illud hic aſcribendum cenſui.

D. M.
IANVARIO, ET FESTO : : : : IDERIO BEN.
VT QVOS IVNXIT VÑA
AMOR, PATRIA, ET MORS
SERVARET MONVM.
: : : CYPH. S. EXORATA PLE.
M. P.

Hiulcum illud implendum eſt ſic. ET DES. contracta verba extende ſic. BEN. *Beneuentanis.* CYPH. S. *Cyphius Senator.* MONVM. *Monumentum.* M. P. *Monumentum poſuit.* His ipſis punctis, & commatibus diſtinctum extat impreſſum. Suſpicioſum mihi redd'derũt epitaphium iſtud, & opinationes meæ, & doctorum virorum, quos conſului Reſponſa.

Et primo quidem, epigraphe illa. D. M. hoc eſt *Dijs manibus*, gentiliſmum redolens, vnde-nam in ſepulchro Martyrum aducta eſt? Conſtantini æuo vixit Cyphius: quando Chriſtiana religio caput iam erexerat. Hic ſi athletis Chriſti monumenta erexiſſet, vtique idololatriæ perſecutor cẽſendus eſſet. Cur ſacra profanis miſcuiſſe aſſeretur? Paulo clamante. *Quæ conuentio lucis ad tenebras? Aut quæ communicatio Chriſti, & Belial?* Paulo inquam, qui alias dixit. *Fugite ab idolorum ſculptura, Nolo vos ſocios fieri Dæmonũ.* Sed ignotus iſte Beneuentanus (ſi Beneuentanus fuit) facit Sanctos dæmonum ſocios. Dominus Bilocta interpretatur. *Diuis Martyribus.* In qua interpretatione bis peccat. Primò, quod ſibi vetera interpretandi, auctoritatem arrogat: cum nemini liceat aliter ea interpretari, præter id, quod antiqui ipſi nobis tradiderunt. Et iterum, quòd *Diui* nomen vſurpat, à nemine vnquam, primis illis ſæculis, Sanctis attributum.

Dum

Dum dicitur *Et Feſto,& Deſiderio*,illud primum *Et* redundat,atque ſuperfluum eſt. Minimum hoc erratum eſt: ſed indignum eo Senatore,nec non & tempore, & ciuitate Beneuenti.

*Ben.* exponunt *Beneuentanis*. Inſueto prorſus breuiandi modo. Legatur Gruterus in Inſcriptionibus Orbis: Legatur Gualterus in Tabulis Siciliæ. Hi docebunt, talem decurtandi modum recentem eſſe, nec vnquam apud antiquos reperiri,apud quos *Beneuent.* vel *Beneuentan* ſemper legitur. Accedit τὸ *Ben.* ſolitarium,extendi, vt *Beneficium*, ſiue *Beneficiarium* ſignificet. Dixi *Solitarium*: Nam ſi ſubſequa ſit littera *m* ſignificabit, *Benemerenti*. Sic Gualterus pagina 72.

Interiacentes virgulæ inter Sanctorum nomina,nequaquam redolent antiquitatem. In epitaphijs enim antiquis,aut nihil ponitur,aut punctum. At neque in fine verſuum, puncta aliqua eſt videre in antiquis Inſcriptionibus apud Gruterum,ſicut in iſta ficta Inſcriptione.

Pendet locutio iſta,alioqui debilis,ac frigida. *Vt quos iunxit amor, patria,& mors,ſeruaret monumentum*. Dicendum namque erat, *idem*, ſiue *vnum ſeruaret monumentum*.

Quiſquis ille fuit, qui è ſuo cerebro eam compoſuit Inſcriptionem, incautè dum *Cyphij* nomen decurtauit,poſuitque *Cyph.* non aduertit *Auctoris*, ſiue *Poſitoris* monumenti nomen,nunquam decurtari. Ac tum maximè, cum is obſcurus potius ſit,quàm notus. Iterum Gruterus eſt conſulendus, præſertim cum de *Cipio*, aut *Ceppio*, conſimili prorſus nomine cum *Cyphio* meminit,integro ſemper,ac nequaquam, ne in literula quidem decurtato nomine. Vide ipſum tomo 1.pag.676. & 679. & tomo 2.pag.1077. Quod non de *Cipio* ſolum dictum eſto,ſed de quocunque etiam *Poſitore*.

Sequitur. *Exorata plebe*. Cuius nam ego prius vicem indoleam, neſcio. An beatæ illius trigæ Martyrum,an Cyphij Senatoris. Illis quidem,conciuibus Beneuentanis,illic tumulatis,vt Epitaphium inſcriberetur, exorãda fuit plebs Beneuentana? Anne repugnabat illa,hoc obſequij genus,ſacris ipſorum lipſanis exhibere? Sed iam Chriſtiana erat, eique ad Chriſtum per Photinum Petri diſcipulum conuerſæ, trecenteſimus fluebat annus. At verò ſi Cyphius Senator erat(literam enim S. Vipera interpretatur *Senator*,)vt quid plebis voluntate in ſepulcri erectione detinebatur, ita vt neceſſe fuerit illam exorare? Exiſtimo autem,Beneuenti,inſtar Romæ,Tribunum plebis maximam habuiſſe in eam auctoritatem. Legendus Cicero orat.2.de legib.& ibi Manut. Quod ſi ſecus fuit,ad Beneuentanos ſpectat, huius municipalis legis nos facere certiores. Tuncque dicam,ſcribendum potius fuiſſe *conſentiente*:non, *exorata plebe*.

Sed,quando antiquitatem non redolet hæc Inſcriptio,vtinam ſaltem pietatem redoleret! At quiſnam Beneuentanorum æquo animo ferat,nullam hic ſanctitatis,aut dignitatis,aut martyrij,fortiſſimorum athletarum fieri mentionem? Dicam cum Cicerone. *Ex hoc maximè vitanda rei tam neceſſariæ,tanta incuria*.

Aduertendum tandem eſt, quod quamuis repetatur bis *Monumenti* nomen,monumentum tamen nullum hic eſt. Cum enim monumentum,aut *laudatorium*,aut *ſepulcrale* eſſe debeat,hic neutrius generis eſt. Nam *laudatorium* quidem dici non poteſt,quod laude omni caret,cum neque ſanctitatis titulo,defunctos cohoneſtet. Neque ſepulcrale: quandoquidem,Senatore Cyphio,corpus Sancti Ianuarij,non Beneuenti,ſed in agro Marciano erat,

erat,vnde Neapolitani illud extulerunt, atque in Ædem ſacram prope Neapolim collocarunt.Deflectit ergo à veritate Inſcriptio.

Hanc ego cenſuram huic epitaphio appendo. Nunc quid cœteri à me conſulti ſenſerint,libenter adijcio. Nolui enim in re tanti momenti, mihi adblandiri.

Abrahamum Bzouium merito primo loco afferam:virum Europa tota celeberrimum,atque veluti Baronium rediuiuum. Is lectis,quæ de hoc epitaphio collegeram,tale edidit de me teſtimonium. *Quod ex præfracto nouitia Inſcriptionis marmore, Diuum Ianuarium magnum Martyrem exemerit, illumque non Beneuentanæ,ſed Parthenopeæ Vrbis ciuem, certioribus argumentis fuiſſe conſtabiliuerit* R.P.*Antonius Caracciolus,ex Inſtituto Theatinorum Theologus,Vindicis, & Antiquarij titulos promeretur. Ita cenſeo Romæ Kalend. Nouembr. Anno MDCXXXV.*Ego *Abraham Bzouius S.T.Magiſter.Ord.Prædic.*

Huic ſubnecto Leonem Allacium, Graij, & Latij ſermonis peritiſſimum,principibus ideo viris,ac litteratis omnibus,ob ea,quę edidit,vertit, illuſtrauit,meritò cariſſimum. Huius ad me litteræ Iulio anni 1632 datæ, inter alias,hæ particulæ,epitaphij veritatem confringunt. *Præter inſuetum illum breuiandi modum, nimirum* Cypb *pro* Cyphio *ponendo, illud etiam explicandi* S. *pro Senator, nullibi inuenitur: quamuis* S. C. *pro Senatus* Conſulto *ſæpiſſimè exprimatur.Formula item illa.Exorata plebe,niſi municipalem aliquam legem redolet, quidnam ſignificet,non video. Neque item, Ple. pro plebe:& repetitum monumēti nomen ibi M.P.*

Martius Mileſius Sarzanenſis, candidi ſenex iudicij, cuiuſque opera Gruterus in Opere illo ſuo Inſcriptionum Orbis vſus fuit, hanc de epitaphio protulit ſententiam. *Fictitium eſt,& recentis compoſitoris inuentum.*

Andreas Victorellus,dignus in quem Leo Allacius,talis ac tantus vir tot laudes cumulauerit in Opuſculo ſuo Apum Vrbanarū, cum audiſſet à Martio Mileſio prolatum iudicium,probauit illud: inque eius laudem,vtpote in virum de antiquitate optimè meritum excurrit. Alios prætereo multos,qui Romæ conſulti fuerunt,quos tacito nomine idē ſenſiſſe, ſcripſit mihi quidam non obſcuri nominis amicus.Quorum vnum,idemque fuit effatum. *Nouitiam videri Inſcriptionem,minimèque antiquam.*

Ad hæc,quid Academia Veronenſis Filarmonica ſenſerit,illa ſcilicet Academia,in quam verè illud Scaligeri quadrat. *Non animi, non & ingenij vigor acrior vſquam.* Teſtimonium ab eius Regentibus dato, & obfirmato declarat,quod eſt huiuſmodi. *Cuncta,quæ epitaphio oppoſita fuerunt,optima ſunt, atque ſubſiſtunt. Addi etiam poſſet,quòd locus ſepulturæ à Decurionibus municipiorum,non à plebe concedebatur. Vnde in epitaphijs illud ſæpiſſimè legitur,* L. D. D. D. *hoc eſt. Locus datus decreto Decurionū. Improprium præterea eſt illud,ſeruaret: Monumenti enim eſt,tegere,non verò à corruptione ſeruare. Sic in pleriſque Inſcriptionibus. Quid præterea,doctiſſimis,& erudıtiſſimis oppoſitionibus addamus, non habemus.*

Mediolanum quoque,vbi litteratorum eſt copia,adire volui. Accepi inde litteras anno 1635 Nonis Iunij à Paulo Sfondrato noſtræ Religionis Sacerdote,Gregorij Quartidecimi Pontificis Maximi ex fratre pronepote, viro integerrimo, & ſacra, profanaque eruditione cōſpicuo,his propemodum verbis. *Hæc Inſcriptio communi omnium conſenſu reijcitur. vtpote adulterina, & fictitia.* Et iterum XVIII.Kalen. Decembris. *Redeunti è Belgio Emanueli Theſauro,viro ad miraculum,in re antiquaria nato, Inſcriptionem oſtendi. Reijcit*

ipſe

*ipſe illam, vti ſuppoſititiam: probat verò ſummopere adductas à te contra illam rationes: commendatque tuum de vera Sancti Ianuarij patria Opuſculum.*

Non itaque ſolus ego, & Neapolitanus deſipui, quando fictitiam eſſe inſcriptionem ſenſi: ſed mecum deſipuere tot doctiſſimi viri, & cæteri, nulla paſſionum prurigine titillati: ſed ſola veritate compulſi, pro venerandæ antiquitatis defenſione.

## *Demonſtratur, Coniecturas in Hiſtorijs locum habere.* §. *VIII.*

ANonymus ille auctor, eum ad veſtigandam veram D. Ianuarij patriam, coniecturas multas adduci videret, eaſque veroſimillimas, effugium illud adinuenit, ſua minimè dignum ſcientia. *Coniecturas* nempe, *non habere locum in hiſtorijs.* At longè fallitur. Sunt enim ipſæ ad veritatem veſtigandam, vel magis magiſque firmandam, cum vtilitate adhibendæ. *Ipſa quippe rerum tractatio, & quæſtio*, vt verbis vtar Tullij de Orator. lib. 3. *quotidiè gignit aliquid, quod veſtiges*. Ex antiquis, promam laudatiſſimum Criſpum *Romana primum in Hiſtoria.* Is enim, vix incipit Catilinæ coniurationem enarrare, & coniecturas adhibet. Nam, volens perſuadere Lectoribus, Athenienſium antiqua geſta, fuiſſe longè minora, quàm fama tradidiſſet, eaque factis Romanorum cenſenda eſſe inferiora, ea coniectura argumentatur, & euincit. Nimirum, quòd res Atheniĕſium, ac præcipuè reportatas bello victorias, magni ingenij, atque eloquij Scriptores expoſuiſſent: indeque eueniſſe. *Vt Athenienſium tanta haberentur, quantum verbis ea potuere extollere præclari Narratores.* Sed in priſca illa Romanorum Republica, *optimus quiſque facere quàm dicere, & ſua ab alijs benefacta laudari, quàm ipſe aliorum narrare malebat.* Idem Criſpus, paulò poſt, prudenter docet, clandeſtinas coniurationes in adytis Catilinæ domus, congreſſu fœdarum libidinum, & commeſſationum largitate ſociatas, non magis fama, quæ fallax eſſe ſolet, quàm coniectura ex manifeſtis Catilinæ ſceleribus ſumpta, odorari, ac detegi poſſe.

Tædet me per operoſum illud, ſed certè vtiliſſimũ Opus, inſcriptum *Penu Artis hiſtoricæ*, ſpatiari. Ibi enim, obuia multa eſſet inuenire, ad hanc penitus, & omninò firmandam veritatem. Ex alio tamen recenti Scriptore, ſed omnium calculis laudatiſſimo, Auguſtino Maſcardo Artis hiſtoricæ tract. 2. cap. 4. id conabor euincere. Doctiſſimus quippe hic vir, coniecturas appellat, *eruendæ occultæ veritatis efficacia inſtrumenta*. Quæ ſi cum iudicio, rerum circumſtantijs aptentur, nunquam, aut rarò, eum, qui ijs innitatur, fallent. Quinimo, earum ductu, ad infallibilem quiſque veritatis cognitionem pertinget. Exemplo id Milonis, Clodij interfectoris explicat. Cuius abſolutionem, vel condemnationem, ſiue, eſſet ne ipſe inuaſor, an inuaſus, ex Marci Tullij ſentĕtia in Oratione, quam pro eo dixit, ex factorum circumſtantijs docet eſſe veſtigandum. *Milo*, ait Cicero, *cum in Senatu fuiſſet, eo die, quo ad Senatum dimiſſus eſt, domum venit: calceos, & veſtimenta mutauit: paulìſper dum ſe vxor (vt fit) comparat, commoratus eſt. Deinde profectus eſt, id temporis, cum iam Clodius, ſiquidem eo die Romam venturus erat, redire potuiſſet. Obuiam fit ei Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis Comitibus, vt ſolebat, ſine vxore, quod nunquam ferè. Cum hic inſidiator, qui iter*

illud

*illud ad cædem faciendam apparaſſet,cum vxore veheretur in rheda penulatus, vulgi magno impedimento,ac muliebri,ac delicato ancillarum,puerorumque comitatu*. Vides,vt Cicero, ex coniecturis decernendum iudicat,quiſnam inuaſor,quis inuaſus cenſendus ſit?

Ad hæc,ſi coniecturas ex hiſtorijs elidat Anonymus iſte Beneuentanus,incautè,multum patriæ ſuæ ſplendoris adimet.Etenim audiui à Beneuentanis nonnullis, cordatis quidem, & eruditis viris, hac probabili coniectura ſuaderi poſſe,poſt Photinum primum Beneuento Epiſcopum à Petro datum,extitiſſe alios atque alios Epiſcopos,vſque ad D.Ianuarij inaugurationem,eo quòd, alioquin dicere oporteret rem abſurdiſſimam. Per totos ſcilicet ducentos quadraginta annos, qui inter Photinum, & Ianuarium abierunt,nullum Beneuenti extitiſſe Epiſcopum,qui regeret iam dudum fundatos in ea Vrbe Chriſtianos. Cogitur itaque Anonymus, ſi verum, & patriam amat, ingenuè fateri, coniecturas etiam in Hiſtorijs eſſe validas,& conuenienter,cum res poſtulat,adhiberi.

## *Solidiſſimis teſtimonijs probatur, Ianuarij patriam fuiſſe Neapolim.*

## §. IX.

Dixi ſupra §.5.*Silentium,& Diſſenſionem auctorum* obſtare vanæ Traditioni de patria Ianuarij,quæ ſit Beneuentum. De ſilentio ſatis ibi dictum eſt. Nunc Auctores cumulandi, qui ab ea diſſentiunt Traditione,dum Ianuarium Neapolitanum faciunt.

I. Inter omnes autem, primum locum habere debent Acta Martyrij S.Ianuarij,& Sociorum.Nam,non poteſt in hanc rem de qua agimus, adduci quidquam æuo antiquius, & auctoritate grauius, quàm Acta huiuſmodi à Diaconis,& Subdiaconis procurata, & ab Eccleſiæ Notarijs, iuxtà antiquorum Summorum Pontificum Clementis, Antheri, Fabiani, & aliorum legem exarata.Horum verò Actorum multa extant exempla, quæ ipſo charactere Longobardico,teſtantur antiquitatem.Ex his certis & publicis monumentis, dubio procul habetur B.Ianuarium fuiſſe Neapolitanum ciuem. Verba ipſa recitabo,atque expendam. *Chriſtiani verò diuerſarum Vrbium,cuſtodiebant corpora Sanctorum,Ianuarij videlicet,& Sociorum,vt ea nocte raptim tollerent,& in ciuitatibus ſuis ſepelirent.In ciuitatibus ſuis*, inquiunt, Hoc eſt in patria quiſque ſua,ciuem quemque ſuum tumularent. *Id enim ſubijci debet,* ait Iureconſultus in l.eum pater,ff.de legat.2. *quod verba ſecum trahunt.*Hoc namque verba illa trahunt.Ergo cauſa nulla apparet,cur,exẽpli gratia Miſenates Soſinm potius,quàm Proculum: & Puteolani Proculum potius,quàm Soſium: ac Beneuentani Feſtum, & Deſiderium potius, quàm Eutycetem,& Acutium,in ſuam quique patriam detulerint. Conſiderandum præterea eſt,iam dictam narrationem eſſe vniuerſalem.Itaque, omnes illos ſeptem Martyres comprehendit.Omnes enim nocte illa,è terra,in qua iacebant,ſublati fuere. Quo circa, ſicut Miſenates ideo Soſium, Miſenum tranſtulerunt,quia ciuis erat eiuſdem ciuitatis, eademque ratione Puteolani ſuum ciuem Proculum,ac Beneuentani ſuos ciues Feſtum,& Deſiderium: ita etiam neceſſariò inferendum eſt, ob id potiſſimum Neapolitanos ſuſtuliſſe B.Ianuarij corpus,quia ille Neapolitanus erat ciuis *& in ciuitate ſua ſepeliendus*.

Vt huius vim teſtimonij eludat Bilocta, prouocat ad regulas Grammaticales, contenditque τὸ *ſuis* ad ciuium patrias eſſe referendum. Dixiſſet clarius, breuiuſque, *ſuis* eſſe reciprocum. Cur id impugnet, neſcio. Cum ipſe in eundem impegerit ſcopulum, quando pagina 4. de Villano verba faciens, dicit, *ſuum teſtimonium*, debuiſſet enim dicere, *teſtimonium ipſius*. Sed meminiſſe debuerat Bilocta, eam *ſui* reciprocationem, haud eſſe perpetuò à Latinis ſeruatam. Et quia ad Grammaticos prouocauit, do illi exempla eorum, qui flores ſunt Latij illibati ſermonis. Teren. Hecyr. *Mater quod ſuaſit ſua*. Cicer. Attic. 4. *Vix tamen ſibi de mea voluntate conceſſum eſt*. Virgil. Æneid. 4. *Tum breuiter Barcen nutricem affata Sichai. Namque ſuam patria antiqua cinis ater habebat.* Sed magiſtellis ſcholarum iſta relinquamus. Ac demus Biloctæ reciprocationem *ſui*, quid ad ea verba cuiuſdam concionatoris, de quibus infra reſpondebit. *Qui Sancti* ſeptem, *vnuſquiſque eorum ciuitatis ſuæ perceptum à Domino Patronatum exercētes, &c.* Nulla enim hic ciuium eſt mētio, ad quos τὸ *ſuæ* referri poſſet. Ergo ad patrias ciuitates eſt referendum.

H. Hoc ipſum paulò poſt Acta eadem declarauerunt: & quæ generaliter dixerunt, diſtinctius explicauerunt, his verbis. *Corpora Sanctorum iacuerunt ad ſulfotariam*, alias ſulfurariam, *vbi poſtea dignam B. Ianuarij Eccleſiam condiderunt. Nocti verò, cum vnaquaque plebs ſollicitè ſuos ſibi Patronos rapere feſtinarent, Neapolitani B. Ianuarium ſibi Patronum tollentes à* Domino *meruerunt*. Habetur itaque ex Actis, vnamquamque ciuitatem, ſuos ciues, & Patronos habuiſſe, & in ſuis Eccleſijs ſepeliſſe. Ex Patrocinio itaque optimè infertur, & Natale ſolum. Quod in fine Actorum clarius elucet his verbis. *Qui Sancti*, ſeptem, *donante diuinitate, vnuſquiſque eorum, ciuitatis ſuæ perceptum à Domino Patronatum gerentes, omnibus petentibus, præſtare non ceſſant*. Quid clarius? *Ciuitatis ſuæ Patronatum*.

Hic mihi adnotandum eſt, perſecutionum rabie in Chriſtianos ſęuiēte, ex Dei prouidentia factum fuiſſe, vt ciues, ſuarum eſſent ciuitatum patroni: ac maximè ij, qui martyrio Chriſtum eſſent confeſſi. Lege Prudent. Hymn. in SSS. Fructuoſum, Auguſtinum, & Eulogium. Vitam S. Triphonis Martyris, Præfationem ſermon. S. Zenonis Veronen. atque alias SS. Hiſtorias. Cur autem Martyres præcipuè in patronos ſuos eligerent, explicat S. Io. Chryſoſtomus, Orat. in S. Babylam his verbis. *Sicut milites, vulnera in prælijs ſibi inflicta* Regi *monſtrantes, fideliter loquuntur, ita & illi*, Martyres *in manibus abſecta capita geſtantes, & in medium afferentes, quæcūque voluerint, apud Regem* Cœlorum *impetrare poſſunt*.

Præterea, collige hinc Lector, quàm ſit inanis illa conſequētia, quam Anonymus Scriptor, & Bilocta, ex verbis Actorum, & Romani Breuiarij deducunt: Videlicet, Ianuarium, quem diuino admonitu abſtulerunt Neapolitani, non abſtuliſſe vt ciuem, ſed vt Patronum. Quare verba illa *Dei admonitu*, quæ in Breuiario leguntur, tacitè indicare, in cœteris Sanctis, non fuiſſe opus *Dei admonitu*, quòd ciues eſſent: fuiſſe verò opus in Ianuario, qui exterus erat. Inanis, inquam, hæc opinatio cenſenda eſt. Quid enim prohibet, vt, ſicut aliæ ciuitates, eos quos abſtulerunt ciues, ſibi etiam patronos elegerūt, ſic etiam feciſſe Neapolim? Vtraque enim ratione à Neapolitanis id factum eſt: monente ſcilicet Deo, vt patronum eligerent, & legum, ac Cœſarum conceſſione, ciuem ſuum ipſis in ſuam ciuitatem inferentibus. Vtrumque Acta ſignificant, atque narrant. *Neapolitani B. Ianuarium ſibi Patronum tollentes à* Domino *meruerunt*. Siue, vt Breuiarium elegan-

tius

tius explicat, *diuino monitu extulerunt*. Ac poſtmodum. *Omnes ex genere Beatiſſimi Martyris Ianuarij, corpus eius tollentes, iuxta Neapolim tranſtulerunt.* Quod, in Ianuario ſolo dicat Breuiarium, *Dei monitu*, id fuit, quia de Ianuario tantum ſermo incidit. Quis Bilocțæ reuelauit, non vſurpaturum totidem verba Breuiarium, ſi de alijs quoque Sanctis fuiſſet loquendum? Si id ſiluit Breuiariũ, Acta non tacuerunt: dicunt enim de omnibus Sanctis illis Martyribus. *Qui perceptum à Domino patronatum gerentes.* Quid eſt hoc, niſi, *Dei monitu* patronatum exercere? Stat igitur ex patrocinio ciuitas.

III. Adhuc Acta explicatius, quod aſſerimus, narrant. *Poſtea verò, quieto iam tempore, Venerabiles Epiſcopi vna cum omnibus ex genere Beatiſſimi Ianuarij Martyris, cum plebe Dei ſancta, cum hymnis, & laudibus corpus eius tollentes, iuxta Neapolim tranſtulerunt, & poſuerunt in Baſilica, vbi nunc requieſcit.* Hæc Beneuentani ad patrocinium referunt, non ad patriam, quod iam exploſum à me fuit.

IV. Confert ad ſententiam noſtram, quòd in Actis legimus, Ianuarium in agro Marciano ſepultum. Ager enim ille, ad Neapolim pertinebat. Docet namque Plinius lib. 18. cap. 11. & lib. 35. cap. 15. colles Leucogæos, in Neapolitano agro fuiſſe. Et Puteolani aliquot, quorum de hac re epiſtolas habeo, aſſerunt, Marcianum campũ eſſe ex aduerſo lacui Aniano.

V. Ac præterea, cum in eiſdem Actis dicatur, conſanguineos D. Ianuarij funus eius in Tranſlatione curaſſe, & antea Neapolitanos, cum neci eſſet traditus, diuino admonitu illum extuliſſe, ad vetera iura alluditur, à Diaconis, & Notarijs, qui Acta iſta ſcripſerunt. Octauianus namque Auguſtus, lege lata, de qua leg. 9. ff. de offic. Proconſul. & Philo Iudæus contra Flaccum circa medium, à L. Vero, atque Diocletiano confirmata, ſtatuit, vt conſanguineis cadauera punitorum concederentur ſepulturæ tradenda. Nimirum, quia ad eos potiſſimum, natura ipſa docente, pertineret id ſupremum beneuolentiæ, & religioſæ pietatis officium propinquis præſtare. Quanquam non rarò contigerit gentilium rabie, ac maximè Præſidum, in Chriſtianos exardeſcente, legem iſtam violari. Itaque Chriſtiani, vel pio, vt ita dicam furto, vel ſubornatis ære cuſtodibus, cognatorum corpora obtinebant: eaque clam ſepulturæ mandabant, vel conſanguineis tradebant, &, ſi hi deeſſent, aliquibus patria fideque Martyribus coniunctis. Duo huiuſce rei exempla huc afferre libet. Primum eſt Sancti Abibi Martyris, quem Edeſſæ in Syria, igne præfocatum, *ij, qui ad eum attinebant*, inquit Actorum Scriptor apud Surium tomo 6. ideſt mater, alijque propinqui, de quibus paulò ante ſuperius meminerat, *pretioſo linteo inuolutum, & vnguentis delibutum, cum pſalmos, & hymnos, vti par erat, cecinisſent, prope Samonam, & Curium, Chriſti Martyres depoſuerunt*. In eadem ſcilicet ciuitate Edeſſana ipſorum omnium patria. Alterum exemplum eſt in vita S. Luciani Martyris, ex Metaphraſte apud Surium die 7. Ianuarij. De pueris nanque illis, tormento confectionis ſinapis ſupra caluariam, inuẽtore Sophiſta, necatis, dicitur. *Et eos quidem, ij, qui apud ipſos genere attinebant, cum ſuſtuliſſent, ſepelierunt cum alijs pueris*. Immò ſi conſanguinei defeciſſent, ciuibus id onus incumbebat. Lege Surium tomo 7. de SS. Fide, & Capraſio Martyribus, qui in Gallica Agennenſium ciuitate orti, & pro Chriſto paſſi, ibidem à ciuibus ſepulti ſunt: ſed clanculum: Verebantur enim, ne eorum corpora, quæ infidelis Gentilitas in platea tanquam neglecta, reliquiſſet, alio abijcerentur, vel in vicini fluminis fluctibus ſubmergerentur,

Id autem funeris à cõſanguineis curatum, *familiare* funus dictum eſt, l. 2. ff. de in ius vocan. & l. pronunciatio, §. communi iure, ff. de verb. oblig. Quippe quòd ab ijs, qui eiuſdem ſtirpis, familiæque eſſent, perſolueretur. Ad matres item aliaſque propinquas pertinebat, adeo vt ob id *funereæ*, ipſæ vocatæ ſint. Collecta cognatorum lipſana in ſuum ipſe ſinum recipiebant, lauabantque. Apud Virgil. 6. Æneid. vbi Seruius, Euriali mater, eo quòd non potuiſſet necato filio iuſta facere, ſic lamentatur.

*Hac terra ignota, canibus data præda latinis,*
*Alitibuſque iaces: nec te tua funera mater*
*Produxi, preſſiue oculos, aut vulnera laui,*
*Veſte tegens.*

Seneca quoque ad Heluid. cap. 2. *In eundem,* inquit, *ſinum ex quo tres nepotes emiſeras, oſſa trium nepotum excepiſti.* Exceptis autem perduellionis reis, occiſorum cadauera amicis, aut propinquis permitti ſolita, docet etiam Pet. Faber lib. 2. ſemeſtrium cap. 9.

Hæc ego adduxi, vt poſſit quiſque agnoſcere, inde proueniſſe, quòd B. Ianuarij reliquias, nonniſi Neapolitani conquiſierint, & accuratè collegerint. Nam, illum quoque digitum, quem vna cum capite reciderat carnifex, non exteri, ſed Neapolitani ciues, ipſo B. Ianuario admonente, diligenti indagine reperierunt, & religioſè ſeruandum acceperunt. Sacrum item Sanctiſſimi Martyris cruorem, Neapolitana mulier è madida terra excepit, inque geminas phialas guttatim expreſſit. Eius hodieque extat antiqua imago ſupra portam Baſilicæ Sancti Ianuarij extra Neapolis mœnia olim ædificatæ. Num verò, & illi, & iſta, è Ianuaria gente fuerunt? Id quidem non habeo certum. Attamen, quia legibus, & moribus antiquis eſt conſentaneum, videtur eſſe valde veriſimile. Interea ex his, quæ in hunc ritum protuli, ſatis, ni fallor, demonſtratum eſt, cur Scriptor Actorum Sancti Ianuarij, cum narrat eius Tranſlationem ab agro Puteolano Neapolim, non dixit *à ciuibus ſuis*, ſed *à conſanguineis ſuis*, qui & ciues erant, fuiſſe celebratam.

VI. Probè igitur Cyphius Beneuenti Senator, poſteaquam audiuit S. Ianuarij corpus, quod ad ſe vna cum SS. Feſti, & Deſiderij lipſanis (vt Beneuentani dicunt) afferri curauerat, à Neapolitanis fuiſſe in agro Marciano defoſſum, vt inde aliquando Neapolim transferretur, deſijt, vir iuſti, ac recti memor, agere de eo Beneuentanæ Vrbi reſtituendo. Callebat enim iura, moreſque Senator, certuſque erat id ſacrùm corpus, eius conſanguineis, ciuibuſque deberi. Alioquin, ſi B. Ianuarium Beneuenti natum fuiſſe, Cyphius crediḋiſſet, vtique non defuiſſet tanto Senatori, & tantæ vrbis ciuibus ratio moduſque, ſacrum eius corpus ſibi vendicãdi, antequam Neapoli transferretur. Rem conſideratione dignam Lectoribus expono. A prima illa nocturna ſepultura ſacri corporis, quæ clanculum facta eſt in agro Marciano, vſque ad id tempus, quando Neapolim glorioſè tranſlatum eſt, excurrerunt anni circiter quadraginta: eratque reddita Eccleſiæ pax imperante Magno illo Conſtantino: Beneuentani tamen, Cyfiuſque Senator, in tanto temporis ſpatio, in tanto iuris rectique vigore non poſtulant, immò ne mutiunt quidem, vt ſibi tam pretioſa gemma reſtituatur. Profectò ſi fateri velimus id quod eſt, Cyfius, & alij Proceres Beneuentani, Beatum Ianuarium Neapolitanis cedendo, apertiſſimè oſtenderunt, illum non fuiſſe natum Beneuenti. Contra autem, conſanguinei, & cœteri Neapolitani

tani ciues, B.Ianuarium Neapolim transferendo, luce clarius demonſtrauerunt, inclytum illum Martyrem fuiſſe Neapolitanum.

VII. Extat apud Camillum Tutinum numus, ex altera parte Ianuarij imaginem exprimens, ex altera Ciuitatis Neapolis nomen. Percutere autem numiſmata cum imagine, natiui ſoli eſt expreſſio. Sic Mantuani Virgilio, Chij Homero, Mitylenei Sappho fecerunt. Obſeruauit hoc, vt rem ſatis notam, Pontan.cap.1.Prodidagmatis in Virgilium.

VIII. Alter numus in memoriam Ianuarij patriæ ab incendio liberatoris videtur cuſus. Vide eundem Tutinum cap.X. Qui, quo ſit tempore cuſus, non diſquiro: ſatis mihi eſt, extare hunc numum antiquitatem redolentem. Is ex vna parte, inſculptum habet Ianuarij nomen græcis litteris Ἁγιὸς Ιαννουάριος *Sanctus Ianuarius*. Ex aduerſa, eodem charactere λυτρώτης τῆς πόλεως ἀπὸ τοῦ πυρὸς *liberator ciuitatis à flamma*. Monendus eſt hic Lector, Quotieſcumque certa fama compertum eſt, aliquem ciuitatis alicuius eſſe ciuem, ſæpiſſimè non apponi illud *ſuæ*, ſed ſatis eſſe abſolutè ciuitatem, aut ciuem nominare. Non caret id Tullij eloquentiæ patris auctoritate. Pro Domo. *Nemo ciuitatem, populi iuſſu vnquam amittet inuitus.* Non dicit. *Ciuitatem ſuam.* Pro Cornel. *Is furatus eſſe ciuitatem genus ſuum ementitus, is repſiſſe incendium dicitur.* In Verrem. *Catilinam parricidam ciuium*. Ad Attic.lib.9. epiſt.3. *Inferre famem ciuibus. Commoda ciuium defendere*. Et nos quoque Itali vulgariter ſic dicimus. *Ibo in domum* ſupple *meam*: & ſimiliter alijs in locutionibus. Ergo illud *Liberator ciuitatis*, tantũdem eſt, ac ſi dictũ fuiſſet, *Liberator ciuitatis ſuæ*.

IX. Roboratur quod dicimus, teſtimonio antiquorum codicum Officiorum Eccleſiæ Neapolitanæ, qui olim man. ſcripti Longobardicis characteribus circumferebantur, poſtea Ioanne Vincentio Carafa Archiepiſcopo Neapolitano iubente, prælo traditi ſunt anno 1525. In his, ac in Officij S.Ianuarij Reſponſorio ſecundi Nocturni legitur. *Exorat Ianuarium plebs vicina ciuium, oppreſſa mole cinerum Veſuuij Montis*. Ac ſi dictum fuiſſet, *ciuium ſuorum*. De ipſis enim eius interceſſione liberatis ſermo eſt, quocunque tandem tempore liberatio inciderit, contigeritque incendium, quod nunc non inquiro.

X. Chronicon aſſeruãt Canonici Cathedralis Eccleſiæ, quod Chronicon Sanctę Marię de Principio dicitur. In eo apertè dicitur *S. Ianuarius Martyr, ciuis Neapolitanus*.

XI. Aliud profero ex admirandæ rei hiſtoria depromptum argumẽtum. Extat libellus miraculorum Sancti Agrippini in antiquis MM. SS. Codicibus, cum Romæ in Bibliotheca Sanctoriana, ea ſcilicet, quam refertam ſelectis ſcripturis cõdidit Paulus Æmilius Sanctorius, Vrbinenſis Archiepiſcopus, Vir diſertiſſimus: tum etiam Neapoli apud Canonicos Cathedralis Eccleſiæ, & apud Nos in Domo SS. Apoſtolorum, dono Ioſephi Maſſarelli octogenarij Sacerdotis, ante annos viginti vita functi: eumque ante centum annos fuiſſe ſcriptum, ſcriptionis character manifeſtè indicat. Narrat id opuſculum, miſerabilem ſtatum cuiuſdam paralytici nomine Mauri. Referam ipſamet antiqui Scriptoris verba. *Qui per terram ſe, veluti reptilem pertrahebat: eratque viſu deformis, vt morienti ſimillimus, ac toto corpore diſſipatus. Accidit autem, vt Beati Ianuarij præclara ſolemnitas adueniret. Ad cuius venerabile corpus, dum multos accurrere cerneret, illius fretus auxilio, aliorum vectus manibus, illuc deportatus eſt. Cumque ad illius ſanctiſſimum tumulum perueniſſet,*

*cœpit*

*cœpit cum lacrymis, eius exorare ſuffragium, dicens. Non ignoro, ò Beate Martyr, quātum valeant apud Deum tua merita glorioſa. Non dubito, immò fideliter credo: quoniam quidem tu es ille, qui pro Chriſti amore fudiſti ſanguinem tuum. Ergo Beate, nimis depoſcens obſecro Chriſtum, vt mihi ſuccurras, diſſoluas vincula ſæua, quæ me cōquaſſant, nocte, dieque fatigant. Ne me diutius permittas talia ferre. O Alme Pater Patriæ, qui cunctis commoda præſtas. Per Dominum exoro, per cæli gaudia dantem.*

Multa hìc conſideranda ſunt. Annus videlicet, quo hæc Maurus paralyticus dixit, & ſanatus eſt. Ætas etiam, nomenque Scriptoris. Et verba denique illa, *O Alme Pater Patriæ.* Omnia verò ex hac ipſa miraculi hiſtoria comperta erunt. In primis, tempus, quo iſtud paralytici miraculum patratum eſt, conſtat non præterijſſe annum Chriſti 766. Per id namque tempus, Paulus ſenior, qui illi miraculo legitur interfuiſſe, Neapolis Epiſcopus fuit, nempe Conſtantino Copronymo Imperatore. Cui impijſſimo iconomacho, & Agiomacho reſtitit Paulus, eiuſque minas euaſit, recipiens ſe in S.Ianuarij Baſilicam extra Vrbem ſitam. Diuinaque prouidentia factum eſt, vt quo tempore hæreſis illa immaniter graſſabatur, eodem, Neapoli Diuorum Patronorũ Ianuarij, & Agrippini præclara miracula, Chriſtianam fidem, magis magiſque firmarent. Io. Diaconus legatur.

Ætas autem Scriptoris, inter nongenteſimum, & milleſimum Chriſti annum collocanda eſt. Nam ipſemet ait ſe vixiſſe Conſtantino, & Romano Impp. quorum æuo Saraceni Neapolim obſederũt: idque noſtrates Hiſtorici Villan. lib. 1. & Capac. lib. 1. cap. 20. figunt ad annum 956. Quocirca probabile eſt, Ioannem Diaconum, qui eo ſæculo edidit Chronicon Epiſcoporum Neapolis, fuiſſe etiam libelli huius auctorem.

Denique (quod ad rem, de qua agimus ſpectat) verba iam dicta, Mauri paralytici B.Ianuarium inuocantis, ſunt certè magni momenti, & valdè antiqua, ſiue conſideretur ſæculum, quo illa ægrotus dixit, ſiue quo Hiſtoricus, quiſquis ille fuerit, eadem ſcripſit. Apparet enim ex his, quòd antiquis illis temporibus, adeo notum erat, patriam B.Ianuarij fuiſſe Neapolim, vt id ægroti quoque, & membris ſoluti ad eius tumulum, & ad Baſilicæ fores, verbis illis, *Pater Patriæ*, vel his ſimilibus, élata voce exprimere conſueuerint. Nec verò ſignificatio *Patriæ* poteſt hoc loco ad metaphoram trahi. Nempe, vt dictus ſit *Pater Patriæ*, quia eam dilexit, & loco Patriæ habuit. Id quippe ſignificatum imponere non licet. Longè enim abeſt à vera, & propria ſignificatione, quam nos debere ſequi Bald. docet, & ſtatuit cōſil. 326. nu. 7. idque ex vi l. non aliter, ff. de legat. 3. Quocirca Cicer. legum peritiſſimus, orat. pro Flacco. *Terra parens*, inquit, *patria dicitur.* Quaſi dicat. Hæc eſt propria ſignificatio omnibus præferenda. *Non aliter* igitur *à ſignificatione verborum recedere oportet, quàm cum manifeſtum, aliud ſenſiſſe loquentem.* Hæc ſunt verba legis. Iam verò, quis audeat pronunciare manifeſtum eſſe, aliud Maurum illum ægrotum ſenſiſſe, quàm *verè, & propriè, patriæ Patrem*? *Patria eſt illa, quæ nos genuit*, dicebat Cicer. de legib. Si quando dictus eſt aliquis *Pater Patriæ*, in metaphorico ſenſu, vti Traianus, & Cicero ipſe. Iam conſtabat publicitùs, exteros eos eſſe, & ob egregia eorum facta, titulum illum eis tribui, metaphorico, vt dixi, ſenſu.

XII. Teſtificationem alteram nunc profero. Quæ tametſi ſciri nequeat, quo anno ſignatè ſcripta ſit, certum tamen eſt, eam eſſe antiquiorem illa Tranſlatione corporis Sancti Ianuarij, quæ Neapoli Beneuentum à Sicone Principe facta eſt. Nam Orator quidam Eccleſiaſticus, in concione

hiſtorica Neapoli habita,cuius exemplar ex Codice antiquiſſimo habem in Bibliotheca noſtra SS. Apoſtolorum,apertè tradit,eo tempore ſacru ſiu D.Ianuarij corpus extitiſſe in Baſilica extra Vrbem Neapolim ſita. Eamc incipit. *Ad gloriam,laudemque victorioſiſſimi,& æterni Dei*. Prope finem auteir, & poſt deſcripta D.Ianuatij,& Sociorum eius beata martyria: ac SS.Feſti, & Deſiderij ad Beneuentanam Vrbem tranſlationem, ita concludit Orator. *Septem namque fortiſsimi athletæ Dei,pariter ſuſcepere martyrium, quorum ſinguli,ſuorum ciuium reſtituti vrbibus, perceptum à Domino patronatum gerere non deſiſtunt,præſtantes beneficia,deuota mente,& ſyncera fide petentibus*. Quid clarius? *ſinguli* illi ſeptem Beati Martyres, *ſuorum ciuium ſunt reſtituti vrbibus*. Ciues Miſenates ſuum ciuem Soſium:Ciues Puteolani,ſuos ciues Proculum,Eutycetem,& Acutium:Ciues Beneuentani,ſuos ciues Feſtum, & Deſideriũ. Ciues denique Neapolitani,ſuum ciuem Ianuarium habuerunt.

Premitur hoc teſtimonio Biloċta. Ideoque in ſuo diſcurſu, in omne ſe latus vertit,vt illud eludat. Ac primò quidem, falſitatis redarguit Oratorem, quòd cæteris quoque Sanctis, ſuarum patrocinium ciuitatum tribuat,quod de ſolo Ianuario,& ſua Neapoli,Romanum aſſerit Breuiarium. Quaſi verò,ex Breuiario id voluiſſet Orator probare, & non potius ex recepto aliarum ciuitatum more, ciues ſuos in anguſtijs interpellantium: quod vnum ad patrocinij veritatem ſufficit, quando ea, quæ nunc ad Patronum eligendum requiſita ex Pontificijs decretis deſiderantur, nequaquam expetebantur.Ac item,ex euidenti fama protectionis tunc apud omnes vulgata:euidentique patrocinij fructu. Porrò Breuiarium,vt ſupra dixi,ſolius Ianuarij meminit,quia eius tunc geſta recenſebat.Tantundem de Socijs dicturum,ſi eorum Vitas eſſet ex profeſſo narraturum.

Deinde concionatorem facit,ex Oratorum more ampliantem dicta ſua.Ita,vt,quod ſex tantum ſocijs contigit,in ſuis ciuitatibus tumulatis,ſeptimo quoque narret contigiſſe. Nouitium interpretamentum voluntariè ab ipſo confictum,nullo antiquitatis teſtimonio.Certè Concio illa tota eſt Hiſtorica. Quod ſi ſemel quis in eam, oratorias ampliationes inducat (is maximè qui ab ea etiam coniecturas eliminabat) videat ne & alius quiſpiam,illas,in ijs etiam,quæ Beneuentanis fauent, (ſi quæ ibi ſunt) pariter admittat.

Aliud eius effugium eſt. Verè omnes ſeptem Chriſti athletas in ſuis Vrbibus fuiſſe tumulatos.Quandoquidem Beneuentani Ianuarij conciues veſtigatrice cura beata eius lipſana perquiſierunt:irrito licet effectu,quòd ipſa à Neapolitanis occultata fuiſſent.Optimè.At ego,tunc cenſebo effugium iſtud Biloctæ animo inhæſiſſe, quando ipſe à creditoribus ſuis ſyngrapham accipiet(ſi quo tenetur alieno ære) qua illi ſibi factum ab eo fateantur ſatis,ob ſoluendi conatum,pecunia licet non numerata.

Tandem & iſtud adiecit. *Reſtitutum vrbi ſuæ* Ianuarium, Neapolitanæ ſcilicet,quod à Neapolitanis fuerit ſepulturæ traditus. Cumque vtrobique,Neapoli ſcilicet, ac Beneuenti extarent nonnulli ex Ianuaria familia, verè dici potuit Ianuarium Beneuenti natum,patriam habuiſſe Neapolim. Cœterum ſi hæc vera videntur D.Biloctæ, cogetur ipſe, & hoc conſectarium admittere.Quod ſi Romanus aliquis Ianuarij ſepulturæ interfuiſſet, funuſque eius curaſſet, Ianuarij patriam dici poſſe, & Romam:quoniam Romæ quoque ex Ianuaria familia habebantur. Quo quid abſurdius? Sic de Miſenatibus Ianuarijs,&c. Sed cordato Lectori conſiderandum relinquo,

quo,an benè faciat Biloċta confundens genus,& patriam.*Patria eſt illa*,dicebat Cicero de legib.*quæ nos genuit*. Abutitur ergo vocabulis,qui natale ſolum appellat illud,vnde genus aliquis deducit.

XIII. Sufficere poſſent Beneuenranis producta teſtimonia. Adhuc tamen ipſos etiam Beneuentanos Códices producam. Eruntque ij fortaſsè ad eos conuincendos,efficaciores. Domeſtica enim ſcripta,ſi antiqua ſint, magni fiunt. Sciendum itaque eſt,extare Beneuenti ſacrum Officium Diui Ianuarij,in vetuſtiſſimo quodam Codice Monaſterij S.Victorini. Id ego Officium,& Codicem ipſum habui:& poſtquam legi,& perlegi, inde ego, & librarius meus excripſimus partem illam Officij, quæ dicitur Reſponſorium, hæc verba continentem notatu digniſſima. ℟. *B. Ianuarij velo contra ignem poſito,ignis extinctus eſt. Vt oſtenderet, ſicut promiſerat, Patriæ liberationem*. Affirmat igitur Beneuentanus Codex, B.Ianuarium extinxiſſe Veſuuij Montis flammam, in vrbem Neapolim inuolantem. Eoque ingenti periculo Patriam, hoc eſt Neapolim, quam ſe liberaturum promiſerat, liberauiſſe. Neapolis igitur,cui imminet Mons Veſuuius,B.Ianuarij Patria eſt,non Beneuentum,à quo longius abeſt.

Quare,reijcienda eſt deformis illa lectio,quam dicunt haberi in altero quodam Beneuentano libro. *Motus flammæ extinctus eſt*. Quis enim vnquam ſcripſit,vel audiuit *Motum flammæ extingui*? Ac retinenda eſt omnimodo iam dicta lectio, quam Victorienſis Codex habet,& ſeruat. *Montis flamma extincta eſt*. Sic namque,& vetus loquendi vſus expoſcit, & profani auctores,qui de flammæ è montibus eruptionibus ſcripſerunt: & ipſæ denique ſacræ litteræ quarum ſtylum ſolent Eccleſiaſtica officia imitari, locutæ ſunt. Apud Tullium in Piſonem agentem, profectò repeties. *Extinctis incendijs*:non autem,*extinctos motus incendij*. Et Plin.lib.2. cap.104. & 106. *Reſtingui ignes*:non autem,*motus ignium*. Et Ouid.lib.3. Eleg. *Vigiles flammas extinguere Veſta*.Et alij,atque alij innumeri in hunc modum locuti ſunt.Sed hi ſatis ſuperque tuentur rem tritiſſimam.Tranſeo ad ſacras paginas.*Ignis ardebat ſuper verticem montis*. Pſalm.77. *Ignis egreſſus eſt de* monte *Heſebon. & flamma de medio* montis *Sion*.Ierem.46.Quid plura? Vbique,*montis flamma, montis ardores,montes combuſti* leguntur.Nullibi,*montis flamma*. At inquies,in Epiſt.Pauli ad Hebræos cap.2.legitur.*Extinxerunt impetum ignis*. Scio equidem.Sed certò etiam ſcio, deprauatæ huic lectioni Beneuentani Codicis, ea Pauli verba nullatenus ſuffragari. Senſus enim ſunt diuerſiſſimi.Auctor namque Reſponſorij iam dicti, nihil aliud ſibi vult, niſi oſtendere, Beati Ianuarij potenti patrocinio, Veſuuij flammam fuiſſe prorſus extinctam. Apoſtolus autem ideo loquitur hoc modo, alioquin inuſitato, quia rem prorſus inuſitatam enarrat. Agit enim de extraordinario illo miraculo, quod Azariæ,& Socijs eius contigit. Daniel.3.qui quidem,non extinxerunt ignem, ardebat enim, & vrere omnia poterat: ſed extinxerunt eius vim,græcè δύναμιν,& violentum vrendi impetum:quod fuit mirabilius.Legantur interpretes in hunc Pauli locum.

Stet igitur vera,& ſyncera iſta lectio.*Montis flamma extincta eſt*.Et altera illa enormis corrigatur.Enimuero,quamquam Beneuentanus ille Venerabilis Canonicus, qui mihi dixit ita haberi in Codice quodam Bibliothecæ Canonicorum, vir apprimè ſyncerus, & probus ſit, ea tamen Codicis pagina,in qua,adeo detorta, & monſtruoſa locutio ſcripta eſt, neque ſyncera, neque proba dici poteſt. Sic quippe, & Neapolitani & exteri

quot-

quotquot id phraſeos prodigium audiuerunt,exiſtimant.Nec ſine riſu admirantur Beneuentanum iſtum *extinctum flammæ motum.* Extinguitur quippe quod lucet:motus autem nequaquam lucet. Remanſit ne(dicebat quidam) immota flamma, & riguit, ſicut gelu concreta aqua? Nouum certè miraculum Codex ille profert:ſed alienum ob Auctoris mente: Videlicet quòd motus ſolummodo extinctus ſit, inextincta flamma, quæ natura ſua tremula ſemper, & vaga eſt.

Ad veterem autem,& veram lectionem, *Montis flamma extincta eſt,* ſequens verſiculus fautor accedit. *Vt oſtenderet ſicut promiſerat, Patriæ liberationem.* Quæ ſanè verba,magis magiſque Neapolim indicant. Hæc namque fideliſſima Ciuitas certior de Ianuarij tutela facta eſt, vbi primum diuino admonitu (quod Acta,& alia ſcripta tradunt) ſignificatum eſt Neapolitanis,vt ſanctiſſimum illum Martyrem,ſibi Patronum deligerent. Is enim, qui ſe orari monet,iam inde haberi poteſt pro exorato. Quod ſi in hominibus mortalibus verum eſt,profectò in cœlitibus eſt veriſſimum. Idque B.Ianuarium factis ipſis demonſtraſſe palam eſt.Nam,vt alia taceam huius noſtri magni Patroni beneficia,non ſemel, ſed pluries, Neapolim à vicini montis flamma liberauit. Præcipuè verò ab illa omnium immaniſſima, & celeberrima flammarum eruptione, quæ,olim longinquas etiam Europæ, & Africæ Prouincias exterrefecit,ſuo Ianuarium beneficio liberaſſe Neapolim,Oratio illa,ſiue Hiſtorica Narratio,quam in MM.SS.Codicibus habemus incipiens.*Operante diuina miſericordia* copioſè exponit. Et quod valde notandum eſt,ijs ipſis propemodum verbis, quibus Beneuentani Reſponſorium, quod extat in Victorienſi Codice incorruptum, in eodem miraculo explicando vſum eſt.Inquit enim, *Beato Ianuario intercedente Veſuuij montis ignita eruptio extincta eſt.* Vide, Lector, quam benè ſibi conueniant ſynceri, & puri Codices: & quàm valdè diſtent à mendoſis. Quod verò B.Ianuarius in incendio anni 685. non autem,vt Bilocta ſibi perſuadet anni 892. *Montis flammam,vt promiſerat,extinxerit,*etiam Ioannes Baptiſta Maſculus è Societate Ieſu in ſuo de Veſuuij incendio Opuſculo, demonſtrat.

XIV. Nunc vetuſta Eccleſiæ Neapolitanæ Kalendaria perquiramus. Vnum ex ijs in pergamena charta, litteris Longobardicis exaratum extabat apud Franciſcum Antonium Purpuram Montis Marani Epiſcopum, cuius exemplum apud nos aſſeruatur.In eo ad XIX.Septembr.legitur. *Ianuarij Epiſcopi Neapolitani.*

XV. Alterum eiuſdem antiquitatis apud eundem,S.*Ianuarij Neapolitani Epiſcopi, & Martyris.*

XVI. Totidem quoque Kalendaria I.C.Bartholomæus Chioccarellus ſe fatetur habere,litteris itidem Longobardicis expreſſa. In quorum altero legitur *S.Ianuarij Epiſcopi, & Martyris Neapolitani.*

XVII. In altero verò.S.*Ianuarij Neapolitani,Epiſcopi Martyris.* Nemo autem eſt,qui neſciat Ianuarium non fuiſſe Epiſcopum Neapolitanum,ſed Beneuentanum. Quod adeo verum eſt,vt nullum vnquam habuerit noſtra Ciuitas Epiſcopum nomine Ianuarium. Nam quidam Ianuarius Epiſcopus Neapolitanus, qui interfuit conciliabulo illi Carthaginenſi, in quo actum eſt de rebaptizādis hæreticis,is non Neapolis Campaniæ, ſed Neapolis Africæ fuit Epiſcopus:vt ibi benè aduertit Scholiaſtes Pamelius.Reliquum eſt igitur,vt interpunctio ſic debeat à lectoribus fieri, ſicut à Scriptore antiquo in illo Codice cernitur facta. Videlicet,vt inter *Neapolitani,*

& *Epiſcopi*, commi poſitum obſeruetur. Ea nimirum ſignificatione, vt Beatus Ianuarius Patria fuerit *Neapolitanus*: Dignitate, *Epiſcopus*, & Chriſtiana fortitudine *Martyr*. Tempus, quo iam dicta Kalendaria ſcripta ſunt, arbitrari licet, ante ſexcentos annos fuiſſe. Hanc enim, immò maiorem antiquitatem tribuit Auguſtinus Eugubinus Codicibus Longobardicè ſcriptis. Et verò, ante milleſimum Chriſti annum, cœpit in Italia deſinere cum dominatio, tum ſcriptio Longobardorum. Et ſi quæ extat recentior, ea certè aliquantulum diuerſa eſſe apparet à pura Longobardica.

Quidnam ad iſta D. Bilocta? Pagina 13. ſui Diſcurſus, aſſerit potuiſſe Ianuarium dici Neapolitanum, quamquam haud eſſet Neapoli natus. Sed iſta iam exagitata ſunt ſupra. Vtinam autem exemplo aliquo ab antiquis petito, opinationem ſuam roboraſſet: atque oſtendiſſet, ex Kalendarijs, Martyrologijs, Miſſalibus, aut Breuiarijs antiquis, dictum aliquem Capuanum, aut Nolanum, qui Capuæ, ſiue Nolæ non ſit natus. Quod cum nullo teſtimonio probare poſſit, dicemus nos illi, de vnica tantum Roma id verificatum, ob ſui nempe amplitudinem. Dicti enim ſunt aliquando Romani, ob id tantum, quòd Romæ ſubderentur. Conſulendi Auctores Græci, Nicetas, Procopius, Gregoras, & alij: & inter Latinos, Saluianus, & qui de Aquileiæ Epiſcopis ſcripſerunt.

XVIII. Viuebat Reginæ Ioannæ primæ tempore Bartholomæus Caracciolus dictus Carafa. Is in ſuo Chronico quod multorum manibus teritur ſic habet. *Meritis precibuſque ſuis, Sanctus Ianuarius ciuis noſter, fuit enim ex platea Furcilla, liberauit patriam ſuam ab igne* Montis *Veſuuij*. *Vbi etiam nunc minimè ceſſat iugiter Deum pro conciuibus ſuis* Neapolitanis *exorare*. *Plateam* vſitato Neapolitanis vocabulo intelligit nobilem in vrbe viam, ſiue Viciniam nobilibus ciuibus habitatam: Romani Vicos, ſiue Regiones: Athenienſes, Pagos appellitabant. In quinque enim pagos Athenæ diſtribuebãtur. Quod & Neapolim imitatam patet, cuius nobilitas in quinque Sedilia diſtribuitur.

XIX. Addam, quod ego in vetuſto quodam Miſſali Petriconis Caraccioli Comitis Martinæ obſeruaui: Vtebatur eo in Miſſis, quæ in priuato ſuę domus Oratorio celebrabãtur. In frõte Miſſæ B. Ianuarij ſcriptum erat. *Sancti* Ianuarij *Neapolitani Epiſcopi, & Martyris*. Cum verò in cœteris Neapolis Patronis, Patriæ mentio non fieret, prudenter à nonnullis iudicatum fuit, non id caſu factum, ſed vt omnis ſuſpicio, ob dignitatem Epiſcopatus Beneuẽtani, de Ianuarij Patria tolleretur, additũ *Neapolitani*. Quæ cum in cœteris locum non haberet (nemo enim ambigebat illos eſſe Neapolitanos) idcirco non fuiſſe opus illorum Patriam Neapolim explicare.

XX. Alia adhuc promimus teſtimonia. Alexander Carafa Archiepiſcopus Neapolitanus anno 1497. libellum expanſo folio Typis excudendum curauit, in quo præcipuorum Neapolis Sanctorum Miſſæ, Orationes, & Rythmi aliquot continebantur. In ijs eſt Rythmus (Sequentiam vocant) qui in B. Ianuarij Miſſa decantabatur; impolitus quidem, parque rudi illi ſæculo, ſed confirmandæ rei, de qua agimus, opportunus.

*Salue Rector noſtræ Vrbis*
*In qua iaces, manes, dormis,*
*Corpore* Parthenopes.
*Ciues ergo tu intende,*
*Tuos cunctos, & defende,*
*Ab omni periculo,*

XXI. Ve-

XXI. Venerandæ item Antiquitatis exiſtimandum eſt Lectionarium, & Officium B. Ianuarij, quo Neapolitana Eccleſia olim vſa fuit, vſque dum noua Officia Romani Breuiarij, iuſſu Pij V. Pontif. Max. prodierunt. Etſi enim non ante annum 1525. typis impreſſum fuit, ex duobus tamen antiquis Codicibus papyraceis apud me extantibus conſtat idipſum Officium præteritis ſæculis Clerum Neapolitanum vſurpaſſe. In illo itaque Officio in ſecundo Nocturno ſequentia legebantur.

*Veſuuius mons nimium igne concrematur:*
*Timens Neapolis, ne in deuium flamma protendatur,*
*Orat Ianuarium, vt cito extinguatur,*
*Plebs vicina ciuium, oppreſſa mole cinerum.*
*Dire moleſtatur.*

Ad laudes verò canebantur iſta.

*Inde virtutum radijs refulgens,*
*Hic Triumphator cumulos volantes*
*Ignis extinxit. Patriam gubernat,*
*Scilicet iſtam.*

Ac item.

*Salue Defenſor Patriæ*
*Gaudens triumpho gloriæ*
*Nitens vt gemma Præſulum*
*Almum concede exitum*
*Ianuari ſanctiſſime.*
*Iam flammam mons Veſuuij*
*Spargebat vis incendij:*
*Sed in terroris medio*
*Sanctus adeſt præſidio.*

In ſecundo verò Officio ad Veſperas ita cantabatur.

*Gaude felix* Neapolis,
*Laudem dans Dei filio,*
*Qui tot fulget miraculis*
*In tuo Ianuario.*
*Ianuarius Pontifex* Deificus
*Pathenopæus municeps,*
*Et emiſſis diris ignibus,*
*Euaſit antro precibus.*

*Municeps Parthenopæus*, tantundem eſt, ac *Parthenopæus ciuis*, l. 1. ff. ad municipal. Et municipes, cuiuſcumque ciuitatis ciues appellantur.

Ac rurſus in ſecundo Nocturno ſecundi Officij legitur hoc Reſponſorium ℟. *B. Ianuarij Martyris tui Domine velo contra ignem poſito, ignis extinctus eſt. Vt oſtenderet ſicut promiſerat, quia Patriæ liberator eſt.* ℣. *B. Ianuario ſuffragante, Montis Veſuuij ignita flamma extincta eſt. Vt oſtenderet ſicut promiſerat, quia Patriæ liberator eſt.* Quæ verba, ſi cum Reſponſorio Victorini Codicis conferas, videbis nec ouum ouo, vt eſt in prouerbio, eſſe ſimilius. ℟. *B. Ianuarij velo contra ignem poſito, ignis extinctus eſt. Vt oſtenderet ſicut promiſerat, Patriæ liberationem.*

XXII. Agnellus Ruffus Metropolitanæ huius Eccleſiæ Canonicus, inter ſchedas quas magno labore, & induſtria cura collegerat, habebat & Hymnum, in quo pompa Tranſlationis corporis Beati Martyris è Cam-

po Marciano ad Eccleſiam prope Neapolim, ſic deſcribebatur.

*——————reſciens corporis*
*Totum quod ſupereſt eſſe Neapolim*
*Translatum* Patria *ciuibus, uberes*
*Theſauros procul indicat*, Mulier nempe, quæ ſacrum eius cruorem in ampulla collegerat.

*Sic ex compoſito* Clerus *& Optimi,*
*Quique municipes, pompa nobili,*
*Sacratum caput afferunt.* Fortè *efferunt.* Ac rurſus.
*Ac tu triumphans ingredere ò Pater*
*Tutela cara maximè Patria:*
*Auerte malum nunc: & fauente*
*Numine, tu tege, viſe, ſerua.*

De horum carminum antiquitate, ſum quidem dubius. In ijs tamen apertè lego, B. Ianuarium Neapolis *Tutorem*: & exulto.

XXIII. Deſcendamus ad inferiora tempora, non tamen rigidam eorum Chronologiam ſeruantes. Ioannes Villanus, non ille Florentinus, ſed Neapolitanus illi contemporaneus: quique floruit ante ducentos annos lib. 1. cap. 55. ſic loquitur in ſuo chronico, ſtylo rudi, ac Neapolitano idiomate. N*eapolitani Sarracenorum turmis obſeſsi, ad ſuos certos Patronos Ianuarium, & Agrippinum, Viros de Furcillæ Platea Neapolitanos, eoſdemque inſignibus miraculis celebres exorandos, ſe religioſè vertunt.* Quod ſi alibi idem Villanus ſcripſit Eutycetem quoque, & Acutium, Neapolitanos fuiſſe, hoc eius erratum nequaquam defendimus, cum ex aliorum teſtimonijs conſtet, illos fuiſſe Puteolanos. Firmum tamen eſſe debet, quod de Ianuario dixit, antiquitatis, & aliorum teſtimonio fultum.

XXIV. Cæſar Carpanius Eccleſiæ Neapolitanæ Canonicus, idemque haud contemnendus Poeta, in Ode Sapphica, quam de Sancti Ianuarij martyrio, & miraculis panxit, aſſerit B. Ianuarium fuiſſe in *Ciues pium*. Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Ianuarij Patriam fuiſſe Neapolim.

*Cum tuo Præſul capiti beate*
*Sanguis accurrit liquidus recenter,*
*Cernitur cunctis velut exiiſſet*
*Corpore ſacro.*
*Priſtinam, ſed vim lapidis reſumit,*
*Ex eo poſtquam remouetur; etſi*
*Ciuium interdum pietate ſeſe,*
*Soluit vt ante.*

Dicet fortaſſe aliquis, Non ait *Ciuium ſuorum*, ſed ſimpliciter *ciuium*. Facilis eſt reſponſio. Sic loqui ſolemus. Sic & olim loqui ſolebant priſci. Cicero, quo nemo eloquentior, & clarior fuit, Catilinam vocat *Parricidam ciuium*: non addito, *ſuorum*. Attico ſcribens lib. 9. ep. 3. *Ciuium beata vita, moderatori Reipublicæ propoſita eſt*, & alibi *Inferre famem ciuibus*. *Commoda ciuium defendere.* & ſimiliter: patens res eſt. Plura non addo his, quæ ſupra dixi.

XXV. Habemus in Bibliotheca man. ſcrip. noſtræ Domus SS. Apoſtolorum, Officium in B. Ianuarij natalitiis recitandum, ab inſigni illo Iureconſulto Matthæo de Afflicto, Ferdinando Primo, & cæteris Aragoneis Regibus à conſiliis compoſitum. Id verò in Antiphona ſecundarum Veſperatum, hos habet verſiculos.

Salue

*Salue defenſor Patriæ,*
*Gaudens triumpho gloriæ.*

Vixit is, & celebritate nominis viguit initio ſæculi Chriſtiani decimi-quinti.

XXVI. Antonius Alexius Neapolitanus, Leone X. & Clemente VII. Pōtificibus, in pangendis carminibus (quæ & edita, ac laudata ſunt) inclaruit. Hic B. Ianuarium appellat *Municipem Parthenopæum*: Hoc eſt *ciuem Neapolis*.

*Parthenope da ſacra tuo, da thura Patrono;*
*Municipem quando te coluiſſe decet.*

Idem paulò inferius in eadem elegia, omnes Neapolis Tutelares Diuos, appellat *Patriæ Patronos*. Ergo & Ianuarij, qui præcipuus eſt Patronus, Alexio teſte, Neapolis Patria fuit. Perbellè deſcribens agmen piorum hominum, quod Kalendis Maij vrbem Neapolim perluſtrare, etiam illa ætate ſolebat, ait.

*Huic* Ianuario *igitur Socij precedunt ordine Diui*
*Queis etiam patrij eſt cura patrocinij.*

Idem de ſolo Ianuario canens ait:

*Nunc ego quod referam nobis tot commoda, quid nunc*
*Ciuibus aut memorem tot beneſacta tuis?*
*Tu Patriæ, quæ parens, & ſau or maximus Vrbis;*
*Tu quæſo populi reſpice vota tui.*
*Ipſe famem procul, & contagia dira repelle,*
*Tu nos, tu ciues Alme tuere tuos.*

## *Collectio dictorum.*
## *§. X.*

HAbemus igitur nubem teſtium, ab ipſa B. Ianuarij pretioſa nece, ad hæc ferè tempora, ſerie propemodum continuata productam (conſultò recentiores præterij, quòd ſolidiora ſint ab antiquitate teſtimonia) qui luce clarius aſſerunt, id quod verum, certumque eſt. Nimirum, B. Ianuarium fuiſſe Neapolitanum ciuem. Hoc tot ſæcula nobis vendicant. Hoc vetuſti, & carioſi MM.SS. Codices. Hoc typis excuſi libri cum fide adſeruant. Hoc omne genus Auctores, Sacri, Profani, Hiſtorici, Poetæ tradunt, qui eum *Neapolitanum*, *Patriam gubernantem*, *Patriæ defenſorem*, *Nobilem Neapolitanum de platea Furcillæ*, *In ciues pium*, *Intendentem cunctos ſuos ciues*, *Defendentem eos ab omni periculo*, *Municipem Parthenopæum*, *Curantem Patriæ patrocinium*, *In ciues commodum*, *Tuentem ciues ſuos* indigetant. Hoc ipſa Beneuentana Eccleſia olim publico cantu perſonabat. Optimo itaque iure id noſtra Neapolis tuetur, & fouet. Spero autem, Beneuentanos vtpote ſolido antiquitatis, & veræ traditionis auctoritate deſtitutos, ac inanibus tātum fictitiæ neſcio cuius Inſcriptionis, & recentioris alicuius Scriptoris teſtimonijs innixos, ſummum illum Oratorem, & cauſidicum audituros, conſulentem, Cicero de Orator. *Ne conuellere adortantur ea, quæ non poſſunt commoueri.* Quod ſi D. Bilocti poteuri.[illegible]ma hæc antiquorum teſtimonia eludat, gladiatorum more id facit. Solent enim ij lætalia accepra vulnera, verbis extenuare, ne ſe victos proprio fateantur ore. Laudandus tamen vtcumque;

cumque;nam verè ſapuit:cumque videret impotentem ſe eſſe, aliquid veri,aut ſolidi,aut appoſiti afferendi compendium ſcribendi fecit ſilentio: & intra tectam teſtudo caput continuit.

His iam cum veritate aſſertis,age nunc ipſum D. Ianuarium loquentem audiamus.

*Ille ego Beneuenti Præſul teſtiſque ſupremi*
*Numinis:ille vnus qui Orbi cruore loquor.*
*PARTHENOPE me cara PARENS genuitque aluitque;*
*Hanc ſibi nunc PROLEM non ſinet illa rapi.*

## *Ianuarij Genus,Parentes, & Propinqui.*
## *Sect. III.*

IN primis, ex ipſis B.Martyris Actis, Lectionario priſci Officij comprehenſis,demonſtratur B.Ianuarium habuiſſe genus, & conſanguineos nobiles:ita enim inquiunt. *Cum venerabilibus Epiſcopis,nec non cum præclaris,& nobilibus conſanguineis Martyris, cum plebe Dei ſancta, cum hymnis,& laudibus,*Neapolim *tranſtulere corpus ſanctiſſimum in Eccleſiam.* Satis quidem hoc teſtimonium eſſe videtur. Ego tamen,vt generis eius nobilitas, magis magiſquè pateat, proferam honorarios quoſdam titulos in antiquis Inſcriptionibus,Ianuariorum genti abundè collatos.

Primus verò ſe mihi offert *Fl. Magnus Ianuarius,*qui anno V.C. 1080. Chriſti verò 329.hoc eſt,non multò poſt cœdem Diui Ianuarij noſtri,Cōſulatum geſſit vna cum Fabio Iuſto.De quo crebra fit mētio in Cod.Theodoſ.ex Conſtantini Imperatoris Reſcriptis. Poſt hunc,recenſere libet ope litterati lapidis,qui Neapoli extat, *M.Antonium Ianuarium Auguſtalem.* Hoc eſt,Auguſtæ domus intimum:& vt nunc loquimur,*Palatinum.* Item alterum ex lapide,qui apud Regium Conſiliarium Felicem de Ianuario erat, eundem fortaſſe M.Antonium,*Honorati* titulo auctum,exhibente. Hoc eſt, ex ordine *Patriciorum* præcipuum. Lege Lazium lib. 12. de Republ. Rom. cap.30.Alius quoque Mediolani lapis, Ianuarium *Signiferum*, & *Exarchum* profert.Habet prætcrea liber de Præfectis Vrbi apud Cuſpinianum, *Pomponium Ianuarium,* duobus annis Romæ Præfectum. Hoc eſt anno 291. & 292.Imperatore Diocletiano.Perennauit autem ea ſtirps generoſa,multis poſt priſca Romæ tempora ſæculis.Nam,vt de recentioribus taceam,lego apud Honufrium *Cœlium Ianuarium*, S. Vitalis Presbyterum Cardinalem ſub Gelaſio primo, qui creatus eſt Pontifex anno Chriſti 406. Et plures alios inſignes viros apud Gruterianas Orbis Inſcriptiones. Sed res ipſa ſatis clara,maiori luce non eget. Qui plura deſiderat,adeat librum,qui de Ianuariæ familiæ nobilitate publicis typis proſtat. Ego certè excuſatum me velim non apud Ianuarios tantummodo, ſed apud alios etiam quoſcūque,qui ſe à Diuis aliquibus,genus ſuum ducere gloriantur, ſi Cœlitum geſta conſcribens,fumoſas iſtas terrenæ nobilitatis imagines prætermitto.

Tranſeo itaque ad B.Ianuarij genitores. Et patris quidem nulla extat notitia nominis,nec geſtorum. At matrem,quam ſecum Beneuentum duxit,fuiſſe Chriſtianam, & Deo charam, conſtat ex Actis Martyrij, vbi hæc leguntur. *Mater quoque Sancti Ianuarij in Ciuitate Beneuentana poſita, ante triduum quàm filius eius pateretur,tale ſomnium vidit. Quod Ianuarius Epiſcopus in aere*

*in aere ad cælum volabat: & cum de ſomno ſuo hæſitaret, & interrogaret quid velit eſſe, ſubitò nunciauerunt ei, quòd filius eius Ianuarius, pro Dei amore in vinculis teneretur. At illa perterrita, proſternens ſe, in oratione ſanctum reddidit ſpiritum.* Talis igitur B. Ianuarij mater extitit, vt de proxima filij gloria diuinitus prædoceri meruerit.

Cœteros autem Ianuarij conſanguineos, Neapolim incoluiſſe, ex iiſdem Actis liquido patet. Verba non eſt opus hìc referre, cum ſuperius ſint adducta, quando oſtendimus, ab eius nobilibus conſanguineis, cohoneſtatam fuiſſe celebrem illam B. Martyris Tranſlationem, quæ D. Seuero curante, è fundo Marciano Neapolim facta eſt, anno ab eius obitu circiter quadrageſimo.

## *Dignitas.*
## *Sect. IV.*

OB ſingularē in Deū religionē, vitæ probitatē, doctrinęq; ſacræ pręſtantiā, adeo Vir beatus excelluit, vt ſtatim ac per ętatē licuit, Beneuenti Epiſcopus fuerit renunciatus. Porrò ſciendū eſt, ne quis fallatur, duos olim habuiſſe eam ciuitatem Epiſcopos Ianuarios. Hunc, de quo agimus, primum: & alterū ætate, ac virtute poſteriorem: qui ſimul cum Calepodio, Neapolis, & Vincentio Capuæ Epiſcopis ann. 347. Legatus fuit à Iulio Papa primo ad Sardicenſe Concilium. Et vero Vrbs Beneuentum, antiquis etiam temporibus, fuit & celebris admodum, & viribus pollens. Quippe quæ, Romanam Rempublicam aduerſus Annibalem pecunia iuuerit: eo potiſſimum nomine à Liuio celebrata. Poſtea autem, Samnitium Principatu, ac Ducum Longobardorum diuturna ſede, magis magiſque inclaruit. Ac denique, duobus Concilijs ibi ſolenniter habitis, altero à Victore III. anno Chriſti MLXXXVIII. Altero à Paſchali II. ann. MCVIII. ditione Eccleſiaſtica adeo aucta eſt, vt (quod neſcio an alteri cuipiam ciuitati in Italia acciderit) viginti Epiſcopos iure Metropoleos etiamnum habeat ſibi ſubiectos.

Huius itaque inclytæ Vrbis Præſulatum B. Ianuarius ſtrenuè, prudēter, ac ſalutariter geſſit: eximijſque virtutibus, tantam circumquaque effudit lucem, vt ſuperiorum Epiſcoporum famam, & ipſa etiam nomina, in obliuionem adduxerit. Quocirca, in caſſum nunc, Photinum primum ſuum Præſulem à D. Petro, vt volunt, Beneuento datum, Ciues Beneuentani perquirunt. Leuis quippe auræ fama ſolummodo remanſiſſe videtur, nulla de ea re ſcriptura (quod ſciam) ſeu monumento ſuperſtite. Idipſum arbitror in cauſa eſſe, quam ob rem, Beneuentanorum Epiſcoporum Catalogum, acephalum nunc habeamus, primuſque in eo legatur B. Ianuarius iſte: quem certum eſt, non fuiſſe primum. Neque enim veriſimile videtur, vrbem Irpinarum Principem, ad Ianuarij vſque ætatem Epiſcopo caruiſſe. Cum alioqui ſciamus, eandem in ciuili politia, peculiari Præſide Roma miſſo, fuiſſe cohoneſtatam: qui ex ea ciuitate, veluti è ſpecula ſedeque Principe, omnia circumquaque Oppida moderaretur. Nihil itaque cauſæ excogitare eſt, cur Epiſcopum nullum Diuo Ianuario antiquiorem catalogus habeat, niſi quòd prædeceſſorum Epiſcoporum, & Photini etiam primi Epiſcopi memoria deleta ſit, ob præclaram lucem ſucceſſoris. Accedente

dente præſertim eo tempore Diocletiani Imperatoris immani ſæuitia:qua ſacros quoque Codices teterrimo edicto per totum Romanum Imperium peſſum dedit.

Eadem quoque Codicum clades,in cauſſa eſt,cur nunc neſciamus,an B.Ianuarius ad Concilium Sinueſſanum acceſſerit. Nam, etſi Catalogus illius Synodi Epiſcoporum, nullum nunc habet Epiſcopum Ianuarium,is tamen cum mutilus ſit,& è trecentis qui conuenerunt Epiſcopis, vix paucos habeat,non eſt tanti, vt ex eo,certo negari poſſit, ibi fuiſſe B.Antiſtitem Ianuarium:quem alioqui,illi debuiſſe acceſſiri,quòd vicinus,ſanctus, & doctus eſſet Epiſcopus,nemo vt reor,ibit inficias.

## *Studium,& Mores.*
## *Sect.V.*

QVæ duæ res, in Chriſtiano Paſtore potiſſimum exiguntur, Doctrina videlicet,ac diuini honoris zelus, ijs ab ineunte ætate, & vt Græcè in Mœnæis eſt *totus à pueritia conſecratus*, adeo ſtuduiſſe videtur B.Ianuarius, vt profectò, non aliud magis appoſitè de eo prædicari poſſit,quàm ideo illum paſtoralibus virtutibus,ſanctiſque moribus cælitus fuiſſe imbutum,vt oſtenderetur,quòd ipſum Spiritus ſanctus maturè deſignaſſet,&,vt ita dicam præſentaſſet, in futurum Chriſtianæ plebis Antiſtitem.Enim verò ex illis,quanquam paucis,valdeque exilibus, quæ de S.Ianuario habemus vetuſtis Codicibus, & Commentarijs, elucent nihilominus præclaræ quædam notæ inſignis Doctrinæ eiuſdemque veram Chriſti religionem propenſi ſtudij,certiſſimi indices.Recenſebo eas hoc loco breuiter,è monumentis geſtorum eius excerptas.

In primis,cum SS.Feſtus,& Deſiderius è Beneuentanæ Eccleſiæ Clero Nolam ad B. Ianuarium iam propter Chriſtum in carcerem à Timotheo Præſide detruſum, viſendum acceſſiſſent, deplorare cœperunt temporum iniquitatem,qua factum eſt, vt optimus paſtor vinculis conſtrictus detineretur.Simulque,paucis quidem verbis,ſed multa ſignificantibus,inſigne de Ianuarij virtute elogium ediderunt. *Quare,inquiunt,talis,ac tantus vir tenetur in vinculis? Quid enim criminis admiſit? Quando non ſubuenit periclitantibus? Quis ab eo æger viſitatus,non ſtatim ſanatus eſt? Quis ad eum triſtis aduenit,& non gaudens diſceſſit?* Ex his igitur apparet,quænam fuerint beatiſſimi Præſulis officia:& quàm ſedulo animarum ſibi à Domino commiſſarum curam ipſe geſſerit.Ea nimirum opera charitatis executus,quæ Chriſtus à Paſtoribus ſacris præcipuè, requirit.

Perpetuam verò animi,& corporis puritatem, actuumque innocentiam,nullo vnquam tempore temeratam, ipſemet Ianuarius disertè teſtatus eſt. Letho enim, & Cœlo proximus, ſic cum Deo dicitur collocutus. *Domine Ieſu Chriſte,qui ab vtero matris meæ,me non dereliquiſti in finem,ita nunc exaudi me ad te clamantem:& iube me iſtud ſæculum relinquere,& ad tuam miſericordiam peruenire.* Quæ verba licet primariò de paterna Dei cura,& protectione intelligenda ſint,nihil tamen prohibet,& ea piè interpretari,de nunquam perpetrato mortali facinore ab vtero ad tumulum vſque, per quod vnum,Deus nos derelinquit.Adeo vt,ea de cauſa potuerit Beatus dicere, ſe nunquam à Deo derelictum,

Pro-

Proſequebatur inſuper,tanto virtutem amore,vt,cum, fama narrante à Soſio Miſenate Diacono, Chriſtum Dominum impenſius diligi cognouiſſet, Miſenum vſque ipſe, licet ætate prouectior, ac celſior dignitate, prior ad illum viſendum,atque complectendum acceſſerit. De cuius euangelium perſonantis capite, flammam cum ſolus diuinitus exurgere vidiſſet,martyrium eam portendere prænunciauit. De ambobus,verum eſt illud Io. Diaconi dictum. *Doctrinæ pabulum,mutua ſibi ſubminiſtrabāt affluentia.*

Illuſtrius autem elogium exiſtimandum eſt illud, quod Anonymus, ſed vetus Orator de Ianuarij eximia doctrina,& admiranda virtute edidit. Id extabat apud Illuſtriſſimum D. Archiepiſcopum Vrbinatem Sanctorium in M.S.Cod.Longobardico,eſtque huiuſmodi. *B.Ianuarium, ſanctitas, Sacerdotem,peritia, Doctorem, Fides, Martyrem conſecrauit.* Deſumpſit porrò ea verba ex homil.2.Sancti Maximi Epiſcopi de S.Cypriano Martyre. Vt inde pateat, quanti fecerint maiores noſtri Beatiſſimum Ianuarium, quem D.Cypriano doctiſſimo Epiſcopo, ac Martyri celeberrimo, inſigni hoc elogio viſi ſunt adæquare. Et quidem haud immeritò. Nam,quod in Africa tota præſtitit Magnus ille Cyprianus,id in hac extrema Italia,verbo, & exemplo exhibuit Sanctus noſter Ianuarius,quod & in ſequentibus magis magiſque patebit.

Sed à Timotheo Præſide, qui eum damnauit, Ianuarij ſtudia venemur & mores. Huius namque iuſſu comprehenſus, vinctuſque fuit, quòd eum Chriſtianorum in ijs oris anteſignanum,& Chriſtianæ legis vindicem acerrimum,fama renunciaſſet. Id colligo ex verbis ab Officialibus Timotheo dictis. Nam cùm ipſi,Dracontij prædeceſſoris ſui geſta oblata fuiſſent,inque ijs legiſſet Soſium,Proculum, Eutycetem, & Acutium diuerſis ſupplicijs fuiſſe maceratos, *Requiſiuit Officium,quid de ipſis factum fuiſſet. Reſponderunt dicentes, multum eſſe temporis, quòd in ciuitate Puteolana tenerentur in vinculis. Et adiecerunt diffamantes opinionem Beatiſſimi Ianuarij Beneuentanæ ciuitatis Epiſcopi. Ipſe autem iniquiſſimus Timotheus, audiens opinionem Beatiſſimi Ianuarij,eum ſibi exhiberi iuſſit.* Quemnam quæſo nexum habere poterat ſermo de quatuor illis è Campania viris,iam pridem in carcerem detruſis,cum Ianuario Beneuenti Samnitium Epiſcopo, vt Officiales de illis notitiam Timotheo nouo Præſidi exhibituri, conſequenter adijcerent de Ianuario loqui, niſi quòd illos Ianuarius, aut in Chriſtiana lege inſtruxiſſet,aut ad martyrium ſuo diuino eloquio,& ingenti ſpiritu animaſſet? His accedit, B.Ianuarium,non Beneuēti, quod in Samnio eſt, ſed in Campania fuiſſe à lictoribus comprehenſum. Nam cum Acta,vt dudum retuli, dicant Timotheum ſibi eum exhiberi iuſſiſſe, inde apertè colligitur in ea Prouincia, in qua Timotheus Præſes iuriſdictionem exercebat, non autem in alia, hoc eſt,in Samnii Prouincia,illum tunc fuiſſe,cum captus fuit. Quæ quidem res probè conſiderata,Beati Ianuarij ſollicitudinem magnopere commendat,quam omnium Eccleſiarum in ſua,& finitimis etiam Prouincijs, velut alter Paulus Apoſtolus,ſumma cum vigilantia, aſſiduoque corporis labore,& animi angore gerebat. E Beneuento ſæpius,atque è Samnio in circumadiacentes Prouincias, prout Reipub. Chriſtianæ referre videretur, excurrens. Itaque, quòd ad Soſium Diaconum Miſenatem viſendum, & conueniendum, Ianuarius Præſul Beneuentanus Miſenum vſque abierit, quòdque eorum, quos pro Chriſti fide in carcere Puteolano concluſos reperit,ſe Paſtorem agnouerit,& profeſſus fuerit,paſtoralē erga eos curam,

his verbis, quæ Acta recitant. *Benedictus Deus, qui me huc direxit, vt nec Paſtor ſine grege, nec grex à Paſtore videatur diuelli*, haud obſcurè ſignificat, etiam erga alios, per ea tempora Martyris, ſuam ipſius operam acceſſiſſe; illorumque Chriſti militum, ipſum veluti Ducem, & Signiferum extitiſſe. Idipſum certè Richmus ille ſacer quem in eccleſiaſtico officio Græci canunt perbellè teſtatur in Ode VIII. ὑψώθης ἐν ὕψει, &c. Hoc eſt, *In celſitudine venerandi Martyrij tui è Beate, quaſi Sol occaſum neſciens, Martyrum multitudinem veluti diuinas quaſdam ſtellas ducebas.*

## *Adminiſtri, Amici, & in Martyrio ſocij.*
### *Sect. VI.*

ADminiſtri fuere plurimi, hoc eſt, Presbyteri, & Clerici omnes Beneuentanæ Eccleſiæ. Clericorum verò cœtum, vtpote Chriſtiani populi ducem, eo tempore immanis Diocletiani perſecutio potiſſimum exagitabat. At verò inter Beneuentanos nominatim emicuere, Feſtus Diaconus, Deſiderius Lector. Illum græca Mœnæa appellant *Fauſtum*. Eiuſdem verò, ac Deſiderij ſocij memoriam celebrant ad 21. April. Inuiſunt hi Ianuarium jam Nolæ à Timotheo Præſide poſt varia tormenta carceri mancipatum. Flagrabant enim hi, præ cæteris Beneuentanæ Eccleſiæ Clericis, Epiſcopi ſui amore. Cum itaque ipſum vidiſſent in fœda illa, & tenebricoſa loca detruſum, perculſi ſpectaculo tanti viri, tàm dira paſſi, atque afflictim ea de re lamentati, in ſe ipſos ſæui Præſidis iram conuerterunt. Capti igitur & ipſi ſunt illico: atque in eundem coniecti carcerem, martyrij mox perficiendi vna cum ſuo Beatiſſimo Præſule euadunt candidati. Olim Eccleſia peculiaris D. Feſto dicata fuit à Stephano ſecũdo Epiſcopo Neapolitano, vt in Chronico Epiſcopor. Neapolis legitur. Deſiderius verò non ſimpliciter Diaconus dicitur, ſed in gignendi caſu, Diaconus Ianuarij. Sic apud alios, Diaconus Malachiæ, Diaconus Bernardi. Eo vtebantur etiam in Miſſa priuata: fortè vt calicem communicaturis miniſtrarent. Eodem etiam modo Lectores iuncti erant ſuis Epiſcopis: dicebaturque Lector ἀναγνώστης. Hoc eſt, quaſi diceres, *Aiutante di ſtudio*. Sic Proclus fuit Anagnoſtes Chriſoſtomi, Pontius Cypriani. Idem enim Lector eſt, ac ſi græcè dixeris ἀναγνώστης.

Socios præterea martyrij quatuor alios habuit Ianuarius, Soſium videlicet Miſenatem, & Proculum Puteolanum Diaconos. Eutycetem inſuper, & Acutium nobiles Puteolanorum ciues.

De Soſio ſubolet mihi coniectura, ipſum non virtutum tantum imitatione, ſed etiam ſanguine, fuiſſe Ianuario coniunctum. Et Miſeni olim extitiſſe nonnullos ciues è nobili ſtirpe Ianuaria, vetus lapis, qui Neapoli proſtat, hiſce verbis oſtendit.

D. M.
M. ANTONIVS IANVARIVS
HONORATVS AVGVSTALIS
MISENAS.

Omitto cæteras Inſcriptiones, quæ apud Gruterum extant. Eſt autem veriſimile, illos Ianuarios, qui Miſeni, vicinæ, & ſubditæ Neapoli ciuitatulæ eſſent, aliquam, vt fit, contraxiſſe conſuetudinem cum Neapolitanis Ianuarijs; & fuiſſe iſtis nonnullos,

aut

aut cognatos,& affines,aut,quod certius eſt,gentiles. Atqui dices. Non legitur Soſios alicubi vocatos fuiſſe cognomento Ianuarios. Immò legitur. Adi iam dictas Inſcriptiones numero CXXVI. & planè reperies,aliquem è Soſiorum ſtemmate vna cum Ianuarijs in quodam celebri Collegio deſcriptum. In illa enim ampliſſima marmorea tabula, quæ Romæ ad Quirinalis collis radices extat,leguntur. ***A. Egridius Ianuarius, T. Arranius Ianuarius,& C. Soſius Ianuarius.*** Itaque inter multos Ianuarios,alijs atque alijs cognominibus inſignitos,apparet aliquos cũ Soſia quoque gẽte, quæ & ipſa apprimè nobilis erat,aliquando fuiſſe coniunctos. Eiuſmodi autem coniũctio plerumque adoptione fiebat,ſicut Octauianus Auguſtus, adoptione, Iulij nomen acquiſiuit: & alij item nomina alia,quæ nõ eſt operæ pretium huc adducere. Mihi ſatis eſt reperijſſe Soſios Ianuarijs coniunctos olim fuiſſe,vel affinitate,vel, quod crebrò fiebat,adoptione. Credibile autem eſt,Soſios,& Ianuarios Miſeni coaluiſſe,poſtquam Cæſar Auguſtus,*ex militaribus copijs legioni,& auxilia prouinciarum diſtribuens, Claſſem Miſeni ad ſuperi maris tutelam collocauit,quemadmodum & Rauenna alteram ad tutelam inferi.* Quod his ipſis verbis tradit Sueton.cap.39. Ex quibus militaribus copijs, ſi quos milites certa de cauſa Romam adire contigiſſet,eos,qui è Miſeno, Cœlium Montem,qui autem è Rauenna, Tranſtyberinam Regionem inhabitare voluit. Indeque ille militum turmæ dictæ ſunt, *Caſtra peregrina.* Erat igitur inter Romanos,& Miſenates frequens commercium: vt proinde Soſij aliquot,& Ianuarij,Viri Romæ, & alibi nobiles,facilè Roma Miſenum, & Miſeno Romam commeaſſe, & pleroſque Miſeni domicilium collocaſſe,familiamque propagaſſe videri poſſint. Photinus in Bibliotheca in Fl. Ioſepho meminit Soſij Romanorũ Ducis,qui Antigonum debellauit. Vtut res ſe habuerit,id compertum certumque eſt,aliquot Soſios,& aliquot Ianuarios,fuiſſe Miſeni ciues,& (quod ad inſtitutum valdè facit) affinitate, cognatione,aut adoptione coniunctos. Quid igitur prohibet ex his coniectari,Diuos Ianuarium,& Soſium,ſanguine,& patria fuiſſe propinquos? Certè ſingularis Ianuarij beneuolentia erga Soſium, & Soſij in Ianuarium inſignis obſeruantia. Crebra item illius ad Miſenum,iſtius ad Beneuentum profectio,noſtram roborat coniecturam. Ad hæc namque mutua, & crebra officia,non ſolum eos parem virtutum ſplendorem,& laudabilium morum conſenſionem,ſed ſanguinis quoque propinquitatem prouocaſſe,id planè indicat,quòd ſe quidem mutuo viſitaſſe leguntur apud Io. Diacon. in Act. Tranſlat. S. Soſij: ad alios autem itaſſe non leguntur: cum ſciamus tamen complures inſigni ſanctitate viros in varijs Campaniæ vrbibus,illa ætate floruiſſe. Igitur fatendum eſt,illius ſapientis veram eſſe ſententiam. ***Arctior colligatio eſt ſocietas propinquorum.*** Cic.2.offic. Quam quidem,etiam Paulus ad Galat.6.& 1.Timot.4.præfert beneuolentiæ in alienos. Hæc de SS. Ianuarij,& Soſij cognatione probabiliter exiſtimare poſſumus. Certiora nõ habemus, in tanta librorum clade, quam ætas illa Diocletianæa peperit, cum magno ſanè eccleſiaſticæ hiſtoriæ detrimento.

De huius Soſij capite euangelium legentis, cum vidiſſet Ianuarius explendeſcere ignem,vaticinatus eſt,illum futurum Martyrem. Niſi me puderet gentiles fabulas veris rebus admiſcere,afferrem huc,Seruij pueri, qui poſteà Romanorum Rex fuit,exemplum. Illius quippe caput dormientis,tradente id Plutar. de fortuna Romanor. cum viſum fuiſſet igne circũluſtrari, ***Bonũ indiciũ fuit inſperati Regni,quod obtinuit.*** Plura in hanc rẽ congerit

rit Cerda Æneid.2.verſu 682.Sed malo S.Polycarpi Martyris exemplum afferre:qui cum vidiſſet per quietem ceruical ſuum igneſcere, præſagium inde martyrij ſui agnouit.Euſeb.lib.4.cap.14. Soſius autem licet non fuit igne læſus,ſed gladio cæſus, fornacem tamen Ianuarij vidit, vnde incolumis euaſit: quo viſu, ad ſubeundum ipſe martyrium vehementer fuit accenſus.

Martyrium ſubijt Soſius eodem die cum Ianuario: eius autem feſtum celebratur poſtridiè D. Ianuarij. Sed in Eccleſia Benedictinorum vbi ſacrum eius corpus requieſcit,die 23.Septembris:quòd ſcilicet,eo die tranſlatum ſit è loco cædis ad Eccleſiam Miſenatem:vt Acta Ianuarij teſtantur his verbis.*Sanctum verò Soſium Diaconum, ciues ſui Miſenates tulerunt, & poſuerunt in Baſilica,vbi nunc requieſcit IX.Kal.Octobris.* Hoc eſt,quarta poſt martyrium die.Ex quibus verbis,erroris redarguitur Regius, qui vult eo die Neapolim fuiſſe tranſlatum.

Noto etiam cum Beda in Martyrolog.ad IX. Kal.Octobris,triginta annorum fuiſſe Soſium cum martyrio coronatus fuit. Ephemeris etiam VValafridi,quæ tribuitur Bedæ,ad eundem diem hæc habet.tom.1.Bedę, *Leuita,& Soſius merito ſplendeſcit honore.*

Porrò fuiſſe S. Soſij celebrem ex ſanctitate famam, illud præcipuè demonſtrat,quòd multi impoſtores,ſanctitatem eius ementiebantur,vt inde lucellum aliquod facerent. Extat huiuſe rei inſigne teſtimonium apud Proſperum lib.de prædict.& promiſſ.dimid.tempor.cap.6.in fine,his verbis. *In Italia,nobis apud Campaniam conſtitutis, dum venerabilis, & Apoſtolico honore nominandus Papa Leo Manichæos ſubuerteret, & contereret Pelagianos, & maximè Iulianum: ambiens tunc quidam Florus nomine, ſpiritu ſeductionis arreptus virtutem,& meritum ſibi S.Soſij Martyris aſsignans,cum haud procul à Neapolitana ciuitate,in ſubuerſionem animarum,quædam promitteret,faceretque illicita, à germano venerabilis Noſtriani Epiſcopi,& Herio presbytero ſimul cum Clericis prædicta Eccleſia tentus,& coercitus,ſic à præfata Prouincia liminibus pulſus eſt.* De Sancto Soſio extabat olim peculiaris miſſa, Oliuerij Cardinalis Carafæ, Archiepiſcopi Neapolitani iuſſu edita.

Fuit olim Romæ Eccleſia S.Soſij,de qua hæc Panuin. libello de VII. Vrbis Eccleſijs, vbi de Baſilica S.Petri cap.4.circa medium. *A ſiniſtro verò latere* Baſilicæ,*delubra fuere* S.Soſij,*Sancti Apollinaris, & Sanctæ Crucis à Symmacho Papa,Sanctæ Luciæ à S.Gregorio condita.* Rurſus Caluus Epiſcopus Neapolitanus extruxit Oratorium Sancti Soſij, non longè ab vrbe, vt Io.Diaconus in Caluo ſcripſit. In vetuſto camerato abſide Eccleſiæ Sãcti Priſci, via Aquaria Capuanæ Diœceſis,viſitur ex muſiuo opere imago multorum SS.in queis eſt Sanctus Soſius. Adi Michaelem Monachum, Capuanum Canonicum,in Sanctuario Capuano,par.2.pag.1.& 2. De Templo Neapolitano SS.Seuerino, & Soſio dicato videatur Engenius in Neapoli ſacra.

De Proculo, Acutio, & Eutycete res eſt clariſſima, ac in Romano Breuiario narrata. De iiſdem Miſſam etiam edidit Oliuerius Carafa Archiepiſcopus Neapolitanus, Puteolani depoſuerunt eorum ſacra pignora in Prætorio Falcidij,qui fortè locus idem eſt, ac ille, vbi poſtea Monaſterium Falcidij extructum fuit,de quo vide Gregor. P. epiſt.39.lib.8. Acutium Menolog.Græcor. vocat Acutionem 21.April. Epiſcopus Equilinus Acacium.Fortè melius Eutycus appellabitur. Olim enim vſitatum id nomen

men teſtatur Inſcriptio marmorea, apud Falcum de loc. antiq. Neap. huiuſmodi, *Meuius Eutycus Aediculam reſtituit Sebeto*.

Hos duos laicos (Proculus enim Diaconus erat) fuiſſe Neapolitanos affirmant Villanus, & Summontius. Negat Io. Diaconus in hiſtoria tranſlationis S. Soſij dicens, eos fuiſſe Puteolanos, *Proculus, inquit, Diaconus, & Eutyces, atque Acutius illuſtriſsimi ciues Puteolani*. Et quidem Puteolanus carcer id ſuadet, in quo reperit eos S. Ianuarius, in quem etiam Feſtus, ac Deſiderius Nolæ comprehenſi, fuerant coniecti. Acta tamen non ſuffragantur Io. Diacono, qui fortè ex eo deceptus eſt, quia Acta poſt Proculum ciuem Puteolanum hos nominat. Horundem duorum Martyrum corpora, Neapolim trãſlata die 19. Octobris, ab Epiſcopo Stephano tertio ſub Ara maxima Archiepiſcopalis Templi requieſcunt. Eorum vitam ſcripſit Petrus Subdiaconus, qui vixit Stephano tertio, & Athanaſio ſecundo circa annum Chriſti 899.

Sex itaque fuere Sancti Martyris Ianuarij in martyrio Socij. Nuperrimè tamen Marius Vipera Beneuentanus Archidiaconus ſeptimum illi addidit, Stephanum nomine, in ſuo de Beneuentanis Epiſcopis opere. Similiter, & Fuluius quoque Cardulus lapſus eſt in Notis ad vitam SS. Abũdij, & Abundantij Martyrum, cum agit de cæſis tempore Diocletiani. At ego certè noui Beneuentum ſacris Stephani lipſanis ornatum anno 1119. à Landulpho Archiepiſcopo inuentis, vti Falcus Beneuentanus tradit: quę ego ipſe ante annos quatuordecim publici Iuris feci, & Propyleis, & Nomenclatore illuſtraui. Sed hunc Ianuarij fuiſſe ſocium intra annorum plus mille ſpacia, neque mihi, neque quadraginta ferè Auctoribus, qui me præceſſerunt, innotuit. Prudenter itaq; feciſſe videtur Bilocta, Viperæ alioqui hyperaſpiſtes, qui de hoc Ianuarij nupero Socio, ne verbum quidem. Prudenter, inquam, quia Bedam ſequi voluit, cuius hæc ſunt verba. *In Neapoli Campaniæ, Natale Sanctorum Ianuarij Beneuentanæ ciuitatis Epiſcopi, cum Soſio Diacono Miſenatæ ciuitatis, & Diacono ſuo Feſto, & Lectore ſuo Deſiderio. Qui poſt nonnulla, & carceres, capite ſunt cæſi in ciuitate Puteolana, ſub Diocletiano Principe. Qui cum ducerentur ad mortem, viderunt inter alios Proculum Puteolanæ ciuitatis Diaconum. Et duo laici Eutyces, & Acacius interrogauerunt, quare iuſti iuberentur occidi? quos Iudex, vt vidit eſſe Chriſtianos, iuſsit decollari cum illis. Sic omnes ſeptem pariter ſunt decollati. Et tulerunt eorum corpora populi Chriſtianorum, Neapolitani Ianuarium iuxta ciuitatem in Baſilica, Puteolani Proculum, Eutycetem, & Acatium iuxta Baſilicam Sancti Stephani. Feſtum, & Deſiderium Beneuentani collegerunt.* Totidem ferè verbis Sanctus Ado remipſam narrat. Acta prætereà martyrij eorum, in ſeptenario numero Martyrum aliquid ſubeſſe conſiderant. *Septem namque pariter beatiſsimi Sancti martyrizati fuerunt, quorum vna ſeptenarij forma, Omnipotentis Dei, & Domini ſui Chriſti eorum capta corona, vixerunt in ſæcula ſæculorum*. Quid? quòd ex ipſa Timothei Præſidis ſententia, qui eos neci damnauit, ſeptem tantum eos fuiſſe manifeſtè colligitur. Ecce ipſam. *Ianuarium Epiſcopum, Soſium, Proculum, & Feſtum Diaconos, & Deſiderium Lectorem, Eutycetem, & Acutium ciues Puteolanæ ciuitatis, qui ſe Chriſtianos eſſe profeſsi ſunt, & Dijs libamina, & Imperatorum præcepta contempſerunt, capite cædi iubemus*. Numera, & ſeptem habebis, non octo, vt Viperæ videntur.

Verùm, nonniſi ex cænoſo aliquo fonte, turbidam, & fœtidam iſtam aquam haurire potuit Vipera: & ita profectò fuit. Secutus eſt enim neſcio cuius Epiſcopi Cabilonenſis ſententiam, quam edidit poſt ſuum Martyrologium

logium Maurolycus. (Vtinã eadem ſcientia in hiſtoricis, qua & in mathematicis præditus) cui ipſe primus, Primi nomen indidit. Sed plura ſunt, quæ huius Primi auctoritatem apud quoſcumque cordatos viros eneruem prorſus,& omninò vanam reddant. Primò quidem, nullam de eo mentionem reperiri apud eos,qui de Scriptoribus Eccleſiaſt.cis, ſiue antiquis, ſiue recentioribus ſcripſerunt,qui multi fuere,& diligentiſſimi.Imò Poſſeuinus ipſe, qui Maurolyci Martyrologij meminit, de Cabilonenſi illo adiuncto non meminit. Præterea notum eſt ex Ioan.Chemio,& alijs Galliæ Chriſtianæ Scriptoribus, neque Cabilone, neque in vniuerſa Gallia vllum aliquando fuiſſe Epiſcopum,cui nomen Primo. De ſuo ergo capite illum ſibi confixit Maurolycus. Ad hæc,non ſemel erraſſe videtur nouus iſte Primus:littera enim S.ait, *Spoletum ciuitas Italiæ,Hic Concordius,& Sabinus Epiſcopi,Exuperantius,Marcellus, Venuſtianus, cum vxore, & filijs ſub Diocletiano, & Maximiano Martyres.* Conſtat autem ex alijs Martyrologijs, ac præſertim Romano, Concordium non ſub Diocletiano, ſed multò ante, nempè ſub Antonino,fidei certamẽ obijſſe. Præterquam quòd quatuor illi,qui ſub Diocletiano cæſi ſunt,non eodem die, ac ſimul, vt ipſe videtur aſſerere,ſed ſeiunctim,& diuerſo tempore paſſi ſunt. Similis confuſio legitur littera N.verbo *Nola*:& littera A.verb. *Antiochia*,de Eraſmo,cum loquitur:& littera C.confundens Comum Galliæ Ciſalpinæ ciuitatem, cum Cumis Campaniæ:& in re noſtra Ianuarium cum Stephano:ex eo tantum, quòd legiſſet Ianuarij ſocios aliquot,*iuxta Baſilicam Sancti Stephani fuiſſe tumulatos.*

Tot itaque ſinceris teſtimonijs, maximaque pollentibus auctoritate adhærere debebat Vipera,quàm incerto huic Cabilonenſi: quòd ſi ipſum ſequi placuit,cur non eum ſequutus eſt, cum in verbo *Neapolis*, Stephanum iſtum Ianuario non adiunxit? *Ianuarius*, inquit, *Beneuetanæ vrbis Epiſcopus, Feſtus, Proculus,& Soſius Diaconus, Deſiderius, Eutyces, & Acutius ſub Diocletiano Imperatore.* Vides nullam Stephani fieri mentionem. Imò fieri,dicet aliquis in verbo Beneuentum. *Beneuentum Italiæ ciuitas.Hic Ianuarius Epiſcopus, Feſtus, Stephanus, & Deſiderius ſub Diocletiano Martyres.* Inepta prorſus collectio. Nam eſto ſincera eſſent verba, vti certè non ſunt, τὸ *Hic* ad Beneuentanam ciuitatem referri debet, neque aliud ſignificat, niſi ibi quatuor illos Sanctos eſſe,non autem omnes ſimul martyrio coronatos. Patriæ amor Viperæ oculos perſtrinxit,& obnubilauit.

## *Iudex, & Acta.*
## *Sect. VII.*

TImotheus Iudex fuit. Acta martyrij,Lectionarium vetus Beneuētanæ Eccleſiæ,Vincentius Beluacenſis,Petrus Epiſcopus Equilinus,Antoninus Florentiæ Archiepiſcopus,ac Romanum Breuiarium,Præſidem eum conſtanter vocant.Ioannes autem Diaconus, in Actis vitæ,& Translationis Sancti Soſij,nunc Præſidem,nunc Conſularem. Menæa verò Græcorum magna *ἄρχων Καμπανίας.* Hoc eſt,Præfectum,Præſidē, Ducem, & vt Menologij interpres vertit, Conſularem Campaniæ appellant. Latè enim patet huius græcæ vocis ſignificatio. Haud tamen valdè inter ſe iſti diſſident. Nam, vt benè Baronius obſeruat, Notis ad Martyrol.27.

rol.27.Maij,ſolent aliquando veterum Martyrum Acta,eos vocare Præſides,quos magis propriè,Præfectos vocare oportuiſſet:& è contra, Præfectos,qui Præſides, aut Conſulares dici debuiſſent. Suppetunt in antiquis Martyrologijs,hiſtorijſque exempla complura. Apricius,qui Diocletiano Imperatore præfuit Cappodociæ,in Martyrologio Romano,die 6.Februarij Præſes,à Beda autem Præfectus vocatur.Licinium item Conſularem, qui in Actis S.Simphoroſæ legitur,idem Beda Præfectum appellat. Quocirca rectè docuit Feneſtella lib.de Magiſtrat.vrb.cap.vlt.Præſidis nomen eſſe generale:eo quòd, & Proconſules, & Legati Cæſaris, & alij quique Prouinciarum Rectores,licet Senatores fuerint,Præſides appellati leguntur. Conſularem Campaniæ in multis lapidibus memoratum habes apud Grut. CXCIII. 1.CCCLXIIII.2.CCCLIII.2.CCCLVIII. 3.CCLXXI. 1. & aliàs.

Porrò,quòd Timotheum, Io.Diaconus Conſulem appellarit,id non ideo dixit,quòd Conſul aliquando fuerit. Nullus enim in Romanis Faſtis per ea tempora apparet Conſul Timothei nomine. Sed quòd Conſulari propemodum poteſtate præfuerit toti Campaniæ. Nam inter octo Italiæ Prouincias, quæ ex Adriani Imperatoris inſtituto à Conſularibus regebātur,Hiſtorici primam numerāt Campaniam. Sic namque apud Panuinium in ciuit.Rom.& Auctorem Notitiæ vtriuſque Imperij:Et hoc ordine recēſentur,*Campania,Tuſcia cum Vmbria,Picænū, Flaminia, Aemilia,Venetia, Liguria,Sicilia*.Septem verò reliquæ,Præſidibus regebantur.Quocirca,Campaniæ Præſes, in antiquo lapide, qui Romæ ad Forum Traiani proſtat, & in Critico Theſauro,tom.4. à Ioſepho Caſtalione, variar. lection. cap.21. refertur fol.578. Proconſul appellatur.

*Anicio Anchenio Baſſo*
*V.C.Quæſtori Candidato,vno eodemque*
*Tempore Prætori Tutelari.Proconſuli Campaniæ. Præfecto vrbi, Trini Magiſtratus,*
*inſignia,facundia,& Natalium ſpecioſa luce*
*Virtutis ornanti &c.*

Alibi verò,Conſularis Cāpaniæ appellatur:vt apud Gruter.CXCIII. 1.CCCLXIIII.2.CCCLIII.2.CCCLXXI.& aliàs ſæpiſſimè; & Neapoli lapide ad D.Seuerini reperto,de quo Capacius lib.1. c.3.

*Poſtumio Lampadio V.C.*
*Et inluſtri Conſ. Camp.*
*Reſtitutori Patriæ,*
*Et Redintegratori operum public.*
*Ordinis prouiſor, populi ſubuentori,ob inſignia eius vniuerſa.Patrono longè à maioribus,*
*originali ordo Capuenſis voti,*
*& obſequij ſui pignus locauit.*

Romanus autem iſte Lampadius fuit:& anno Chriſti 530.Romæ Conſulatum geſſit vna cum Fl.Oreſte. Vide Panuinij Faſtos in Appendic. pag.12. Non eſt itaque dicendus Capuanus, quamuis longa Auorum ſerie genus è Capua duxiſſe potuerit. Aliàs paucos Roma habuiſſet ciues: nam ferè omnes,aut certè quamplurimi,aliundè duxere genus.Adi Onuphrium lib. de nominibus. Hic itaque Lampadius cum anno 530. Romæ Conſul extitiſſet,

tiſſet,anno ſequenti,hoc eſt 531. de more Conſularis, ſiue Proconſul ſortito fuit.Hæc item Inſcriptio,illud inſuper docet, eandem formam magiſtratuum, quam Adrianus inſtituit, non modo vſque ad Conſtantini tempora fuiſſe ſeruatam ( quod & Victor, qui Theodoſio Imperatore vixit, apertè teſtatus eſt, quidquid Appianus lib.1.de bello ciuili aſſeruerit, id Adriani inſtitutum non diù duraturum poſt eius obitum ) verum etiam ad Iuſtinianum Imperatorem perduraſſe.

Redeo nunc ad Timotheum.Vti ex Actis cõſtat, propriè Conſularis, ſiue Proconſul dici debet. Et Proconſulem quidem eum appellat doctiſſimus Baronius tom.2.Annal.ad an.305. Neque obſtat, quòd in Faſtis Romanis Conſularibus Timotheus iſte non appareat. Nam eo titulo,non ij ſolum fruebantur,qui proximo anno Romæ geſſiſſent Conſulatum (vti florente Rep.factitatum eſt)ſed(cum Imperatorum libito omnia fierēt)etiam illi, qui nullum antea geſſiſſent Magiſtratum vrbanum, Conſulares dicti ſunt,quia Prouincijs Conſularibus præficiebantur.Honorarij quippe tituli erant Conſules,& Proconſules ſequioribus illis ſæculis.Hos verò Conſulares,ſiue Præſides, atque adeo Timotheum per plures quandoque annos adminiſtraſſe Prouincias, colligitur ex ijs, quæ ſcripſit Baronius 2. April.in Theodoſia:tradit enim ex Euſebio, vrbanum Conſularem Palel-tinæ,vſque ad ſuum obitum eam Præfecturam continuaſſe.

Reſidere autem ſolitum Capuæ,illum, qui Campaniæ eſſet Conſulatis, oſtendere nititur Michael Monachus ex Actis Sancti Carponij Martyris. Quod quidem,ſi de antiquiſſima illa Capua intelligatur,veriſimile eſt. Quando ſcilicet Campaniæ caput audiebat Capua. At ſi de ſequenti tempore, Geſta SS.Martyrum euincunt,Campaniæ Præſides, vel Nolæ fixiſſe Tribunal, ceu Auguſti Cæſaris diuturno incolatu, & deceſſu nobilitatæ, quod Ambroſio Nolano arriſit. Vel,ſi id negetur, eos non vno in loco fixiſſe ſedem,ſed eam mutaſſe pro libito.Sic Maximus Præſes ſub Domitiano, Atinæ erat, cum excruciauit S.Marcum primum eius ciuitatis à Petro ordinatum Epiſcopum:vt legitur in Actis eius apud Flor.Vrbinatem: & in Act.SS.MM.Nicandri,& Marciani,apud Petr.Diac.Caſſinenſ.Quibus ſuffragantur fragmenta quædam antiqui Codicis M. S. Eccleſiæ Atinenſis apud eundem ab eodem Flor.laudata. Flauianus item Campaniæ ab Antonino Pio Imperatore Præfectus,Atinæ legitur conſediſſe cum toto aulito ſatellitio, in Actis S.Iuliani Martyris Atin. apud eundem Flor. Sic alij Terracinæ,vt in Actis S.Cæſarij, & alij alibi. Extat Plinij Epiſt.24. lib.8. monentis Maximum,quomodo gerere ſe debeat in Præfectura ciuitatum liberarum.

Succeſſit Timotheus Dracontio, vt conſtat ex Actis Soſij Martyris, à Io.Diacono ſcriptis:& ex Actis item Sācti Felicis Nolani Martyris apud Surium.Beda etiam,ac vetus Breuiarium Salernitanum,idipſum oſtendūt. Dracontius verò,ſiue,vt alicubi legitur Dracus, is fuiſſe videtur,qui præter Felicem,& Soſium,Proculum etiam,& Eutycetem,atque Acutium cōprehendit,diriſque ſupplicijs tortos, in Puteolanum carcerem detruſit, & Romæ Felicem,& Adauctum neci damnauit:vt eorum Acta prodũt.

Sed cum in Actis dicatur,Timotheum veritum Principum decreta, in B.Martyrem,ſæuius exarſiſſe. Lubet eam Diocletiani epiſtolam hic aſcribere,quā Paſicrates S.Georgij ſeruus in eius vita refert apud Suriū 23. Aprilis. Eſt autem iſta ad Præſides,cæteroſque Magiſtratus. *Diocletianus*

*Max.*

*Max.ſemper Auguſtus æternus Imperator.Omnibus per omnem Prouinciam,ac Romanorum Imperium Ducibus,ac Præſidibus, magiſtratu aliquo fungentibus ſalutem. Quoniã ad Diuinas noſtras aures fama peruenit, quæ nõ mediocriter nos perturbauit, hæreſim quandam valdè impiam eorum,qui Chriſtiani dicuntur vigere cœpiſſe:quippe qui Ieſum,quem Maria quædam Iudaica fœmina peperit,vt Deum colunt: Apollinem verò magnum illum Deum,Mercurium,Dionyſium,Herculem,ac Iouem ipſum, per quos noſtræ Reip.pax data eſt,contumelioſis maledictis inſectantur, venerantes vt Deum,Chriſtum illum,quem Iudæi tanquam maleficum in Cruce ſuffixerunt: hac de cauſa edicimus,vt omnes Chriſtiani tàm viri,quàm mulieres,per omnes vrbes,ac Regiones,ſupplicijs acerbiſſimis ſubijciantur, niſi Dijs noſtris immolare, & errorem illum ſuum abijcere noluerint.Et ſi quidem paruerint,veniam illis dari volumus. Sin minus,gladio percuti,& morte peſſima puniri.Illud autem ſcitote,ſi noſtra hac diuina edicta neglexeritis,eaſdem,quas & illi dabunt pœnas,vos daturos*. Sic Polycrates, ex quo Lippomanus, Surius, & Anonymus Scriptor vitæ SS.Abundij, & Abundantij.Nec Baronius aliquam in eum exercuit cenſuram.

Verùm tam efferata Timothei crudelitas, experta fuit ſtatim vindicem Dei manum in eius armatam exitium. Ipſo enim die,quo Beatus effuſo ſanguine Cœlum petijt,petijt ipſe infernale baratrũ, diris doloribus agitatus. Sed & quamplures Præſides,ob vexatos Chriſtianos Deum ſenſiſſe vindicem, adnotauit Tertullianus ad Scapulam cap. 3. præcipuè de Vigellio Saturnino,Claudio Herminiano, & Cæcilio Capella.

Quòd verò ad ipſa Acta martyrij ſpectat, exiſtimo illa haud fuiſſe præſidialia,ſiue relata in Proconſularia geſta. Stylus recentior id ſuadet, & potuerunt excipi ex illis,ac ſtylo recentiore ſcribi. Baronio enim teſte cap.4.Præcapitulation. Martyrolog. non Romæ ſolum, ſed in tranſmarinis etiam Eccleſijs,Clerici aſſignabantur,quibus cura eſſet,Martyrum natales dies adnotare.Id autem illorum etiam auxilio fiebat. Sic,eodem teſte cap. 1. Præcapitulat. exemplo conſtat Paulini Ambroſij notarij, qui etiam,vitam eius conſcripſit, in qua ait ſe fuiſſe ſub cura certi Diaconi, ad quem cuncta referret.Si quis verò curioſius ſcire velit, quænam fuerit Actorum huiuſmodi materia,quiſue Inſtitutor,adeat Lipſium Commentar.in lib.V.Annal. Cornel. Taciti.

## *Tempus necis.*
## *Sect.*VIII.

ANno Chriſti CCCV.Conſtantij, & Galerij Impp.II. Iiſdemque V.Coſſ.atque adeo conditæ Parthenopes M.CCC.XXXIV.Timotheus eodem anno,quo Campaniæ rectionem inijt, in Ianuarium animaduertit.Codices autem nonnulli, ac Lectionarium typis Neapolitanis impreſſum anno 1525. corruptè, habent *Conſtantini*, vice *Conſtantij* eius Patris,qui Eboraci Chriſtianus obijt anno ſequenti: Socrat.lib. 1.cap.1.Is verò Conſtantius,non erat Romæ,ſed in Britannia. Itaque carnificina,quam Timotheus præſes exercuit in Cãpania,adeoque in vniuerſa Italia, ex impij Galerij ſententia gerebatur. Quòd autem etiam vetuſti Codices Longobardici,nempè Sanctorianus,Beneuentanus,& Caſſinenſis habeant hic ſextum Galer. Maximiani Conſulatum: Faſti autem habeant quintum,id quidem diſcrimen oriri potuit,ex eo quòd anno vrb.C.1046.

quo Faſti figunt Maximianum Auguſtum, cognomento Herculium Conſulem,Scriptores dictorum Codicum,identitate nominum decepti,poſuerunt Maximianum Cæſarem,appellatum Galerium, quo factum eſt, vt ipſis,anno ſequenti conſignandus fuerit,non primus Galerij Conſulatus, vt Faſti habent,ſed ſecundus: ac proindè anno V. C. 1057. quo Faſti ponunt Conſtantium V.& Galerium Maximianum V.Conſſ.ipſi conſequenter poſuerunt Conſtantinum VI.Sed nobis ſtãdum eſt antiquis Romanis Faſtis, quos,vt vetuſtiores omittam,ſecuti ſunt complures,Sigonius,Baronius, & alij .

Hic annus Chriſti 305, Scaligero eſt annus Æræ Diocletianæ annus vndecimus.Æræ Martyrum annus quartus: quamuis alijs , eadem ſit Æra Diocletiani,atque Æra Martyrum,ſiue,vt Græci loquuntur τῶν ἁγίων. Falsò autem Paulus Regius in vita Sancti Ianuarij,martyrium eius ponit ſub Caio Pontifice.Hic enim obijt anno Chriſti 296. At Ianuarius martyrium ſubijt anno, vt dixi 305.

Menſis proculdubio September fuit.Dies decima nona. Feria tertia. Nam fixa nece in annum Chriſti,vt diximus 305, eo anno littera Dominicalis fuit G: ac dies 19 incidit in feriam tertiam. Hora tandem martyrij Veſpera præceps.

## *Martyrium, & beata mors.*
## *Sect.* IX.

VT diſtinctè beatam Sancti Martyris necem Lectoribus repræſentem,in minutulas aliquot partes hanc Sectionem ſubſeco.

Ac primum,de Timothei , atque Galerij feritate dicendum. De Timothei porrò feritate extat in Actis S.Ianuarij illuſtre teſtimonium. In quibus,Eccleſiæ Notarij,illum vocant,*Paganum crudeliſſimum, Tyrannum iniquiſsimum, Præſidem impijſsimum, Iudicem inſanum.* Eius ſæuitia tanta fuit, adeoque contumax durities , vt quamquam à mitiſſimo Ianuario ingenti fuiſſet beneficio affectus,reſtituti ſcilicet luminis oculorum , quo nihil eſt homini charius,in ſua tamen feritate immotus perſtitit: gratiamque Principum prætulit iuſtitiæ,& humanitati.Hic ego in mentem reuoco,id quod Euſebius de Vrbano Paleſtinæ Præſide ſcriptum reliquit,lib.2. cap.17. Illum videlicet ad immanitatem,& feritatem,magis magiſque fuiſſe accenſum, quòd ſperaret eo impenſius gratiam, ſe Maximini Cæſaris adepturũ, quo crudelius ſe gereret in Chriſtianis excruciandis. Idipſum Timothei innatam ſæuitiam acuit , & auxit, quòd certo ſciret , Galerio Maximiano, qui tum rerum potiebatur, gratiſſimam rem ſe ea ratione facturum . Erat quippe Galerius iſte Maximianus par in impietate , & crudelitate , Maximiano & Diocletiano,qui iam ſe Imperio abdicauerant. Et,cum hic eſſet annus quartus acerbiſſimæ perſecutionis à Maximiano & Diocletiano, qui iam ſe Imperio abdicauerant,denominatæ, & in Britannia ageret Cõſtantius Chlorus miti ingenio Princeps, totum ſtudium Chriſtianos vexãdi,qui in Italia erant,in vnum penè Maximianum Galeriũ incubuit.Quod eo libentius hic ſuſcepit,quo Chlorum cernebat in ſubditos omnes, & in Chriſtianos præcipuè, benignè ſe gerere . Fuerat autem Diocletiano , & Maximiano,dum Imperium regerent, firmum propoſitum, Chriſti nomen penitus

penitus ex toto orbe Romano delendi. Quod cum illis non ſucceſſiſſet, eãdem rurſus rabiem in Chriſtianos, Maximianus in Occidente, & Maximinus in Oriente non modo inſtaurarunt, ſed & magis, magiſque auxerunt: aliam videlicet atrociorem perſecutionem, pro infenſiſſimo ipſorum in Chriſtianos animo, vbique terrarum indicentes: teſte Euſebio Cæſarienſi lib.8.cap.4.& 15. Crudeliſſimi itaque homines, ab ijs deligebantur, qui eſſent Prouinciarum Præſides, cuiuſmodi ſanè fuerunt Draconitus, & eius ſucceſſor Timotheus Campaniæ Conſulares.

Conſiderare hic poteris, Chriſtiane Lector, perſecutionis à Diocletiano ante annos vndeuiginti ſenſim inceptæ, & ab eiuſdem, etiam abdicati, & mortui nomine, poſtmodum appellatæ, ſeriem quandam per crudelitatis gradus, magis magiſque creſcentis, vſque ad hunc annum, quo B. Ianuarius occiſus eſt. Nam anno 285. qui fuit ſecundus Imperij Diocletianæi, exercuit quidem ille ſæuitiam in Chriſtianos, ſed abſque edicto vllo. Id patet ex Actis SS. Claudij, & Sociorum Martyrum apud Aegeam Lyſiæ Proconſulem peremptorum. Anno verò 286. edictum prodijt, vt nulli quidquam vendere, aut emere liceret, niſi adoratis quibuſdam paruis Idolorum ſtatuis, in vijs, vicis, Foris, locisque omnibus, eo fine expoſitis. Id narrant Acta S. Sebaſtiani, & Sociorum Martyrum. Acta S. Maximi Cumani Diaconi. Et Acta SS. Guriæ, & Samonæ Martyrum. Denique anno 19. Imperij, qui fuit Chriſti Domini 302. ipſa hebdomada ſancta, quam Chriſtiani impenſius in Chriſti cultum, & paſſionis eius imitationem obibant, prodijt edictum perſecutionis omnium præcedentium acerbiſſimæ: quam Hiſtorici, & Patres decimam vocant. Ea iuſſum fuit, vt vbique terrarum Eccleſiæ Chriſtianæ deturbarentur. Eccleſiaſticæ Scripturæ, librique omnes igni abſumerentur. Magiſtratum quemlibet adepti, cum ignominia de gradu deijcerentur. Priuatis hominibus, libertas adimeretur. Eccleſiarum denique Præſules in vincula conijcerentur. Et omnes cuiuſcumque ſortis Chriſtiani, omnibus tormentis adhibitis, ad immolandum Idolis compellerentur. Diocletiano autem, & Maximiano ſe abdicantibus Imperio, perſecutionem in Chriſtianos Galerius immaniſſimus Princeps non remiſit, vt iam dixi, ſed auxit: quemadmodum ex geſtis eius aduerſus Chriſtianos legere eſt in eccleſiaſticis hiſtorijs.

Porrò per id temporis Præſides ad carnificinam exercẽdam, quædam Campaniæ ciuitates, prout ſe opportunitas offerebat, variè inſederũt. Nolam videlicet, Capuam, Neapolim, Puteolos, Terracinam, prout cuique libebat, huc atque illuc per Prouinciam commigrare, exercendæ lanienæ elegerunt. Nolæ itaque Diocletiano Imperante legimus in Romano Martyrol. 15. Nouembr. cruciatum Felicem Epiſcopum, cum alijs triginta viris. Et 14. Februar. Felicem Sacerdotem, quem à ſepulturæ loco, *in Pincis* vocant à D. Paulino eximiè celebratum: atque alios complures, quos Nolanæ Eccleſiæ tabulæ continent. Cumæ verò produnt Maximum Leuitam, quem non fuiſſe ſolum, in ſanguine pro Domino fundendo, Acta eius martyrij haud obſcurè ſignificant. Capuæ item eadem perſecutio ſuſtulit Ariſtæum, Antoninum, Quintium, Arcontium, Donatum, Rufum, Carpophorũ, atque alios quoſdam à Michaele Monacho in Capuanæ Eccleſiæ Sanctuario diligenter enarratos. Neapolim autem haud exemptam fuiſſe ab hoc tetro ſpectaculo fundendi ſanguinis Chriſtiani, abundè à nobis probatum ſte: cum de SS. Martyribus Fauſtino, & Iouita ageremus. Præter quos, Tra-

iano Principe, Neapolim tractos, & hic terra,marique tortos,omnes illos mille,& quadrigentos viros,vel ſaltem bonam eorum partem,qui cum D. Chromatio ex Vrbe ad Campana littora Diocletiani perſecutionem deuitantes, deuenerunt, in territorio Neapolitano fuiſſe demum pro Chriſto occiſos,veriſimile eſſe,varijs alibi argumentis demõſtrauimus. Quãquam fortè hic non reſideret Præſes,quod fœderata Romanis eſſet ciuitas.Quod autem ſpectat ad Puteolos,iam ſatis ſuperque conſtat,fuiſſe eam ciuitatem B.Ianuarij, ac Sociorum eius triumphali ſanguine decoratam, Maximiano ſcilicet Imperatore,ac Dracontio, & Timotheo Præſidibus atrociſſimè ſæuientibus. Qui(Socij)fortiſſimi Chriſti athletæ, quot quantoſque ante mortem ſuſtinuerint cruciatus, haud facilè dictu eſt, deperditis maximè iniuria temporum,Soſij,Proculi,Eutycetis,& Acutij ſub Dracontio Timothei prædeceſſore præſidialibus Actis.Itaque ad vnum Ianuarium me cõfero,vt ex illo,quaſi ex forma cœterorum,ea quæ ſodales paſſi ſunt, poſſit vtcumque cognoſci. Hæc illum paſſum aſſero.

Primum Timothei iuſſu captus eſt Ianuarius, idque ob opinionem, ac famam circumquaque diffuſam ſanctitatis eius: & ex eo maximè quòd omnes ægri ab eo viſitati ſanitatem ſtatim conſequebantur: vt Feſtus,ac Deſiderius teſtati ſunt.Vide Acta. Quo autem id loco acciderit, Alphonſus Ianuarius in Carmine ſuo de Ianuario, Cumis accidiſſe aſſeruit.Quod falſum eſt,nam etſi Cumis aliquando Ianuarius fuit,& Miſeni, in qua Vrbe vidit è Soſij capite Euangelium legentis flammam exurgere, exiſtimandum tamen eſt,cum reuertiſſe Beneuentum:alioqui menſes multos,ac fortè annum integrum à ſua Beneuentana Eccleſia abſuiſſet:Dicunt enim Acta. *Reſponderunt Officiales,multum eſſe temporis, quo* Soſius, Proculuſque,*in ciuitate Puteolana tenerentur in vinculis.* Ij quippe ſub Dracontio comprehenſi fuerunt: ergo id ſolum dicitur,cum in Campania tunc fuiſſe,cum captus fuit:ſed in quo loco,incertum eſt.

Secundum, coniectus eſt in Nolanum carcerem catenatus cum promiſcua ſontium turba,inclytus ille Præſul,nullo nobilitatis, aut dignitatis habito reſpectu.

Tertium, Nolæ eius coſtantia variè tentata, poſt triduum, vt habent Acta,in ardentem fornacem immiſſus eſt ipſe ſolus. Frequens Chriſtianorum pœna,inquit Baron.ad 27.Februarij. Cum enim à Gentilibus haberentur vti magica arte imbuti,eadem,qua magi,pœna plectẽdi erant,igne ſcilicet,iuxta Pauli Decreta lib.3.ſentent.tit.23.Fortiſſimus tamen Ianuarius,ſigno Crucis armatus,Deumque fuſa oratione,vt ſibi opem ferret deprecatus,ſtatim,quod olim tribus Babylonicis pueris accidit, per mediam fornacem inter igneos globos deambulare cœpit, hymnos Liberatori ſuo concinens.Atque adeo illæſus,vt neque veſtimentum,ac ne capillum quidem eius, flamma violauerit.

Quartum,Victor ignium Ianuarius,in Nolanum carcerem retruditur. Ac *Præſes accenſus iracundia,Martyris corpus imperat vſque eo diſtrahi,quoad neruorum compages artuumque ſoluantur.* Sic Romanum Breuiarium.Bzouius tamen aliter.*Neruis crudeliter cædi iuſſus eſt.* Acta verò. *Iuſſit vt nerui eius à corpore excluderentur.*Potuit id quidem fieri,vt plumbi pondere, iuncturæ diſtraherentur.Erat quippe plumbi vocitata damnatio.Non quidem,vti vult rudis gloſſa,damnatio ad metalla,ſed quia plumbi pœna,modo pondere, modo verbere conſtabat, Conſt.l.2.C.de exact.tribut. *Nemo carcerem,plũbatarum*-

*batarumque verbera, aut pondera, aliaſque ab inſolentia iudicum reperta ſupplicia, in debitorum ſolutionibus, vel à peruerſis, vel ab iratis iudicibus expaueſcat*. Ponderibus itaque vinctorum compages diſtrahebantur. Cum ſcilicet damnatis ſublimè ſuſpenſis, reuolutis brachijs, eiuſmodi pondera ad pedes ligabantur. Hinc Ammianus. *Expendunt pondera plumbea*. Potuit igitur pondere totum Sancti Martyris corpus eneruari. Quaſi metaphorica fuerit acceptio verbi *eneruari*: quaſi idem fuerit, ac inutile reddi. Sicuti Paſſeratio eſt *eneruis* homo, *eneruata* ſaltatio. Sed præſtat Romani Breuiarij lectionem ſequi. Ac putare flagellorū grādine, aut alia feritate, iſta diſtractione membrorū, diſſolutos eſſe neruos. Sicuti de Armogate Comite ſcripſit Victor lib. 1. de perſecut. VVandal. in fine, & in Martyrol. Rom. 14. Nouembris, de Serapione legitur. *Quem perſecutores crudeliſsimis affecerunt ſupplicijs, ita vt omnes ei iuncturas membrorum prius ſoluentes, de ſuperioribus domus ſuæ eum præcipitarunt, & ſic Chriſti Martyrem effecerunt.* Huc etiam faciunt verba Sozomeni lib. 8. cap. 29. cum agit de martyrio Tigrij presbyteri. *Tigrius presbyter veſtibus exutus, flagris in tergum cæſus, &*, quod Eculeum videtur deſcribere, *manibus, ac pedibus vinctus, atque extenſus, membris diſſolutus fuit*.

Suſpicari autem quis poſſet, non diſtractos laxatoſque tantum Ianuario neruos, ſed conciſos etiam, & à corpore auulſos: ſicut de quodam dicebat Cicero Orat. pro Flauio. *Membra vxoris debilitauit lapidibus, fuſte, ferro: manus contudit, digitos confregit, neruos concidit.* Nam in Lectionario Beneuentano in ſecunda Antiphona ſecundi Nocturni, ſiue, vt ibi, ſecundarum vigiliarum, ſic habetur. *Dum ſacrificare ſimulacris nollet Ianuarius, abſciſſus eſt corporis neruis.* Itemque Antiphona tertia ad Laudes hæc habet. *Poſt ignem, demptoſque à carne neruos, hodie cum ſex Socijs pro Chriſto capite plexus eſt.* Græca Mœnæa non euulſionem neruorum, ſed excoriationem habent od. 1. ad Veſp. *καὶ δορὰν ἀφαιρούμενος καὶ πυρὶ προσριπτούμενος.* Hoc eſt. *Et pelle tibi ablata, in ignem coniectus es.* Præterea videre nobis licuit benignitate R.P. Gregorij Ordinis D. Benedicti, Cauenſi Archiuo Præfecti, Notitiam Reliquiarum, ſub Altari Eccleſiæ Sancti Gregorij ad Regionarium: in qua cum alijs Sāctorum Reliquijs, & Sancti Ianuarij nerui adnumerantur. Quæ Notitia ad finem Diplomatis Sergij Archiepiſcopi Neapolitani, cum Puteolano, & Cumano Epiſcopis, eam Aedem conſecrantis an. 1187. ſic habet. *Prædictæ Eccleſiæ Altare maius, dedicatum eſt in honorem Sanctæ Trinitatis*, S. *Gregorii, Sancti Laurentii, & S. Thomæ Martyris: & ſunt in eo recondita Reliquiæ Sanctorum, ſcilicet, Soſij, Petri Exorciſtæ, Nerei, & Archillei: Dalmatica Sancti Petri Apoſtoli, de velo* S. *Ceciliæ*, S. *Athanaſij* *Neapolitani Epiſcopi, de* *Neruis* S. *Ianuarij, &c.* Verum à Romana lectione non recedendo, dicendum, fieri potuiſſe, vt pendula aliqua neruorum eius particula, & vi tormentorum excarnificata, à fidelibus in eius ſepultura fuerit illi detracta, & reuerenti animo cuſtodita.

Quod ſi perſiſtat adhuc aliquis, contendatque verè euulſos è corpore neruos. Addam ego, quòd Auguſtinus lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 7. dicebat, Multa ad memorias Martyrum facta; ignoratione, aut obliuione, fama excidiſſe: atque adeo *in ipſa vrbe Carthagine eueniſſe, quæ Carthago neſciret.* Verba vſurpata à Lipſio de Virgine Hallenſi cap. 6. Dicendum itaque multa hic nos latere, *Quas tenet cæli liber explicandus tempore iuſto*, Prudent. hymn. 4.

Quintum, immanem illam artuum ſolutionem inuictè perpeſſus, carceri tertiò mancipatur. Vbi quamdiu fuerit incertum eſt. Nam licet Mœnæa habeant *ἐν πλείοσιν, pleriſque diebus*, ex eis tamen diſcerni nō poteſt, num

de

de Nolano, an de Puteolano, an denique de vtroque mixtim loquantur carcere. Acta quidem potius ſignificant, paucis Ianuarium diebus, Nolani carceris ærumnas expertum. Idque eo probabilius videtur, quod Timotheus Præſes primam hanc æditurus ſuæ ſeueritatis imaginem, celeritate potius, quàm cunctatione vſus exiſtimari debet.

Sextum, acceſſit B. Epiſcopo dolori dolor. Cum vidit Feſtum Diaconum, ac Deſiderium Lectorem, qui Beneuento Nolam ad ſe viſendum aduenerant, à lictoribus comprehenſos, inque eundem carcerem pro pietatis officio coniectos.

Septimum, Nola poſtea, tres Chriſti fideliſſimi teſtes ferro vincti ante rhedam Præſidis, Puteolos trahuntur. Non ſudore ſolùm, ſed ſanguine, vti credibile eſt, manantes. In ludibrium aliquando quiſpiam ante rhedam currere iuſſus eſt. Sic Galerius, teſte Eutropio, à Narſete Perſa, quem temerè, & inualida manu aggreſſus fuerat, victus, & ad Diocletianum rediens, ignominioſè purpuratus, ante eius vehiculum, per aliquot millia paſſuum currere iuſſus fuit. Sed hi Chriſti athletæ barbaram hanc crudelitatem catenati experti ſunt: vt & alij Chriſtianæ fidei confeſſores. Sic Cyriacus catenatus ante rhedam Maximiani Imperatoris, & Cono pedibus clauis confixus ſub Decio Imperatore: vti habent eccleſiaſticæ tabulæ 8. Auguſti, & 6. Auguſti, & 6. Martij. Poſt verò terga currentium quadrigarum, Maximianus, & Saturianus 16. Decembr. Vti & Gherardus Venetus in Hungaria Epiſcopus apud Platinam in Benedicto IX. Erat autem apud Romanos magnus carrucarum luxus, cum auratas, & argenteas habuerint: ſicut ex Martiale conſtat lib. 3. epigr. 63. & Lamprid. in Alex. Seuero. Luxum autem iſtum celebriorem exiſtimabãt fieri, & honorabiliorẽ, ſi captiui, aut Chriſtiani Idolis inimici, currus hoſce currentes cogerentur ſequi, ferro onuſti. Quemadmodum Timotheus cum Ianuario, & Socijs egiſſe conſpicitur. Sanè verò, quòd, vti traditio habet, Timotheus in Antiniano colle pauliſper ſubſtitit, vbi nunc Ædicula D. Ianuario ſacra conſpicitur, in eo propriè loco, qui Vomer dicitur, fortaſſe ob maximam trium catenatorum debilitatem, ſeu potius, ac veroſimilius, vt ſibi Præſes in æſtuoſo Iduum Septembrium tempore, conſuleret, pauſam fecit currendi. Ædiculam autem ſacratam D. Ianuario, ob eius ibi ſtationem multo probabilius eſt, quàm, quòd ibi habitarit vetula illa, quam, nullo auctore ſcribunt recentiores quidam, occurriſſe eo loco aduenienti Seuero cum Clero Neapolitano, ac Nobilibus viris, Puteolis deferentes Neapolim corpus B. Ianuarij. Nam ſi verum eſt à muliere collectum è terra fuiſſe B. Martyris cruorem, probabilius eſt mulierem illam potius Puteolis, quàm Neapoli apud Vomerum, habitaculum habuiſſe.

Octauum, Puteolos denique perducti, in eũdem traduntur carcerem, quo Soſius, & Proculus Diaconi, Eutyces item, & Acutius laici iam pridem comprehenſi detinebantur. Poſtera die cum adeo ſitibundus eſſet Timotheus Chriſtiani cruoris, in Amphitheatrum producti, vrſis dilaniandi obijciuntur, irrito, vt mox dicemus, euentu. Poſſet aliquis hic pro vrſis Leones intelligere, quod & Lipſius primus fecit in Plinij defenſionem, audaci, vt ipſemet ait, & inuidenda, non irridenda ſententia, lib. 2. Elector. cap. 4. Sed critica relinquẽtes, Acta ſequamur, vel Romanum Breuiarium. Illa vrſos memorant, hoc beſtias in genere. Neque noſtri eſt muneris examinare, vnde tunc vrſi in Italiam fuerint aduecti.

Nonum,

Nonum: extremus tragædiæ huius actus fuit, Iudicis iniqua ſententia,& ad Sulphurariam deductio, vbi ſeptem Chriſti victimæ cæſæ ſunt, & finis eſt doloribus datus. Contigit autem horum Beatorum cædes die 19. Septembris,qui eo anno 305.incidit in feriam tertiam, quia Litera Dominicalis fuit G:vti ex Cyclo Dionyſiano colligitur.

Hic primum obſeruare eſt, ſolitam in alios exerceri pœnarum quadrigam,exercitam & in Ianuario:gladium ſcilicet,Crucem (pro qua fortè eculeus,aut quid aliud,vnde neruorum compages diſſolutæ) beſtias, ignẽ. De ijs Tertull. ſæpiſſimè. De patientia cap.13. De pudicitia cap.22. Ad Martyr. cap.4. Sed cum ea omnia tormenta, Chriſto adiuuante ſuperarit Ianuarius,quadrat in illum,quod Vincentio Martyri dicebat Prudent.peristeph.V.

*O miles*, Præſul,*inuictiſſime,*
*Fortiſſimiſque fortior.*
*Iam ſe ipſa ſaua, & aſpera*
*Tormenta,victorem tremunt.*

Locus,Sulphuraria Puteolana fuit.Eam Igniferum campum appellare quis poſſet:ſicuti locus ille Terenti in Campo Martio dictus eſt. Vide Gruter.Inſcript.XCVII.2. vbi mentio fit de ſacrificijs, ac ludis, Diti Patri,& Proſerpinæ à P.Valerio Poplicola inſtitutis. Sulphurariam optimè deſcribit Pighius Hercul. Prodic. fol. mihi 841. Plutoni verò dicata erat omnis ea igniuoma regio. Auernum certè Campaniæ lacum,propè Baias, Plutoni dicatum,& Inferorum eſſe limen,non rudis ſolum antiquitas, ſed & ſapiens quoque vetuſtas opinata eſt. Cum autem Septembri menſe B. Martyrium inciderit,qui in Vulcani erat tutela,vt Roſin.antiq.lib.4.c.13. appoſitè quoque in Vulcani territorio,illud Beatus ſubijt. Appellabatur enim & locus ille *Vulcania vallis*.Vnde ipſe quaſi victima Vulcano videtur fuiſſe datus,Nam & Vulcanalia feſta,Septembri menſe exhibita fuiſſe,aſſero cum Roſino,licet Columel.lib.X.& Catan.in epiſt.Plin.ad Macrum lib.3.Auguſto menſe dicant fuiſſe celebrata.

*Cum ad martyrium duceretur*,inquiunt Acta, *quidam ſenex pauperrimus, ſperans ſe aliquid beneficio Sanctorum iuuari oppoſuit ſe Sancto Ianuario, prouolutus pedibus eius,rogans eum, vt aliquid de veſtimentis eius mereretur accipere. Beatus verò Ianuarius dixit ſeni illi. Poſt decollationem meam, orarium meum, de quo mihi oculos ligauero,ſcias me ipſum tibi eſſe daturum*: quod & fideliter præſtitit.

Eo cum perueniſſet, ſtatim viuifico Crucis ſigno frontem armauit. *Certamen inter vltimum, Crucem in fronte perferens, ſummi Regis Vexillifer,in Chriſto firmat animum, lictori caput offerens.* Sic habet Reſponſorium veteris Lectionarij Neapolitanæ Eccleſiæ,compoſiti cum officio trãſlationis corporis B.Martyris è Monte Virginis. Narrant verò Acta,& Vincent.Beluacenſ.Ianuarium in loco ſupplicij,primò genuflexiſſe,tum ſurrexiſſe,vt ſibi orarium ligaret,& ſic decollatum fuiſſe. Annè igitur ſtans erecto corpore fuit decollatus? Non puto:ſed potius exiſtimo illum,Pauli inſtar,flexo genu ictum excepiſſe:& fortè,vt alij quidam Martyres,brachijs in crucis formam expanſis:& ipſa Acta mox ſubijciunt. *Flectens genua manum ceruici oppoſuit.*

Oratij vſus erat obtegendæ faciei, ex vetere more damnatorum, de quo Ioſephus lib. 7. de bello Iudaic. cap. 14. Vide Acta Pauli ex Lino,ac cœteros Sanctorum Martyrum Biographos: & illud Romanarum legum Decretum: *Caput obnubito.* *Ma-*

*Manum ceruici oppoſuit*, vti ex Actis dixi, *& ſpeculatorem, vt feriret, rogauit. Speculator autem cum magna virtute percutiens, digitum Sancti Martyris ſimul cum capite abſcidit.* Per quem ipſe ictum, Cœli incola factus eſt.

Cruorem deſecti capitis, pia mulier in ampulla vitrea collegit: quod & vetus pictura ad D. Ianuarij extra mœnia repreſentat. Obſequij huius pietatem, deſcribit non ſemel Prudentius: nempe in paſſione S. Hyppoliti, & in Hymno Sancti Vincentij. Impenſum verò ſæpius à mulieribus, probant par illud ſororum Deo deuotarum Praxedes, & Pudentiana. Nec non & Sancta Paula Virgo, quæ cum recens decollatorum Martyrum ſanguinem colligeret, martyr & ipſa effecta eſt. Vt in Faſtis Romanis habetur tertia Iunij. Ac item ſeptem illæ mulieres, quæ ob collectum Sancti Blaſij cruorem, & ipſæ pro Chriſto interfectæ ſunt. Hic verò, aurea Baronii verba afferenda ſunt. Qui Cypriani martyrium narrans ad annum Chriſti 261. *Tanti*, inquit, *faciebant* fideles *ſacras reliquias Martyrum, vt ſudoris, ſi poſſent, guttas haurirent, & ſtillas ſanguinis, etiam perſecutore vidente, & inuidente, atque exerto gladio minitante qualibet arte exciperent, atque reconderent. Mira res: eodem planè tempore, duplici victoria vincitur crudelis impietas, ſanguine Martyrum, & fide credentium.* Hæc Baronius ad illa verba ex Actis. *Stans in linea, expectabat ſpeculatorem, cui & vigintiquinque aureos dari præcepit. Fratres verò flentes, linteamina, & oraria ante eum ponebant, ne ſanctus cruor defluens abſorberetur à terra.*

## *Admiranda à Beato in ſui agone patrata.* *Sect.* X.

FVere quidem ea valde inſignia. Primum in omne tempus memorabile extitit prodigium conſopitæ flammæ camini Nolani, quanquam per triduum à Præſidis adminiſtris vehementer accenſi. Ea verò fornax, celebrem illam Babyloniam expreſsè refert, & partibus omnibus repreſentat. Nempe, quòd, vt illa vehementer ſuccẽſa eſt: quòd ignis velut in rorem conuerſus B. Epiſcopum nullatenus lædit: quòd denique aperta fornax, flammas in infidelium turmas euibrauit, compluresque ex eis interemit. Et verò B. Ianuarius Babylonicam illam mente comprehendebat, cum dicebat Domino. *Exaudi me Domine orantem ad te, & eripe me de hac flamma, qui præſens fuiſti tribus pueris in camino ignis ardentis.* Itaque cum expreſſior nulla in SS. Martyrum hiſtorijs huius fornacis mentio reperiatur, meritò illam Mœnæa Græca celebrant Ode 7. Νεους τρεις παιδας εμιμησω, &c. *Tres adoleſcentes pueros imitatus es in medio flammæ, ò Ianuari, in condeſcenſu Angelorum circum choreas ducens, & canticis myſticis, Saluatorem noſtrum laudans.*

Alterum, vrſi ad ſe, ſuoſque ſocios dilaniandos in Amphiteatro laxati, breui, & potenti oratione manſuefacti: adeo, vt humanitas quæ à Timothei pectore fuerat expulſa, in vrſos migraſſe crederetur. Nam ſtatim ad Ianuarij pedes, demiſſo in ſignum ſubiectionis capite, ſeſe mitiſſimè abiecerunt.

Tertium, trucis Timothei excæcatio, eiuſdemque pœna illa fracti illuminatio. Minitatus quippe fuerat Tyranno huic Sanctus aliquod è Cœlo, cum in primo congreſſu dixit illi. *Faciet te Deus, vt ſis mutus, & ſurdus, aut cæcus non videns.* Vt quædam eius Acta habent. Sed & alios

quoque

quoque Martyres, vt id Deus efficeret, ſuis illum interpellaſſe precibus legimus. Sic ille Machabæorum adoleſcentior 2. Machab. 7. Et Paulus Bar-Ieſu excæcauit Act. 13. Sic Abundius quoque, & Abundantius Martyres Deum deprecabantur. *Redde maligno Diocletiano ſicut operatus eſt in innocentes ſeruos tuos. Aſſlige eius incredulum cor, & lapideum eius ſpiritum, ad correctionem eorum, qui contemnunt tuam magnitudinem.* Hiſt. Martyrij. In hac verò re tria apparent præclara facinora: Lucis ademptio: Eiuſdem reſtitutio: Et, quod maximum certè eſt, obdurati Timothei cordis, ad Chriſti potentiam agnoſcendam, & per Ianuarium Martyrem implorandam, admiranda traductio.

Quartum. Seniculo illi mendico, cui ſe orarium ſuum poſt mortem daturum promiſerat, apparitio: atque orarij eiuſdem, quo oculos ſuos, capite mox plectendus, obtexerat, exhibitio.

His omnibus præſtat infidelium conuerſio, in ipſo beatæ mortis articulo ab eo facta, tam profectò magna, vt ad quinque millia hominum, ſicuti produnt Acta, conuerſorum numerus aſcenderit. Applicari poſſunt huic infidelium conuerſioni, quæ olim alio ſenſu de Romana ciuitate cecinit Rutil. Itin. 1. de Romano Imperio.

*Illud te reportat quod cætera regna reſoluit.*
*Ordo renaſcendi eſt, creſcere poſſe malis.*

Adſtitiſſe autem Puteolis multos Neapolitanos ciues Ianuario Martyriũ ſubeunti, mihi facilè ac merito perſuadeo. Tum quod locus, in quo id nefandæ impietatis exemplum Timotheus edebat, Neapoli eſſet vicinus. Tum etiam, quòd crediderim, Neapolitanos nobiliſſimum ciuem ſuum ad necem Puteolos abeuntem, & eos maximè, qui, vt Acta referunt, *de genere erant B. Ianuarij*, fuiſſe comitatos. Quòd ſi ob temporum acerbitatem non poterãt palam in eum eſſe officioſi, ſaltem clam, vt Chriſtianis olim in vſu fuit, ad eum in Puteolanum coniectum carcerem viſendum, vt cum necandus produceretur piè aſpectandum, probabile eſt acceſſiſſe.

Idolatriæ autem exitium, & Chriſtianæ Eccleſiæ incrementum, quod Diocletiano, Maximiano, ac reliquis è vita ſublatis, per Conſtantinum Magnum factum eſt, id Mœnæa Græca, Ianuarij & Sociorum eius virtuti, atque martyrio magna ex parte videntur aſcribere his verbis, Ode 2. Strophe 3. φωτὶ, &c. Hoc eſt *Diuino lumine cor illuminatus, ac diuino repletus zelo, viriliter certamen ſubiuiſti, omnemque ò ſancte, deſtruendo Idolorum errorem, coronam accepiſti martyrij.* Et paulò inferius de eius ſocio Proculo Ode 4. Stroph. 2. Νυσταγμῷ, &c. Hoc eſt. *Procule Martyr, cum nullatenus in impietate dormitares, diuinis vigilijs omnem atheorum veſaniam obdormire feciſti.* Et rurſus ad Ianuarium reuerſi, ita canunt. Ῥύμασι, &c. Hoc eſt. *Verbis ſigna cum videret exlex populus te operantem ò ſacer Pater, mirabiliter illuminatus ad Creatorem ſuum ex corde acceſſit.* Et tertio longè clarius. Ἐν χορὸς, &c. Hoc eſt. *Glorioſus Martyrum chorus te Corypheo locupletatus, ò Pontifex glorioſe, dæmonum capita conculcauit, & impietatis celſitudinem, atque audaciam penitus depreſſit.* Legimus quidem in Actis Sanctæ Luciæ, paulò ante ſuum obitum, Beatam Martyrem prædixiſſe optatam pacem, quæ Diocletiano, & Maximiano mortuis, Eccleſiæ reddita fuit. At Ianuario Beatiſſimo, & Socijs eius, maius quid Mœnæa Græcorum tribuunt. Nempe, ipſorum doctrina & meritis, idolorum cultum fuiſſe ſublatum, innumeroſque homines diuinitus illuminatos, ad Chriſtianam religionem acceſſiſſe. Quo ſanè, quid vel ad rerum gloriam

illuſtrius, aut ad animarum ſalutem vtilius dici poteſt?

Et verò, ſi temporum rationem ineamus, reperire erit, eo ipſo anno, quo B. Ianuarius, & Sancti eius Socij teſtimonium proprio ſanguine Chriſto dederunt, Conſtantinum Conſtantij Chlori filium, euaſiſſe inſidias impij Galerij Maximiani, à quo ſub religionis ſpecie tenebatur obſes: & eo relicto rediſſe in Britanniam ad patrem. Hoc eſt, ſtrauiſſe ſibi viam, ad totius Orbis Imperium. Nam anno ſequenti 8. Kal. Auguſti Conſtantius moritur, & ſibi præſentem, & piè obſequentem Conſtantinum, qui opportunè eo appulerat, reliquit hæredem Imperij: quod, vt filius natu maior poſtea capeſſiuit, tàm ex patris teſtamento, vt aliqui ſcribunt, quàm exercitus voto, vti Victor, & Zoſimus tradunt. Quanti autem retulerit Chriſti Eccleſiæ, Conſtantini ad Imperium euectio, adeò notum, vulgatumque eſt, vt id verbis exponere non ſit opus. Illud tantum hoc loco aduertendum propono. Primordia Conſtantini gloriæ, eo ipſo anno 305, quo Ianuarius noſter, ſexque illius Socij ſubiere martyrium incidiſſe.

## *Sepultura.*
## *Sect.* XI.

CVm primum Beati anima Cœlum petijt, fideles tumulando ſacro corpori vacauerunt. Facta eſt hæc eius tumulatio eadem nocte in agro Marciano, ſiue vt habet Bernardinus Siculus, Malchiano. Puto aream fuiſſe. Mos enim erat Chriſtianorum in areis ſepelire: vt alibi ex Tertulliano ad Scapulam annotaui. Appoſitè autem areæ dictæ ſunt loca ſepeliendis aptata, non ineleganti metaphora: vtpotè ijs triturandis, quos mors meſſuerat, ac poſtea in cœleſtis Agricolæ horreum reponendis.

Fallitur ergo Maurolycus, dum putat quatriduo poſt eius mortem, hoc eſt die 23. Septembris, Ianuarium ſepulturæ traditum, atque ob id, Soſij eo die in eccleſiaſticis tabulis fieri mentionem. Refragantur enim Acta martyrij. Ea verò die vigeſima tertia, Soſij tantum ſit mentio, & fortè ob inſigne aliquod miraculum ea die patratum, & nobis huc vſque incognitum.

Defectum verò digitum, ipſemet Sanctus iuſſit ſepulturæ dari. *Facto ſilentio*, inquiunt Acta, *hora noctis, vniuerſis dormientibus apparuit S. Ianuarius vni eorum, qui parati erant corpus tollere, & dicit ei. Frater, cum corpus meum attuleris, & digitum manus mea illi loco exilijſſe cognoſcito. Requirite eum, & pariter cum corpore meo ponite: & ita factum eſt, vt ipſe Sanctus admonuit.* Quod fortè factum ab eo fuit, ne aliquis ethnicus (non enim adhuc omnes Puteolani Chriſti fidem ſuſceperant) illi in domum delato, iuſta gētili more faceret. Feſtus. *Membrum abſcindi mortui dicebatur, cum digitus eius decidebatur, ad quem ſequutum, iuſta fierent, reliquo corpore combuſto.*

Condiebant antiqui Chriſtiani ſacras reliquias, aromatibus, alijſque odoribus, & pretioſo aliquo opertas velamine. Vti ex Actis martyrum ſatis liquet. Ergo idipſum in Ianuarij reliquijs factum eſſe, arbitrari poſſumus. Fuiſſe autem id munus, vt plurimum, fœminarum, ipſe Præſes Etherius Numerius Maximus, in Actis SSS. MMM. Taraci, Probi, & Andronici, à Roſuueydo editis atteſtatur. Interrog. 3. cap. 7. *Præſes dixit,* Taraco, *putas, qui a muliercula aliqua poſt mortem, corpus tuum habebit aromatibus, aut vnguentis*

*condire iniquiſsime? Ego recogito, vt reliquias tuas perdam.* Et rurſus ad finem interrogationis tertiæ. *Cinerem*, inquit, *facite, & vbique ſpargite, ne de conſortibus huius impij*, Andronici, *aut ex mulierculis aliqua colligat, & ſeruet veluti pretioſum aliquod, aut ſanctum.*

## *Translatio prima, è Marciano fundo Neapolim.* *Sect.* XII.

ACta ſic habent. *Quem*, Ianuarium, *primò quidem in loco, qui appellatur Marciano abſconderunt. Poſtea verò, quieto iam tempore, Venerabiles Epiſcopi, vna cum omnibus ex genere Beatiſsimi Ianuarij Martyris, cum plebe Dei ſancta, cum hymnis, & laudibus, corpus eius tollentes, iuxta Neapolim tranſtulerunt, & poſuerunt in Baſilica, vbi nunc requieſcit.* Contigit hæc tranſlatio circa vndecimum annum à pace per Conſtantinum Eccleſiæ reddita. Hoc eſt, anno Chriſti 325. non autem anno 381. vt putauit Tutinus. Io. Diaconus tradit, Ioannem Epiſcopum huius nominis primum, interfuiſſe huic tranſlationi, & ſuis ipſum manibus eum tumulaſſe. Auctor verò vitæ S. Seueri, Seuero id tribuit. Conciliari autem poſſunt ſi dixerimus, ab vtroque id factum. A Ioanne videlicet, & Seuero tunc Presbyteris, vel Diaconibus, poſtea Epiſcopis. Quaſi per prolepſim, cuius frequens eſt vſus in ſacris, & prophanis litteris. Sic Leo, qui poſtea Papa, ſed tunc Archidiaconus, ſuaſit Caſſiano, vt libros de Incarnatione Domini contra Neſtorium ſcriberet. Eiuſdemque, vt puro, Archidiaconi, non adhuc Pontificis, rogatu, Demetria pia fœmina, Baſilicam in ſuo fundo B. Stephano conſtruxit. Vulgò tamen creditur, Leonem, cum eſſet Pontifex id effeciſſe. Fideliter itaque Lectionarium Neapolitanæ Eccleſiæ, de Seueri Epiſcopatu nihil dicit.

Quieuerunt aliquantulum ſacra pignora in Antiniano colle: ſic fortè dicto, quòd ſit contra Anianum lacum: vbi poſtea in honorem Sancti Martyris, Ædicula ſacra conſtructa fuit. Erant autem Clerici omnes in ſacro illo Comitatu, corollis capita redimiti: vnde vox ad poſteros manauit, *Preti inghirlandati.* Non ſolum ad æſtûs propulſandos, ſed vt ſigno illo, redditam iam Eccleſiæ pacem exprimerent. Lego enim apud Polybium lib. 3. in Alpiano tractu obuiam veniſſe Hannibali homines, qui coronas florentes capite geſtarent: quod, inquit, ferè apud Barbaros, pacis & amicitiæ ſignum eſt. Vel id factum ob ſolemnitatis ſignificationem: lego enim in vita Sancti Camiliani Epiſcopi Trecenſis cap. 3. antiquum fuiſſe ritum in Gallijs, & Trecis præcipuè, vt pueri ſymphoniaci, ac Clerici, in magnis ſolemnitatibus, floreis ſertis haberent capita redimita. Id quoque Nolæ factum, aſſerit Ambroſius Leo lib. 3. cap. 11. Et in Eccleſia Capuana celebrari feſtum translationis Sancti Stephani, Dominica prima Maij, à geſtantibus manibus, & capite corollas, teſtatur Michael Monachus in Sanctuario.

Locus, in quo D. Ianuarij Templum extructum eſt, à Falco, de ſitu Neapolis cap. 7. & Pontano in Lyricis, vocatur Conicli, vulgò *la Conocchia.* Fortè vocabulum accepit à cuniculis: ſubterranea etenim multa illic ſunt cœmeteria. Opportunè autem in monte ſtatuit Seuerus Ianuarium ſepeliendum, vt morem ſequeretur, qui iam antiquitus inoleuerat, in montibus inſignium virorum ſepulcra inſtituere. Lege Virgil. Æneid. 11. Diodor. Sicul. lib. 3. cap. de Medorum moribus: & Auguſtin. lib. 8. de ciuit. Dei c. 16.

Et de Ioſia habemus 4.Reg.23.vtpotè ſuperſtitionis vaniſſimæ hoſte, eum ſepulcra,quæ erant in monte derurbaſſe.Apud Marcum quoque cap.5.infamis ille ſpiritus,obnoxium habebat hominem,die ac nocte in montibus, ac ſepulcris verſantem.Vel vt orationis locum à turba ciuitatis ſemotum eligeret.Talem locum placuiſſe Iudæis,ac Samaritis,teſtatur Epiph.hæreſi 80.In Actibus quoque Apoſtolorum cap.16.Paulus,cum eſſet Philippis extra portam, *Loquebatur mulieribus,quæ conuenerant,vbi videbatur oratio eſſe.*

Exiſtimabat autem Paulus Æmilius Sanctorius, Cõſentinus primum, deindè Vrbinas Archiepiſcopus, in eo loco, Templum olim Vulcani fuiſſe. Certè quòd Romani quoque Vulcani Templa,cuius ſacrificia omnia ignea erant,extra Vrbium mœnia dedicaſſent,cum ipſa Vrbs incendijs eſſet expoſita,teſtatur ex Plutarc. Petr.Ærodius Rerum iudicatar. lib.2. At coniecturam Sanctorij firmo ex vſu veterum, qui propagandæ Chriſtianæ religioni vacantes,illud aduertebant,vt conuerſuri falſorum Deorum Tēpla in verum Dei cultum,aliquam eorum ſimilitudinem retinerent. Exēpla ſunt Pantheon, omnibus primum *Dijs*, omnibus poſtea Sanctis dicatum.Apollinaris Eccleſia, in Apollinis Templo extructa. Eccleſia Sancti Alexij ſacrata prope fanum Herculis, qui alexicacos à græcis dictus eſt, hoc eſt,malorum expulſor.Templum SS.Coſmæ,& Damiani fratrum, vbi Templum erat Romuli,& Remi fratrum. Potuit ergò Seuerus,in Vulcani quoque Templo Ianuarium collocare,Vulcanalibus feſtis,menſe Vulcano ſacro,& in Vulcani area decollatum,& contra Vulcani,ideſt incendij vim potentiſſimum.

Tanta autem fuit Neapolitanorum erga B. Martyrem,in hac Baſilica quieſcentem,reuerentia,vt ad ſacra eius lipſana,veritati eruendæ, ſiue aſſeruendæ,iuraturi conuenirent:ex conſuetudine ſcilicet antiqua,de qua vide Amoin. lib.4. cap.44. Gregor. Turonenſem lib.4.Hiſtor.cap.49.lib.5. cap.32.& lib.1.Miraculor.cap.44.& alios.Arte tamen Diaboli, quod religiosè primum ſeruabatur,cæpit mendaciter obſeruari. At Sanctus non eſt paſſus peierantes inultos abire. Non quidem,vt olim Marinus,quem Turonenſis refert lib.8. Hiſtor. cap.16. impetraſſe ſuis precibus, vt qui falsò iurauerat, ſe comburi ſentiret,igne de cœlo cadente, quem ipſemet vidit, ac ſtatim ſpiritum exhalauit.Neque,vt D.Benedictus, quando,qui ad eius ſepulcrum peierauit, ac iactabundus gloriabatur, nulla ſe à Deo perculſum vltione, idque per promiſſam barbam,quam manu tenebat aſſerebat, quæ ſtatim in eius manu remanſit: vt narrat Anonymus de miraculis Sancti Benedicti lib.4.cap.22.Sed alio modo:nempe, Neapolim relinquendo, quod ipſemet Ianuarius,noctu per viſum,cuidam piæ fœminæ prędixerat: cuius tamen verbis, vtpore fœmellæ cuiuſpiam, ludibundè à conciuibus exceptis, nullus peierandi finis fuit.

## *Translatio ſecunda, Neapoli Beneuentum.* *Sect.*XIII.

QVòd Siconi fideliter contigit,vt B.Martyris corpus,Beneuentum transferre poſſet,id multis antea annis,Arechis eius nominis II. Longobardorum Dux percupiſſe videtur. Qui enim ex Apulia XII.fratrum lipſana, & ex alijs,atque alijs Italiæ Vrbibus,

ad XL.

ad XL. SS. corpora in ſuam Beneuentanam ciuitatem transferre curauit, non eſt cenſendus, de ſuo Præſule Ianuario ſocordia preſſus, & oſcitantia. Arbitror id eum conatum. A Neapolitanis tamen ciui ſuo addictiſſimis, nulla prece id obtinere potuiſſe. Quare munere ſaltem aliquo, ſe ditiſſimo Principe digno, ſuam erga B. Antiſtitem propenſam deuotamque voluntatem teſtatam facere cum vellet, donauit Eccleſiæ B. Martyris, iuxta Neapolis mænia erectæ, vbi eius oſſa requieſcebant, amplum predium, quod *Planura* etiam nunc vulgò dicitur. Inſuperque pretioſum pallium eiuſdem Altari operiendo, atque exornando. Io. Diaconus in vita Stephani Epiſcopi.

Contigit hęc tranſlatio anno Chriſti 817. ſeu 818. inciditque in diem 23. Octobris, vti ex Martyrologio Beneuentano liquet his verbis. *X. Kal. Nouembris, Tranſlatio Sancti Ianuarij Epiſcopi, de Neapoli Beneuentum.*

Perperam Admiratus lib. de Ducibus Beneuēti, citat Herempertum: quaſi ſcripſerit, corpus Sancti Ianuarij à Sicone Principe ſublatum fuiſſe à Templo, quod Neapoli erat, non autem è Baſilica prope mænia Vrbis exiſtente. Id enim falſum eſſe, ipſa Heremperti verba in eius epitome à me edita fol. 88. manifeſtè euincunt. *Et ipſe Princeps Sico, Ianuarij Sancti Martyris corpus, de Baſilica, vbi per longa temporum ſpatia requieuerat, eleuauit, & cum magno tripudio Beneuentum regreditur.*

Acta huius Tranſlationis ſcripta à ſynchrono, & oculato teſte, Eccleſia Beneuentana conſeruat in M.S. Codice Lōgobardico: quorum initium, *Propitiante Domino:* eaque etiā nos habemus in noſtra Bibliotheca SS. Apoſtolorum. Quæ hic exſcribenda duximus, vt pleraque egregiè tunc patrata, poſteritati fideliter innoteſcant.

*Propitiante Domino, qualiter Beatiſſimi Ianuarij ſanctiſſimum corpus, ad ſuam ſedem reductum ſit, ad memoriam reuocemus. Igitur tempore, quo Beneuentanorum, ac Sānitium Princeps Sico Neapolim obſidebat, noctu cuidam fœminæ B. Ianuarius Martyr apparuit, dicens. En migro de loco iſto. Quem cum fœmina percōtaretur, quo ire vellet, ille reſpondit, Beneuentum, plebs enim mea eſt. Hactenus pro Vrbe hac deprecatus ſum: ſed ferre illorum mala iam non valeo: maximè cùm ſuper tumulum meum tot periuria perpetrent. Hiſque dictis à mulieris oculis delapſus eſt. Mulier verò, quæ viderat conciuibus ſuis cuncta narrauit. Illi verò, vt facinus ſæpius operari ſolet, cuncta mulieris paruipenderunt relata.*

*Ipſo in tempore, Chriſto cogente, in mentem Principis immiſſum eſt, qualiter corpus Martyris Beneuentum reduci poſſit. Cæpit itaque quoſdam perquirere, quo in loco eiuſdem oſſa ſacra tumulata tenerentur. Illicò quidam profeſſus eſt, ſe aptimè noſſe. Mox itaque ſacrum ad locum fideles mittuntur, qui apertè, quod Princeps ſummus ſciſcitatus eſt, inuenerunt. Nam aperto tumulo, mirabilem ac cæleſtem theſaurum repererunt. Hinc tantus odor fragrauit, ac terror, vt corda fortium, qui aderant, odore, ac pauore ſimul concuteret. Nemo quippe aderat, qui non in ſtupore mentis corrueret. Pariter enim illos, pauor & ſtupor habebant. Igitur trementes, gaudenteſque ſacra oſſa tulerunt, nec diu in Caſtris latere poterant. Mox omnes cucurrerunt, armis fidei, amoreque muniti. A tanta multitudine quaſi ſu. ditus terra quaſſabatur. Vrbs ſimul clamoribus, ac clangore tubarum mouebatur. Ex improuiſo Vrbis multitudo Caſtrorum concurſum neſciens, tantummodo alter ad alterum clamabant. Tādem à quodam diligentius perquiſita res inuenta eſt. Is ad Vrbem concurrit, & nunciauit dicens. Præſidium Vrbis ablatum eſt. Nam Pater noſter Ianuarius, qui tot tempore nos protexit, peccatis noſtris merentibus, à nobis nunc auſertur. Omnes quoque Samnitum ordinati*

dinati ſtabant ſubmittentes capita ſua, & dicentes. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Exultationem illorum, ac lacrymas ſeu clamorem, ſed & ſignorum virtutes, nullorum calamus ſcribarum poteſt ſignificare. Atque vtinam Pater Auguſtinus eſſet, qui hæc nobis cuncta deſcriberet.

Interea Pontifex, & omnes Cleri, cum Reuerendiſſimo Galli Præſule inter denſiſſima agmina, cum hymnis, ac lampadibus, ſanctiſſima oſſa ferebant. Sed Clericorum voces diſcerni non poterant, propter agminum clangorem: ſuum namque Patrem ſe recepiſſe gaudebant. Nec prætereundum, quòd omnes, odor ita perfuderat, ac ſi aromatum infinita ſinguli ſuis manibus ferrent. Princeps verò eximius tanta lætitia copulatus, quàm ſi vrbem illam ſuæ ſubderet ditioni: lætaturque quòd Patrem ſibi, ſuiſque reduceret, quem nullus poterat præcedentium Principum reuocare: idcircò immenſas retulit grates, quòd ſuo in tempore illi Chriſtus mirandum conceſſiſſet.

Nec prætereundum arbitror, quòd ipſo die, quo ſublatus eſt, Dominus per illum operatus eſt. Nam cum quidam equum perderet, nec alterum haberet, ad beatiſſimum Martyris corpus cum lacrimis cucurrit dicens. Sancte Ianuari, vnum equum, quem habui, nunc furtim neſcio quis abſtulit. Puto quod valeas palam illum reducere. Credens per beneficium Martyris ſe adiuuari, ad locum, in quo manebat ſeceſſit. Sed mox vt reuerſus eſt, vox illi de intimis caſtrorum quaſi infantis facta eſt. Illum ad locum propera, & equum tuum inuenies ibi. Illo in momento, quo vox ſonuerat, in locum cucurrit, equum vinculis retentum inuenit. Reuerſus eſt gauaens: profitetur omnibus, quòd tàm cito à Beato Martyre potuit exaudiri. Res omnibus nota facta eſt. Cunctorum ora Martyris laudes promulgabant, vox illa, cuius in ore ſonuerit, nunquam inueniri potuit, quam diuinitus emiſſam fatemur.

Etiam illud dicendum, quòd nullo in tempore fragrantia odor receſſit: ita vt, ab itinere, per quod ducebatur, ante duarum, vel trium horarum ſpatium non euaneſceret. Quo tempore ſimul cum Præſule eiuſdem Martyris itineris comes fui. Hoc in eodem itinere, quod fateor, erga fluuium, qui Vifercula dicitur, geſtum eſt. Nos itaque cum Martyris veſtigia portitorum ſequeremur, repentè à nobis expulſum eſt, vt vix ab aliquo potuerit videri. Illico Præſul venerabilis, in ſtupore mentis raptus ait. Vbi eſt, quod ſequebamur? Omnes vehementer ſtupefacti, grates referre Domino nitebamur, qui per Martyrem ſuum dignatus eſt, ſuorum corda ſeruorum nouis miraculis refouere. Mox illico iter carpere velocius cogebamur, quoniam penè iam ſanctiſſimum corpus Martyris, octenis ſtadijs à nobis disiungebatur. Eiuſdem vehiculo, vt annexi ſumus, portitores Præſul percontatus eſt, dicens. Cur ita à nobis tàm longius receſſiſtis? At illi Præſuli dicunt. Quod interrogas nullus noſtrum nouit. Putabamus enim nos ſui pondere quaſi nihil portantes, vobiſcum carpere iter, obliti quidem fuerant, quod portabant.

Tota quidem nox ab illa ruſticorum multitudine mirum in modum, in laudem Domini verſa eſt, exultans ſuum carpebat iter. Fama verò iam Martyris, Beneuentanam Vrbem inuaſerat: vndè omnis Vrbs cum lampadibus, & hymnis obuiam illi facta eſt, laudantes Deum, ac dicentes. Benedictus, qui venit in nomine Domini, quia poſt tot tempora Patrem ſuum recipere meruerit. Igitur Vrbem lætantes cum Martyre ſuo ingreſſi ſunt. Quem in Baſilica ſui beatiſſimi Diaconi Feſti poſuerunt: donec illi ſummo cum honore, locus in ſua ſede pararetur. Nam iuxta Baſilicam Dei Genitricis Mariæ, ſemperque Virginis, Baſilica quæ Ieruſalem nominabatur fuit: in qua etiam ſedes antiquorum Epiſcoporum, & illius fuit. Hanc itaque Martyri Ianuario, miro opere renouauerunt: in qua etiam cameram marmoream elegantius conſtructam,

*ſtructam, eximius Princeps fieri mandauit, in qua corpora Sanctorum Martyrum locarentur: Ianuarij videlicet, Feſti, & Deſiderij.*

*Itaque venerabilis Guſti Præſul, cum omni plebe, ac multitudine populi, ad locum, in quo Senator* Cyphius, *beatiſsimum* Feſtum, *& Deſiderium locauerat, pergens, eoſdem in Vrbem, ad ſuum Pontificem tranſuexit: vt eorum corpora vno ſub tegmine locarentur, quorum ſpiritus vna Domini gratia vniuit. Quorum tumulus cum à præfato Præſule aperiretur, quaſi cæleſte manna illic repertum eſt.* Nam nimis in modum, *Beati Martyris* Feſti *corpus, totum tumulum occupauerat. Odor quaſi tot floribus nares omnium perluſtrabat. Denique particulam quandam ſanctiſsimi corporis naribus meis appoſuit, dicens.* Vide cuius odoris eſt hoc. Ad quem ego. *Nemo mortalium plenius referre poteſt. Nam mihi videtur, balſamum cum floribus omnibus permixtum fragrare. At ille inquit, Beatiſsimi Martyris Feſti pars corporis eſt: ſimulque promiſit omnia, quæ viderat, eadem iam euidentius prius mihi à Venerabili Præſule perlata ſunt,* locus corruptus. *Qui etiam* B. *Deſiderium, quaſi modo trucidatum cum ſanguine ſe inueniſſe fatebatur.*

*Sacra verò corpora in prædicto loco locata ſunt, omnis ciuitas ad illam locationem* (fortaſſe Tranſlationem) *confluxit: etiam* Excellentiſsimus Princeps Sico: *qui coronam auro optimo, excellentemque gemmis pretioſiſsimis, de capite ſuis manibus depoſuit, & ſuper Altarium* B. *Ianuarij Martyris locauit. Quod ipſe ſimul cum Præſule, auro optimo, gēmis pulcherrimis, figuris varijs undiq; per totum fieri mandauit.*

*Mirabilia igitur, quæ per ſuum Martyrem, poſtquam redactus eſt, Dominus fecit, ſequenti die (quoniam nunc feſsi ſumus) propitiante Domino, annuenteque Antiſtite eius, quæcunque à* Religioſo *ipſius Eccleſiæ audiui, reſerabo.*

*Denique eodem tempore nobilis puella, quæ adhuc ſupereſt, fuit. Hæc paralyſin in dextero latere grauiter patiebatur, nullo modo brachia ad os ſaltem ducere valebat.* Conſilio *verò parentum, ad ſacrum Beatiſsimi* Ianuarij *corpus ducta eſt, vt illi ſolita pietate ſanitatem largiretur: quod illico conſecuta eſt.* Nam *cum omnes poſt orationem ſopori nos dediſſemus. Ipſaquidem longè ab* Altario, *prout poterat pſallebat.* Repentè quidam Sacerdos *indutus ſacro velamine viſus eſt. Hæc pauore nimium concuſſa corruens, faciem cominxè tegere quærebat. Sed continuo, qui apparuerat, brachium ad illam tendens, acceſſit. Illa autem, quia viſionem ferre non potuit, protinus in clamorem irrupit. At cuius vocem experrefacti cucurrimus, eamque inuenimus ſanam.*

*Sed & illud ſilentio dari non arbitror, quod idem referebat dicens. Quòd à viro eiuſdem, quæ ſanitati reſtituta eſt, decretum eſt, vt ſuo oleo, ante Beatiſsimi* Ianuarij *corpus iugiter candela poneretur.* Quod *cum negligentius ab eo, cui commiſſum erat, ageretur, cæpit candela ſine admixtione olei redundare.* Nam *cuſtos illi tantum externè ignem apponebat.* Non *enim opus erat eidem oleum inferre: quoniam ſine olei adminiſtratione candela vndique in pauimentum influebat, de cuius liquore mirabiliter multi redditi ſunt ſanitati. De ijs vnum ad memoriam recurrit.* Nam, *ſole quodam die ad occaſum vergente, quædam mulier cum parua filia orauit ſummoperè poſcens, & dicens. Peto Domine vt hanc filiam meam oleo Beatiſſimi Ianuarij perfundas, quia obriguit, nec flecti poteſt. Mox vt popoſcerat accepit.* Et *vt oleo ſacro peruncta eſt, ſine mora reddita eſt ſanitati: alacriſque mater cum filia incolumi receſsit. Eodem quoque tempore, mulier amiſſo lumine, ſacro eiuſdem Martyris oleo, ſibi oculos liniri popoſcit, quod petenti negatum non eſt: cumque illius oculis infuſum eſſet, ita celeriter reſtituta eſt ſanitati, ac ſi pro oleo lumen illi iniectum fuiſſet. Hæc à præfato cuſtode relata ſunt.*

*Quod ſequitur, à religioſo quodam Diacono audiui, qui eiuſdem* Mar-

tyris

*tyris eodem tempore extiterat cuſtos. Quædam mulier cum filio in eadem Eccleſia hoſpitium trahebat. In tempeſtate noctis, eiuſdem Eccleſiæ ædes quaſi ruere ſenſit: quæ filium inclamans ait, ſurge, nam domus funditus euertitur: cui ille, cernis, inquit, ſplendorem tanti luminis? & illa, Intueor. Quibus vociferationibus omnes, qui viderant, & ipſe Diaconus cucurrerunt, dicentes. Subuenite, quoniam omnis Eccleſia igne crematur. Ad quas voces etiam affines cucurrerunt. Nam exuberante lumine maxima ex parte Vrbs ardere videbatur, ſed euidentius res intuita, quod erat, diu non latuit. Paulatim etenim lux intra Eccleſiam tantummodo coarctabatur. Poſt duarum horarum ſpatium, Diaconus in Eccleſiam pauens ingreditur, ſed lumen iam Altare tantum cingebat, & paulatim illo adſtante ſubtractum eſt. Sed tantus deinceps odor inenarrabilis remanſit, vt non ſolum Eccleſiam, in qua Martyris oſſa inerant, ſed etiam vicinas ædes perfunderet. Qui odor vſque ad trium horarum ſpatium productus eſt, donec acceſſit æger quidam, qui ſine omni tarditate incolumis receſsit.*

*Vt verò ſuperius dictum eſt, quis comprehendere, vel exponere, aut ſcribere poteſt, quanta per eum Deus operatus eſt? Atque ad Beatiſsimum Martyrem nullus infirmorum ſi pura fide acceſſerit, immunis recedet. Non enim miremur, poſt mortem talia poſſe, qui in vita talia geſsit. Hic pro ſuo Domino, & pro eiuſdem mandatis, & plebe commiſſa ſanguinem fudit, vndè & meruit poſt mortem melius poſſe. Quod fallaces diuitias ſequenti, euenire non poterit. Quia dum ſuam ſequitur voluntatem, quod melius eſt amittit, ideſt vitam poſt mortem. Ideò ſcriptum eſt. Charitas non quærit quæ ſua ſunt. Ita Sancti Martyres fecerunt, vt poſsiderent meliora, ideſt incorrupta, quæ non ſunt carnis, ſed ſpiritus. Nos verò cum noſtra ſequimur, ideſt carnis, ſpiritualia habere non meremur. Quoniam quæcumque ſeminauerit homo, hæc & metet. Nam qui in carne, de carne, & corruptionem metet: & qui in ſpiritu, de ſpiritu, & vitam æternam. Beatiſsimus igitur iſte Sanctus Ianuarius, cuius ſolemnia celebramus, non voluntatem ſequutus eſt carnis, ſed magis, quod Domini erat: quæ breuius dici poſſunt, Dilectio Dei, & proximi, de quibus meſsuit vitam æternam, quam & nos poſſumus, ſi hunc imitemur adipiſci: Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Hactenus Anonymus Scriptor. Qui tamen, (vt obiter hoc adnotem) nullum de Ianuario Beneuenti ciue verbum, quamuis occaſionem non ſemel id narrandi habuerit: vt ex ipſa narratione manifeſtum apparet.

Ex eo item rurſus erroris arguitur Ammiratus, qui, vt vidimus, putauit ex Neapolitano Templo ſublatum Ianuarij corpus. Si enim id ita fuiſſet, ad quid opus fuiſſet ſolerti illa indagine ad inueniendum eius ſepulturæ locum? Quandoquidem in Templo maximo conſtitutum, omnibus innotuiſſet, &, qui lamentabundus, *ad ciuitatem cucurrit,* dicens. *Præſidium Vrbis nunc ablatum eſt,* id palam euincit. Et omnium clariſſimè, quod de Sicone ſubditur. *Princeps vero eximius, tanta lætitia copulatus, quàm ſi Vrbem illam ſuo ſubderet imperio.* Non ergo illa potiebatur, ita vt, quaſi iure ſuo poſſet è Templo ipſius, quod vellet auferre.

Quod fecit Sico coronam capitis ſui, D. Ianuario imponens, imitati ſunt poſterioribus ſæculis Principes alij: nempe Recharedus erga Sãctum Felicem Martyrem Gerundenſem, & Henricus Imperator erga S. Odilonem Cluniacenſem. Petr. Damian. in eius vita, & Bibliotheca Cluniacenſ. in Notis fol. 69.

Extat Officium in hac Tranſlatione compoſitum, certè non contemnendum ob eius antiquitatem. Habemus in noſtra Bibliotheca.

Vertente poſtea anno 1129. *Roffridus,* inquit Falco Beneuentanus, *tunc*

*tunc Archiepiſcopus, foras produxit de Altari,in quo,antiquo tempore,* ideſt per vndecim ſupra trecentos annos, *iacuerant, & re vera non boneſto, ſicut decebat loco illo manebant, vnde in Baſilica,quam Gualterius Tarentinus Archiepiſcopus pro Sanctorum illorum dilectione conſtrui fecerat, magno cum honore, & lætitia,prædictorum Sanctorum oſſa collocata ſunt,nobis videntibus, & de illorum oſsibus oſculantibus.*

Fuit iſte Gualterius patria Neapolitanus, vti allàs diximus: & probabile eſt,ipſum affectu in conciuem ſuum Iauuarium id patraſſe.

Mirum autem eſt,poſt ablatum à Sicone Ianuarij ſacrum corpus, & Beneuentum tranſlatum, adhuc tamen vulgus,imò doctos, ac pios viros exiſtimaſſe illud Neapoli eſſe.Itaque Ioann.XXII. Auenione ad illud venerandum,Neapolim aureas veſtes miſit. Et S.Antoninus,qui obijt anno 1459. hoc eſt, longè antequam illud per Oliuerium Cardinalem Carafam Neapolim reportaretur,tom.1.Chron.tit.8.cap.1.§.13.ait.*Corpus verò huius Sancti Neapoli quieſcit.*Huius erroris cauſa fuit,vel inſcitia facti,vel multitudo miraculorum,quæ virtute capitis,& ſanguinis,quæ ſemper Neapoli fuerunt,edebantur. Nam,quòd ita dictum fuerit,quaſi caput pro toto homine ſit acceptum,iuxta illud Ambroſ.lib.1. Hexameron. *Totus homo in capite reſidet.*Et familiari hac ratione,dicunt Latini.*Lepidum caput,Feſtiuum caput.* Ideſt,Lepidus homo,Feſtiuus homo,id longè petitum eſt, & ab hiſtoria alienum.

## *Tranſlatio tertia, Beneuento ad Montem Virginis. Sect.*XIV.

Circa fines huius Regionis noſtræ,quę Felix Campania ob ſui vbertatem dicta eſt,Mons eminet, Virgilianus aliquãdo dictus,à Virgilij Poetæ predio,qui eius loci accola quandoque fuiſſe dicitur. Vbi ab ethnicis ſuperſtitioſo cultu, Cybele Deorum Mater, erecto ipſi Templo venerata fuit:vt ex Antonini Pij Itinerario conſtat. Sed ea reiecta,& conculcata,anno Chriſti 1126.Maio menſe, à S.Gulielmo, veræ Dei Matri Templum erectum fuit,in edito illo,ac deſerto Montis iugo: vnde Sylua cædua dilatatur, couſtructo celebri Monaſterio Ordinis ſui: in quo, Monte non alijs cibis,quàm ijs,quibus in Quadrageſima veſcimur, vti licet:quod,miraculis ſæpè comprobatum eſt.

In hunc ergo ſacrum Montem, D. Ianuarij oſſa tranſlata fuiſſe, certum eſt:incertum quo tempore,qua occaſione. Sunt,qui aſſerunt,id eo tẽpore contigiſſe,quo Beneuentanam ciuitatem ſibi aduerſam, & Emanueli Conſtantinopolis Imperatori fauentem, Gulielmus cognomento Malus, Rogerij Regis filius,ac Regnorum hæres expugnauit,cæpitque. Quaſi,vt ſe atrocius vlciſceretur, voluerit, & hanc etiam cladem Beneuentanis inferre, Sanctorum ſcilicet lipſanis eos priuãdo. Miror tamen antiquos Gulielmi geſtorum,ac Beneuentanarum rerum Scriptores, id nullatenus memoraſſe.

Tradunt alij,Gulielmum Nuſco tranſitantem, dum Salerno Beneuẽtum peteret, ibi bellica excurſione nonnullos interfeciſſe, multoſque in captiuitatem ſecum fuiſſe abducturum, niſi Amatus Nuſci Epiſcopus,Sãctique Gulielmi Diſcipulus pro eorum libertate fuiſſet interceſſor.Et ho-

rum demum victoriam Gulielmo prędixiſſe:conteſtatus id ſe à Sancto Gulielmo inaudijſſe. Quam cum fuiſſet Gulielmus aſſecutus, poteſtatem fecit Amato, petendi quod vellet. Hunc verò non aliud petijſſe, niſi Sanctorum reliquias, inter quas dubio procul credendum eſt, Sancti Ianuarij corpus fuiſſe.

Neapolitanorum fuiſſe hoc inſigne facinus, opinati ſunt alij: tunc temporis, cùm Carolus Primus à Clemente Sexto in Regnum Neapolitanum fuit accitus, vt Manfredum iniuſta eius poſſeſſione ſpoliaret. In eo enim prælio Manfredus occidit: ac Beneuentum militum direptioni datum fuit. Ea itaque occaſione, pios aliquos Neapolitanos milites de vno Ianuario conciue ſuo fuiſſe ſollicitos: cuius oſſa venerati, ea in tutiſſimum Montis Virginis Templum lætabundi occultarunt, vt inde poſtea facilius Neapolim poſſent transferri.

Placet tamen in hoc, Siculo Bernardino adhærere. Quamuis enim in Friderico erret, quem dicit fuiſſe Ænobarbum, cum fuerit eius nominis II. vt alias dixi, in his tamen narrandis veritati conſona loquitur. Hunc itaque aſſerit, cum ob ſua ſcelera Eccleſiæ communione priuatum ſe vidiſſet, nihil intentatum reliquiſſe, quo Eccleſiæ bona funditus euerteret, feritate maxima, & inaudita crudelitate, cæde, rapinis, ferro, igneque cuncta deuaſtando. Templaque ipſa expilando. Ac proindè Beneuentanos, veritos, ne & in Sanctorum quoque oſſa ſæuiret, de Epiſcopo Ianuario, ac Beneuentanis Feſto, & Deſiderio ſollicitos, eorum beata lipſana, in opportunum Monaſterium Montis Virginis curaſſe transferēda. Opportunum, inquam, quandoquidem, qui eî tunc præerat Abbas, Archiepiſcopi Beneuentani frater erat. Hæc ex Bernardino.

## *Translatio quarta, Neapolim è Monte Virginis.* *Sect.* XV.

Acta Tranſlationis huius, temporum iniuria, ſiue hominum negligentia perierunt. Interfuit ipſi Antonius Mercantius, eamque in ſuo Diario ſcripſit, quod M.S. extare dicebatur, apud Matthæum de Capua Conchenſem Principem, Regnique Neapolitani Magnum Admiratum. Ex alio Diario M.S. Iuliani Paſſeri, mutuati ſunt aliqua Regius in vita, & Engenius in Eccleſia S. Ianuarij. Sed Bernardinus ille Siculus, fideliori calamo cuncta narrauit, qui & ipſe illi interfuit, rudique illo carmine deſcripſit, quod M.S. olim à me ſeruatum, nunc apud Tutinum typis expreſſum extat, cap. 14. Ego quoque inde multa, ex his, quæ ſum dicturus deprompſi.

Gulielmitæ Monachi, ſacrum Ianuarij corpus in medio Templo Sanctæ Mariæ Virginis, inque ſatis profunda fouea tumularunt. Vtque tutius illud ab hoſtium incurſionibus ſeruarent, ſupra illud, primarium dicti Tēpli Altare extruxerunt. Eo poſtea bellorum turbine tranſacto, ſæculiſque aliquot excurſis, omnis penè memoria apud ipſos etiam Monachos exciderat, quònam ſignatè loco, B. Martyris corpus requieſceret. Interea anno Domini 1480. commendatum fuit Monaſterium Ioanni Cardinali ab Aragonia, Ferdinandi Regis Primi filio. Qui exornando Templo incumbens, cum iuſſiſſet vt id primarium Altare, de medio Templi dimotum, ad abſi-

dis

dis parietem transferretur, ſub Altari, marmorea lamina inuenta eſt, quæ percuſſa bombum emiſit, indicem vacuum ſub ea eſſe locum. Ea ſublata inuentus eſt loculus, cum hac epigraphe. *Corpus Sancti Ianuarij Epiſcopi Beneuentani, & Martyris.*

Mortuo deindè Ioanne Cardinali, ſacrum illud Montis Virginis Monaſterium Oliuerio, poſtea Cardinali Carafæ commendatum fuit. Qui ad generis nobilitatem, decora zeli erga Eccleſiaſticum cultum addiderat. Cogitanti ipſi de ſacris reliquijs inde Neapolim euehēdis, litteræ Ferdinandi Regis acceſſerunt, quæ extant in Regijs Archiuis in Reg. exterorum X. Regis Ferdinandi fol. 79. 1489. quas Latio donaras, hic ſcribendas cenſuimus. *Cardinali* Neapolitano. *Reuerendiſsime in Chriſto Pater, & Domine, Amice noſter chariſsime. Vt veſtra notum eſt* Dominationi, *Glorioſi Martyris Ianuarij caput, & ſanguis in hac aſſeruantur ciuitate. Scis etiam, quàm ſit ab omni populo eius nomen veneratum, quantaque erga eum omnes deuotione teneantur. Quod vt augeatur, omni nos ope percupimus. Cum itaque eius corpus in Monte Virginis fuerit repertum, cogitauimus, ac deliberauimus, cum conſenſu, & licentia Sanctitatis Domini Noſtri, huc illud aſportandum, eiuſque capiti vniendum. Certi id, & veſtræ Reuerendiſsimæ* Dominationi *placiturum, eam obnixè rogamus, vt noſtro, & ſuo nomine apud Sanctitatem prædictam intercedat pro facultate dicti corporis in hanc ciuitatem euehendi: & ſingulari gratia id acceptum feremus. Dat. in Caſtro* Nouo Neapolis *26. Ianuarij* 1490. *Rex* Ferdinandus. *Io Pontanus.*

Poſt multa verò temporis interualla, & bellorum tumultus, quibus diu Regnum vexatum fuerat, Alexander VI. P.M. diplomate ſuo bullato, facultatem fecit Alexandro Carafæ Archiepiſcopo Neapolitano, Oliuerij fratri, corpus illud Neapolim aſportandi. Itaque is cum honorifico Clericorū Hectoris fratris, & Iacobi Arduini Epiſcopi Lipariēſis, Neapolitanæ Eccleſiæ Vicarij, aliorumque comitatu, adijt Montem Virginis. Quod, vbi Monachi perſenſiſſent, Templi, ac Monaſterij ianuas clauſerunt: armiſque ſe munientes, omnem Archiepiſcopo aditum præcluſerunt. Ac prætereà, Monacho cuidam iuſſum fuit, vt ſacra illa pignora clam è Templo, in abditiſſimum quendam ſyluæ locum abderet: quo omnis Archiepiſcopo illa inueniendi ſpes adimeretur. Archiepiſcopus, vt Monachorum audaciam frangeret, quingentos milites è vicinis Hirpinorum Oppidis accerſendos curat: à quibus Monaſterij ſepta circumquaque circumuallata fuere. Hæc vbi innotuerunt Priori Monaſterij, qui fuerat abſens, ſummopere diſplicuerunt. Quocirca illico reportanda in ſuum locum ſacra pignora, & nuncios ad Alexandrum mitti curauit, qui, & ipſius abſentiam conteſtarentur, exciri rumoris cauſam, & benignè ad ipſa recipienda eum inuitarent. Eo nuncio Alexander admodum lætus, è Mercuriano, quo repulſus receſſerat, ad Templum Virginis aſcendit. A Monachis honorificè exceptus, peracto à Sacerdote quodam Sacrificio, omnes vna Monachos ad iurandum ſupra ſacroſanctum Chriſti Corpus, an verum eſſet Sancti Ianuarij corpus, quod tunc ſibi tradebant compulit. Iurauerunt autem illico omnes: ac ſanctè teſtificati ſunt, illud ipſum B. Ianuarij corpus, quod Beneuento olim aduectum, ac tamdiu in eo Templo clam ſepultum habuerant, ſe illi tunc tradere, bona fide, & abſque fallacijs. Poſt hæc, Archiepiſcopus ſingula B. Martyris ſibi data oſſa ad inuicem commenſurari ſignatè fecit.

Interfuit huic celeberrimæ Tranſlationi, vti diximus, Antonius Mercantius: qui in ſuo illo Diario M.S. tradidit, in ea fictili vrna, laminam quæ

que plumbeam inuentam fuiſſe, in qua inſculptum ipſe vidit Helenæ Magni Conſtantini matris nomen. Fortaſſe ea ipſa vrna erat, in qua primùm in agro Marciano beata eius oſſa condita fuerant: ſi eius tempore, vt fama eſt, Tranſlatio illa facta fuit, pace nimirum Eccleſiæ reddita.

Itaque repertam in dicto Virgineo Templo iam dictam vrnam ſacris B. Ianuarij oſſibus plenam, Archiepiſcus arculæ incluſit ſerico villoſo purpureo coopertæ, eamque faſcijs, funiculiſque ad collum appenſis, ante pectus ſuum ſuper equum, quo vehebatur, ab ea Æde, quæ in arduo Montis ſita eſt, Neapolim pie, religioſeque portauit. Quo cum appropinquaſſet, ex equo deſcendens, ac fortè nudipes, vt piè credi poteſt, theſaurum illum brachijs complexatus tulit: atque in Archiepiſcopali Eccleſia collocauit, priuatim tamen, ac ferè nullo obuio ciuium, ob peſtiferi morbi ſæuitiem, eo tempore latè graſſantem. Poſtera autem die, vulgata iam de aducto S. Ianuarij corpore per Vrbem fama, ingens omnium Ordinum, ac vtriuſque ſexus multitudo, ad viſitanda tanti Martyris, ac Patroni pignora, Epiſcopion adeunt, & (quod cum admiratione obſeruatum eſt) ab eo die deſæuijt peſtis, cœpitque ciuitas frequẽtari, redeũtibus vndique ciuibus, ob peſtilitatẽ olim huc illuc abactis. Ea res Romam perlata, magis magiſque Oliuetium permouit ad honorificum illud Hypogæum Sancto Martyri extruendum, de quo infra.

Incidit hæc Tranſlatio in diem decimamſeptimã Ianuatij anni 1494. vti Afflictus teſtatur in Conſtitut. Regni, incipiente *Terminum vite* Tit. de homicid. num. 47. & in eam, quæ incipit. *Si quis aliquem*, Tit. de ſpoliant. homin. num. 5. vbi & de Officio in eius honorem à ſe compoſito meminit. Ad quem diem, figebatur olim etiam in Tabulis Neapolitanæ Eccleſiæ: quamquam & prima quoque Tranſlatio celebraretur prima Dominica menſis Maij. Ex quibus poſtea Tabulis abraſa eſt.

Placet nunc, quando iam vetera teſtimonia percurrimus, recens de hac Tranſlatione Carmen adiungere, quod efflagitante me, doctiſſimus Sacerdos Proſper Antonius Zizza pangebat.

ODE PINDARICA.

*Adeſte Muſæ, quotquot amabiles*
*Luſtratis oras, ſiue biuerticis*
*Pindi receſſus, ſiue beatis*
*Lucidulas Heliconis vndas.*
*Mutanda vobis ſunt iuga Montium,*
*Mutanda vobis flumina. Veſbius*
*Pindus biceps ſit, nec Cephiſo*
*Diſſluet inferior Sebethus.*
*Adeſte, lætis carminibus tamen*
*Plauſus ad aptos omnia concrepent:*
*Nec plectra pendebunt in vmbra*
*Pyeriæ tacituræ Daphnes.*
*Dicenda quando eſt lætitiæ dies,*
*Signanda cano cana lapillulo,*
*Quo IANVS Vrbis ille vindex,*
*Ille feri domiter Tyranni.*
*Qui non marinis Andromedæ feris,*
*Non vicit Hidræ colla minantia*

*Semper renaſcendo reviſa,*
*Quodue canit facinus vetuſtas.*
*Sed ſtrauit hoſtis cornua perfidi,*
*Ducis barabri, quando recluſerat*
*Sedes ſilentum, Tartarique*
*Veſuuius rabiem vomebat.*
*Ingreſſus Vrbem Ianus amantior*
*Oblita non Vrbs, plauſit amantius*
*Ad ſe reuertenti Patrono*
*Carminibus, fremituque blando.*
*Nam quæ Siconis ſenſerat impetus,*
*Eius rapaces ſenſerat & manus;*
*Perpeſſa vires barbarorum,*
*Parthenope, ſpoliata donis.*
*Non illa gemmas, ditia non ſibi*
*Erepta fleuit munera, ſed ſui*
*Seruata millenos per annos*
*Pignora iam ſacra Ianuari.*
*Dux namque ſacros vindicis inclyta*
*Syrenis artus, tranſtulerat lares*
*Ad Beneuentanos, vbi ille*
*Geſſerat & baculum, mitramque.*
*Mox Sico preſſus Marte, recondidit*
*Sacrata Diui pignora, qua niue*
*Mons in Hirpinis, obſitus ſtat*
*Aſſiduo Orbilianus imbre.*
*Sed rebus olim compoſitis, noua*
*Nequibat ægro Vrbs viuere corpore;*
*Abſente Iano, nec paternas*
*Iam proprius moderante, ſedes.*
*Tandem miſertus Romuleus Pater;*
*Conceſsit almæ dona Neapoli,*
*Portanda rurſus Ianuari.*
*Protinus exilijt, nimiſque*
*Gauiſa Syren geſtijt, & ſuas*
*Nymphas vocauit, quæ celebrent diem;*
*Et tu Petulci, tu canoris*
*Collibus Antiniana, tuque*
*Ora è marina Pauſylipe venis,*
*Gratata Matri, perſonat vndique*
*Plauſus, triumphus, ceu renata*
*Mœnia tum ſua conderentur.*
*Excita penè è ſedibus, in ſui*
*Proceſsit occurſum Ducis, hinc nurus*
*Ornata crines, hinc coruſcis*
*Cum famulis, Equitum Senatus.*
*Mitraque ſacra inſignibus aureis*
*Carapha Paſtor, hinc comitatus*
*Longa Sacerdotum corona*

*Obuius,*

*Obuius,& Federicus adſunt.*
*Carapha quando Templa ſacerrima*
*Regebat Vrbis,quo neque iuſtior,*
*Nec ſanctior:par verò habebat*
*Imperium Federicus æquum.*
*At tu triumphans ingredere,ò Pater*
*Tutela tu cara maxima Patriæ*
*Auerte Aades,& fauenti*
*Numine,tu tege,viſe,ſerua.*

## *Ampullæ cruoris, & aliæ alibi Sancti Martyris Reliquiæ.* *Sect.*XVI.

VEre Regius Pſaltes Pſal.31.dicere poterat. *Cuſtodire Deum oſſa ſeruorum ſuorum*. Cui ſuccinit Iſaias cap.66.dicens. Quòd & *germinare ea faciat*. Ob ſeruatam ſcilicet incorruptibilitatem. Quod de Primogenito mortuorum Chriſto Domino tradunt nonnulli, non poſſum ſilentio præterire: id Chiffletij verbis narrabo cap.36. de linteis ſepulcralibus. *In Galliæ Narbonenſis Vrbe Sãcti Maximini, ſeruatur verus Sanguis Domini noſtri, phiala vitrea concluſus, qui quotannis, die Veneris Sancti, dum Paſſionis Dominicæ Officium recitatur, maximo miraculo cernitur per ſe attolli, & ebullire*. Hæc ille. Ne quis autem ſcrupulus alicui ſuboriatur, de hoc,& alibi exiſtente Chriſti Sanguine,Caietanus legendus 3.par.q.54.artic.2.& Suarez 3.par. tom.2.diſp.47.ſect.2.necnon & Vaſquez diſp.36.cap.8.num.42. Quoties autem Deus id factitarit in Sanctis ſuis,vitalem eorum ſanguinem reddés, id tantummodo nunc narrabo.

Inſigne eſt illud, quod de corpore Sanctæ Euphemiæ, poſt Euagrium lib.2.cap.18. ſcribit Nicephorus lib.15.cap.3. Nimirum,quòd in læuo latere tumuli illius,feneſtella quædam erat,operculo obſirmata, per quam ſpongia ferro alligabatur, & guttis cruore illius delibutis extrahebatur, dabaturque liberaliter omnibus illuc aduentantibus. Idque Mauritio Imperatori incredulo,per experientiæ tentamentum fuiſſe ſatis compertum.

E Sancti Thomæ Erfodienſis cadauere, ſanguinem fluxiſſe contra omne morborum genus propitium,narrat Bozius infra citandus.

In Monte Falco ampulla conſeruatur ſanguinis plena, qui è corpore Sanctæ Claræ effluxit. Is concretus eſt,& nequaquam in puluerem redactus. Quoties autem aliquid calamitatis,Chriſtianæ Reipublicæ imminet, continuò incipit colliqueſieri,ſubſilire, & efferueſcere: eo concitatius, ac diuturnius, quo maior futurus eſt caſus. Sicut obſeruatum eſt, cum Regnum Cypri fuit à Turcis captum. Vide Bozium de ſignis Eccleſiæ Dei lib.15. ſigno 66.

Veniamus ad Neapolitanum Regnum. In Ducatu Amalphiæ,ciuitateque Rauellenſi,ampulla eſt ſanguinis Sancti Pantaleonis Martyris,quem liqueſieri teſtantur oculati teſtes Marinus Freccia inſignis I. C. lib.1. de ſubfeudis,cap.de Prouinc.& ciuit.Regn.Neapol. Et Paulus Fuſcus de viſitat.Eccleſ.c.8.n.10.

In eadem ciuitate Amalphiæ, ſanguinem S.Vrſulæ liqueſieri in die illi ſacro,tradit Bozius loco citato.

Scalis item Picentinorum ſimiliter ciuitatulæ, Sancti Euſtachij cruorem in ampulla ſeruatum, in eius natali die liquefieri teſtatur Ferrarius lib. de SS. Italiæ.

Verum ad ciuitatem noſtram Neapolitanam deueniendo. Quòd in vnius tantum Diui ſanguine, alicubi oſtendit Deus, hoc in pluribus in vna ſolum ciuitate voluit demonſtrare. Vt in ſanguine Præcurſoris Domini in Eccleſijs Monialium S. Mariæ Domnæ Aromatæ, & S. Gregorij Armeni, ac in Eccleſia Fratrum Sancti Auguſtini Congregationis Carbonariæ. In ſanguine Sancti Stephani in Eccleſia Monialium Sancti Gaudioſi. Et Sanctæ Patriciæ in eius Eccleſia, & S. Bartholomæi Apoſtoli, teſte Engenio in eadem Eccleſia Sanctæ Patriciæ. Et S. Pantaleonis Martyris, teſte eodem in Eccleſia Sancti Seueri.

Libet recens, ac familiare exemplum de noſtri B. Andreæ Auellini ſanguine ſubdere. De quo hæc Boluitus noſter lib. 3. Vit. Beati cap. 36. *Exindè autem quotannis ferè obſeruatum fuit, & in Eccleſiaſticis Tabulis conſignatum*, *illum*, nempe ſanguinem, *qui in Templo noſtro D. Pauli argentea theca incluſus aſſeruatur, anniuerſario eius die ebullire, vel ſaltem colliquefieri, innumero ſpectante populo in ipſo ſacro Veſtiario. Et hoc etiam anno, quo primum Beati honores publici, Andreæ fuere collati, in ipſa eius Templi Ara maxima. Quæ cuncta, vti diximus, pluries collatis Theologorum, & Medicorum ſententijs, indubio miraculo fuere adſcripta.* Hæc Boluitus.

Sed iudice magno Baronio, omnibus antecellit, inclyti Martyris Ianuarij cruor. De quo non aliud teſtimonium afferam, quàm quod Eccleſia in eius natali die affert, his verbis. *Præclarum illud quoque, quod eius ſanguis, qui in ampulla vitrea concretus aſſeruatur, cum in conſpectu capitis eiuſdem Martyris ponitur, admirandum in modum colliquefieri, & ebullire, perindè atque recens effuſus, ad hæc vſque tempora cernitur.* De hoc miraculo Baronius Notis ad 19. Ianuarij. *Non eiuſmodi eſt hoc miraculum*, inquit, *vt vnius, vel alterius hominis teſtimonio comprobetur: ſed ita manifeſtum, vt ipſe Martyris ſanguis, aſſidua miraculorum operatione, velut Abel ſanguis clamans, per vniuerſum Orbem Chriſtianum intonet.*

Dixi ſupra extrema Sect. IX. piarum fœminarum ſtudium fuiſſe, cruorem Martyrum colligere: exemplo Sanctarum ſororum Praxedis, & Pudentianæ. Ac ſeptem illarum mulierum, cruorem S. Blaſij colligentium, ob idque martyrio coronatarum. Addo nunc ex S. Gregor. Turonenſ. lib. 1. Miraculor. cap. 12. totam concham argenteam, cruore S. Io. Baptiſtæ fuiſſe impletam: induſtria deuotæ fœminæ, quæ decollationis eius tempore, in Paleſtina erat: quæ poſtea in Vaſatenſem ciuitatem delata fuit. A fœmina quoque S. Ianuarij ſanguinem fuiſſe collectum, indicat egregia eius imago in valuis organi Archiepiſcopalis Eccleſiæ ab inſigni pictore Georgio Vaſario depicta, tempore Pauli Papæ III. Et alia in Porticu Eccleſiæ Sancto Martyri dicata extra mœnia ciuitatis.

In eo autem loco Puteolanæ ciuitatis, vbi cruor iſte ex defecto capite deciduus, collectus eſt, Eccleſia poſtea extructa eſt: in quam perbellè facit, quod Prudent. periſteph. hymno 1. cecinit.

*Iſtas cruore ſancto nunc arenas, incola*
*Confrequentant, obſecrantes, voce, votis, munere.*

Exiſtimo verò ampullas iſtas cum eius corpore fuiſſe tumulatas. Id obſeruare eſt in antiquis Romæ cœmeterijs. Extat prætereà exemplum S. Cerboniani

boniani Epiſcopi Friſingenſis, cuius calidus ſanguis, qui ex eius naribus effluxit, cum ſuo corpore ſepultus fuit, vt Petr. in catalogo tradit lib. 8. cap. 54. Quando verò Sico Princeps corpus S. Martyris Beneuentum aſportauit, ſanguinis ampullæ, in Stephaniam trãſlatæ ſunt: vbi fuiſſe Caput eius, probant exempla aliorum Patronorum, quorum corpora, etſi alibi ſepulta eſſent, vtpotè Aſpreni, & Athanaſij in Æde maiori, Agrippini, & Seueri in Eccleſijs eius nominibus dicatis, vt etiam Euphebij in Eccleſia Patrum Cappuccinorum, Capita tamẽ ipſorum, in Sacrario, ſeu Theſauro reliquiarum fuerũt: etſi antiquitus ea ſub altari: vt olim etiam Capita Petri, & Pauli aſſeruata fuiſſe conſtat. Sed Turinus cap. 15. Vitæ S. Ianuarij ad antiquiora id tempora refert. Nimirum ad annum circiter trecenteſimum octogeſimum primum, quando ædificata à Sancto Seuero Eccleſia extra mœnia Neapolis, illuc è Marciano agro ſacrum eius corpus tranſlatum fuit. Ac tunc primum liquefactionis miraculum obſeruatum fuiſſe, in eo propemodum loco, Antiniano colli proximo, vbi nunc ſecus viam altare viſitur, cum Sancti marmorea ſtatua. De qua tamen re, nec Acta Tranſlationis, nec Scriptores Vitæ Sancti Seueri, & Ioãnis, qui tunc erat Neapolitanus Epiſcopus meminerunt.

Circumfertur teſtimoniũ ex Vita Sancti Peregrini Confeſſoris, Regis Scotorum filij deſumptum: vbi hæc leguntur. *Demum venit Neapolim, quam veteres Parthenopem appellarunt, ad* S. Ianuarij *Martyris, quotidianum, & inſigne miraculum: vbi geminæ phialæ vitreæ habent intra ſe ipſius Martyris durum ſanguinem ſicut ſaxum, quæ dum ad caput eiuſdem Martyris appropinquantur, ſubito liqueſit ſanguis in illis, cum aliqua ſpumanti bullitione, qui Martyr à mille annis citra iam migrauit ad Dominum: & phialæ illæ intactæ perſiſtunt.* Sed hoc teſtimonium eludunt aliqui, tanquã narratio illa ſit per prolepſim dicta. Vel quod vitæ Sãcti Peregrini Scriptor nõ omnẽ mereatur fidẽ. Poſterioribus ſæculis ſcripſit Fabius Iordanus I. C. Neapolitanus in Schedis de Neapolitana Vrbe, incendium Veſuuij, quòd anno 685 contigit, Ianuarij lipſanis apparentibus fuiſſe extinctum. Quod, vt manifeſtè probat, ante id temporis, ea beata pignora Neapoli fuiſſe, ita de liquefactione nihil aſſeuerat, eius hæc ſunt verba. *Adeoque pernicibus ignium fluminibus cuncta aduſſit, vt nonniſi ſolemni pompa Sacerdotum, Beati* Ianuarij *caput, & durum ſanguinem proferentium occurrente, ſiſti, auertique potuerint.* Idem prorſus dicendum cenſeo de donario Ioannis Papæ XXII, Eccleſiæ Neapolitanæ facto. Is quippe per inſcitiam facti, putans Neapoli eo anno Pontificatus ſui XVIII, qui incidit in annum Chriſti 1333, Corpus Beati Martyris requieſcere, quod tamen tũc in Monaſterio Montis Virginis venerabatur. *Quendam pannum aureum, imaginibus Beati Ianuarij* Martyris, *cuius corpus in eadem requieſcit Eccleſia* Neapolitana, *hiſtoriatum decenter, pro decore, & ornatu ipſius Eccleſiæ damus, & concedimus, de gratia ſpeciali.* Vt eius Diploma narrat, quod in Archiuo Canonicorum aſſeruatur. In eo autem nulla liquefactionis mentio fit. Vtinam autem donarium illud nunc extaret, in ipſius enim hiſtorijs, ſiue intextis, ſiue acu pictis, aliquid de ſanguine ad capitis occurſum liqueſcente daretur intueri. Idem obſeruo in Chronico M. S. Maraldi Chartuſiani apud Tutinum, in quo lego. *Hoc anno 1140. Rogerius poſt coronationem ſuam* Neapolim *ſe contulit, & ciues obuiam illi occurrerunt contra portam* Capuanam, *& Archiepiſcopus Vrbis Neapolitanæ proceſſionaliter eum recepit, vna cum* Sanctorum *Reliquijs, capite, & ſanguine Sancti Ianuarij, quos reuerenter adorauit, quæ poſtmodum ad Eccleſiam rediere,*

*diere*.Et in alio M.S.apud eundem,narrãte ingreſſum Alphonſi primi Aragonei in ciuitatem Neapolitanam. Neutribi enim de liquefactione mentio aliqua facta eſt.

Itaque incertum apud me eſt, quo primum tempore ea liqueſcentia vel contigerit, vel fuerit obſeruata. Omninò autem,ſi non ſtatim ab eius cæde contigit, ſed multis poſt ſæculis, id in occultam Numinis prouidentiam reijciendum eſt. Tantundem factum eſt in pretioſis Sanctorum cruoribus,hic aſſeruatis,de quibus ſupra. Præcurſoris enim Domini ſanguis in Æde Sancti Archangeli ad Baianum,ſiue à Carolo I. ſiue à Maria Roberti Regis filia illic incluſa, in eam illatus,non ante annum 1554.colliqueſcere viſus eſt.Vnde poſtea in Parthenonen Sancti Gregorij Armeni,quo aliquæ ex S.Archangeli Monialibus immigrarunt,tranſlatus fuit.Et alio denique tempore idem accidit cruori Sancti Præcurſoris, qui in Eccleſijs Sanctæ Mariæ Domnæ Aromatæ,& Sancti Ioannis ad Carbonariam aſſeruatur. Sancti Andreæ corpus vnguentiferum tranſlatum Amalphiam anno 1207.& conditum ſolemniter anno 1208.nullum tamen protulit liquorem, niſi poſt annum 1294. Andrea de Alaneo Archiepiſcopo, vt conſtat ex Chronic.Amalphit.Crebra item eſt in ſacra hiſtoria mẽtio de reliquijs Sanctorum,quæ diu latuerunt,ac poſtea diuino monitu reuelatæ,cultu celeberrimo veneratæ fuerunt. Nihil ergo mirum ſi hoc idem in noſtro Ianuario accidiſſe dicamus.

Meminit huius ebullitionis Pius II.in ſuis Commentarijs.Poſt ipſum Angelus Cato Supinas in editione Pandectarum medicinalium Matthæi Syluatici Salernitani in epiſtola liminari dicti libri ad Ferdinandum I. Aragonium anno 1474. Robertus quoque Guaguignus Gallus lib.12. de origin.& Regib.Francorum de anno 1495. agens inquit, *Le Domeniche* III. *iour di Moys de May*,& cætera ſubdit Gallico ſermone, vti apud Gazellam eſt videre. Qui tamen cum addat Robertum lingua Gallica hiſtoriam ediđiſſe, poſtea in latinum idioma conuerſam, non videtur conſentire cum textu, quem ego vidi editionis Pariſienſis anni 1528. Ex quo manifeſtè colligitur,hiſtoriam lingua latina primo editam.Neque illud,quod ſubdit de textu,ab hæreticis decurtato, & abraſa miraculi narratione,in odium ſacrorum lipſanorum fauere eius opinioni vllo modo poteſt. Non enim concordat cum ijs,quæ in eadem Caroli VIII.vita leguntur. Nempè Carolum ad bellum prodeuntem,curaſſe vt Sanctorum reliquiæ in Altari exponerentur,non prius in ſacrario reponendæ, quàm ipſe fuiſſet reuerſus. Vtrumque enim impius,& hæreticus Scriptor,ſeu editor,ſeu interpres,ex textu abraſiſſet. Fortè Scriptor ille Gallicus, diuerſus eſt à Roberto Guaguigno.Vel Codex,quo ego ſum vſus,diuerſus eſt ab eo, quem Gazella habuit.

Adde Iuliani Paſſari Diurnale, ad 6.Octobris 1496.Afflict.ad Conſtitut.Regni,*Terminum vitæ*,Tit.de Homicidis num.47.Fulgoſ.Ducem Reipubl.Genuenſ.lib.1.Dictor.& Factor.memorab.cap.6.Picum Mirandulanum de fide,& ordine credendi, & alios.

Tandem illud conſideratione dignum eſt. In imminentis mali omen accipiendum eſſe, quoties pretioſus hic cruor ad capitis præſentiam minimè liqueſcit.Sic obſeruatum fuit anno 1527.& ſequenti, cum Roma à Borbonio capta,& Pontifex in Caſtrum Sancti Angeli obſeſſus fuit. Et anno 1550. & 1558. cum Turca depredatus fuit multas Regni ciuitates.

Et anno 1569 in magna caritate, ob quam innumeri fame perierunt. Et aliàs, in cladibus alijs. Vt ſimili quoque euentu, Mauricianis temporibus Sanctæ Euphemiæ, & Sanctæ Glyceriæ cruor obduruit: vt habet Simocatta in Hiſtor. Mauriciana. Quamquam peccatis quoque populorum id eſſe aſcribendum, dicet Sanctus Odo Cluniacenſis ſerm. de Sancto Benedicto Abbate in Bibliotheca Floriacenſi his verbis. *Ceſſare diuina miracula, noſtrorum enormitas peccaminum facit, qui poſt reuelatam Chriſti gratiam, retrò ſumus conuerſi.*

Hactenus de præcipuis Sancti Martyris reliquijs, capite ſcilicet, & ſanguine egimus. Digitum eius dum decollaretur deſectum, conſeruat Eccleſia eius nomini dicata extra mœnia Neapolitanæ ciuitatis, de qua toties incidit ſermo. At eſſe prætereà particulas aliquas pretioſi eius corporis, ſeu cruoris, alijs in Eccleſijs, de Neapolitanis quidem docet Catalogus Engenij in Neapoli ſacra, in Eccleſijs Monialium Sanctæ Mariæ de Aluino, & Societatis Ieſu. Et SS. Apoſtolorum Religionis noſtræ, in inſigni illa Ierotheca, quam refertam pretioſis reliquijs, ſumma diligentia vndique conquiſitis, Eccleſiæ noſtræ legauit pijſſimus vir Io. Antonius Schodeſius.

In Monaſterio Monialium Sãcti Bartholomæi in ciuitate Caſtri Maris ad Stabias os è coſta huius Martyris ſumma veneratione aſſeruatur, & deuotè in publicis neceſſitatibus per Vrbem circumfertur.

Romæ in Æde Sancti Syluestri ad caput, reliquias adeſſe huius Sancti Martyris, ſcribit Hugon. de Station. Vrbis pag. 247. Si tamen huius ſunt Ianuarij, Nam figit illum ad 20, Septembris. In Æde item Metropolitana Brunduſij, vt ex Notitia Reliquiarum eius Eccleſiæ poſt Officia impreſſa Romæ anno 1583, patet. Beneuentani quoque gloriantur multa ſe habere Sancti Ianuarij Patroni noſtri lipſana in Archiepiſcopali Templo. Sed fortè falluntur: eaque non ſunt Ianuarij noſtri, ſed vnius ex Adrumetinis fratribus, quorum corpora Arechis Dux è Lucania Beneuentum transferenda curauit.

Puto autem huius noſtri Ianuarij eſſe ea lipſana, quæ in Altari Sanctæ Crucis inſignis Eccleſiæ VViardburgenſis collectas tradidit M.S. Codex eiuſdem Monaſterij, quod eſt in Bauaria Ordinis Præmonſtratenſis apud Canis. tomo 6. antiq. lect. pag. 406. & non abſque probabili coniectura. Dicitur enim ibi, eſſe Epiſcopus, & Martyr. Eiuſmodi autem ſolus noſter Ianuarius eſt, prætereà nemo. Vndè poſſumus quidem affirmare, habito ad nomen reſpectu, omnes quidem Ianuarios eſſe Cœli Ianuas: ſed noſtrum, eſſe eius Palatij cœleſtis primariam. Primariæ namque Palatiorum Ianuæ duplices eſſe ſolent: cœteræ, vt plurimum, ſimplices. Ergo qui Martyr tantum, aut Epiſcopus eſt Ianuarius, primaria Palatij Ianua dici nequaquam poteſt. Qui verò vtraque fulget dignitate, vt noſter Ianuarius, hic Ianua Princeps, amplior que cæteris merito dici poteſt.

Addam & iſtud, de quo ſupra dixi Sect. IX. Neruos Sancti Ianuarij alicubi fuiſſe cum veneratione aſſeruatos. Nam in conſecratione maioris Altaris Sancti Gregorij, qui Cauenſis dicebatur, inter cætera Sanctorum lipſana, nerui etiam dicti Sancti Martyris appoſiti fuerunt, Facta eſt ea conſecratio anno Domini 1187 à Sergio Neapolitano Archiepiſcopo, ſedente Vrbano Papa III. Dicebatur autem ea Eccleſia Cauenſis, eo quod prædictus Sergius, cum conſenſu Canonicorum Neapolitani Capituli, eam

Fratri

Fratri Benincaſa Abbati Cauenſi conceſſerat: ſicut Bullæ originales eius, in Archiuo præfati Monaſterij conſeruatæ atteſtantur. Exiſtimabat autem quidam rei antiquariæ Neapolitanæ peritiſſimus, hanc Eccleſiam ibi fuiſſe, vbi olim Caſtrum Capuanū extructum erat, hodie autem Regia Tribunalia exiſtunt.

## *Apparitiones.*
## *Sect. XVII.*

COmpendij cauſa, plures Beati Martyris apparitiones in vnum veluti faſcem colligabo. Et primo, dediſſe eum fidem, cum ad martyrium duceretur ſeni cuidam, Acta docent his verbis. *Quidam ſenex pauperrimus, ſperans ſe aliquid, beneficio Sanctorum iuuari, oppoſuit ſe Sancto Ianuario, prouolutus pedibus eius, rogans eum, vt aliquid de veſtimensis eius mereretur accipere.* Beatus verò Ianuarius dixit ſeni illi. *Poſt decollationem meam, orarium meum, de quo mihi oculos ligauero, ſcias me ipſum tibi eſſe daturum.* Quam dederat, ſeruauit fidem. Sic eunti Paulo Apoſtolo ad necis locum, legitur obuiam veniſſe Plautilla nobiliſſima fœmina, vtque creditur, Flauiæ Domitillæ Mater: eique petenti velum dediſſe, quod vita iam functus, ipſi poſtea reſtituit: & hoc ipſum velum, eſſe illud, quod Sanctus Gregorius Papa, Auguſtæ petenti dare noluit, vt habetur in eius epiſtola 1. Regiſt. 3.

Acta, aliam eius apparitionem narrant. *Chriſtiani verò*, inquiunt, *diuerſarum Vrbium, cuſtodiebant corpora Sanctorum, vt ea noctu rapsim tollerent: & cæperunt occultè ſolliciti obſeruare. Et facto ſilentio, hora noctis, vniuerſis dormientibus, apparuit Sanctus Ianuarius vni eorum, qui parati erant corpus tollere, & dixit ei. Frater, cum corpus meum attolleris, & digitum manus meæ illi loco exiliſſe cognoſcito: requirite eum, & pariter cum corpore meo ponite: & ita factum eſt, vt ipſe Sanctus admonuit.*

Seuero Epiſcopo morienti eum apparuiſſe cum Agrippino Epiſcopo narrat Anonymus Scriptor Vitæ S. Seueri in Cod. M.S. Bibliothecæ noſtræ SS. Apoſtolorum, ſic loquens. *Cum hæc omnia cum Sanctis Clericis perfecto ordine celebraſſet, ſubito clara voce interrogare cæpit. Vbi ſunt Fratres mei? Vnus autem ex circumſtantibus Vrſus nomine Archidiaconus nepos eius, qui poſt tranſitum ipſius, Epiſcopus eſt ordinatus, cum hoc audiſſet, cogitans, quòd patres ſuos, ideſt Diaconos quæreret, reſpondit. Ecce hic ſunt Fratres tui. Cui ipſe dixit. Scio Filioli, ſcio quod hic ſunt Fratres mei. Sed ego meos Fratres dico, Ianuariū, & Agrippinum, qui mihi modò ſunt loquuti, & continuò ad me venturos ſe eſſe dixerunt.*

Eadem fermè narrat Vranius de morte S. Paulini apud Surium to. 3. de Ianuario, Paulino morienti apparente. *Cum hæc omnia Sanctus Epiſcopus læto, atque perfecto ordine celebraſſet, ſubito clara voce interrogare cæpit. Vbi eſſent fratres ſui. Tunc vnus de circumſtantibus, qui putauit, quòd fratres ſuos, ideſt Epiſcopos, qui tunc aderant, quæreret, ait illi. Ecce hi ſunt fratres tui. At ille. Sed ego nunc fratres meos Ianuarium, atque Martinum dico: qui modo mecum locuti ſunt, & continuò ad me venturos ſe eſſe dixerunt. E quibus Ianuarius Epiſcopus ſimul & Martyr, Neapolitanæ vrbis illuſtrat Eccleſiam. Martinus autem vir per omnia Apoſtolicus, cuius vita ab omnibus legitur, Galliarum Epiſcopus fuit.* Vides, vt dixi, narrationis ſimilitudinem. Et vtramque ego narrationem, veriſſimam exiſtimò, certiſſimamque hiſtoriam, ſed Seueri obitum, cum antiquiorem ſciamus, Scripto-

rem tamen illum anonymum vitæ eius, longè poſt Vranium, qui Paulini tranſitum ſcripſerat, vixiſſe exiſtimo, qui mutuari verba ab Vranio non erubuit, vtpote rudi, & mixobarbaro ſæculo natus, ſe elinguem faſſus. Porrò hanc Ianuarij viſionem, fuiſſe, vt Scholæ loquuntur, intuitiuam, ſuadent verba Gregorij Turonenſ. de Gloria confeſſor. cap. 107. de Paulino loquẽtis. *Qui tantum in virtute per multiplicata gratiarum ſpiritualium chariſmata reſplenduit, vt in obitu ſuo, ipſum Martinum, Ianuariumque Italicum, priuſquam ſpiritum redderet, corporeis oculis contemplaretur.*

Addamus, & apparitiones alias. Florentius inter primarios Neapolis ciues, quærebat quidem ab Imperatoribus honores in Patria: ſed viam ad eos per virtutem, ac merita ſibi ſtrauerat; neque tamen ſic ad eos peruenire valebat. Auerſatus autem inglorius obire, à D. Ianuario quem vnicè colebat, rem expectandam decreuit. Eius idcircò ſepulcrum aſſiduè venerabatur. Nocte quadam videt in ſomnis ſenem, aſpectu Ianuarium referentem, circumquaque ſplendore circumfuſum, ad ſe accedentem, & in aureo throno gemmis ornato, illum conſidere iubentem. Expauit Florentius experrefactus, precatus, vt, quid viſio portenderet, daretur intelligere. Et ecce Imperatoris Cancellarij, cum percupitæ dignitatis diplomate: quam haud fuiſſe à Ianuario in ingratum collatam, marmora eius Altari exornãdo, vti *Liberatori Sancto* ab ipſo conſtructa, & cancelli circa illud, cum argẽteis valuis, comprobarunt.

Adoleſcens quidam clericali militiæ adſcriptus, toto ſeptem dierum ſpatio, ob morbi vim cibi fuerat abnuens. Quocirca nullus ei aderat motus, & lumina prætereà illius occluſa. Sicque pro mortuo reputatus, ita vt qui aderant vicini, & clerici, preces, pſalmoſque pro defunctis cantari ſolitos, circa ipſum, illuceſcente craſtino ſepulturę, vt credebant, tradendum, ex chriſtiana pietate recitarent. Bini ex eis inter pſallendum, ſopore oppreſſi, vident Ianuarium, niuea veſte amictum, infirmo viſendo occurriſſe. Quique arbitrati medicum illum eſſe, oblata trium aureorum mercede, eum ad infirmi curationem allicere conabantur. Sed audiunt. Non ego medicus ſum, ſed Ianuarius, qui pro Chriſto ſanguinem fudi. Neque alienæ pecuniæ ſum appetens, qui meam pauperibus diſtribui. Quibus dictis euanuit. Vt primum diluxit, ad Sancti ſepulcrum ijdem accedunt, puluerem inde collectum ſuper infirmum ſpargunt, ac ſtatim eius oculi lumen, brachia motum receperunt, corpuſque totum, robur ac vires.

Celebris eſt ea Sancti apparitio, quæ piæ fœminæ facta eſt. Quando ſcilicet, diſceſſum ſuum Neapoli Beneuentum minitatus eſt, cum oſſa eius illuc à Sicone Principe tranſlata ſunt. Se inde eſſe diſceſſurum ob periuria præcipuè in eius ſepulcro patrata. Vt ex Actis legitur, toties à nobis citatis.

Alias, viſus obdormiſcenti ad eius ſepulcrum paralytico, cui nomen Mauro, ad Agrippinum Epiſcopum eum miſit, à quo ſanitatem ipſi indubiè ſpondebat. Ad huius porrò ſepulcrum, non ceſſabat languens precibus illum pro ſui ſanitate fatigare. Sacrum intereà faciẽte Paulo huius nominis ſecundo Epiſcopo Neapolitano, ingens audita vox eo in loco, vbi beata Agrippini oſſa requieſcebant, cunctos ad rei nouitatem excitauit. Qui eo accurrentes, eum, qui olim paralyſi laborabat, ſanum repererunt, altari Beati oſcula figentem: Deoque, ac Sanctis ſuis, pro accepto beneficio gratias agentem. Contigit hoc anno Chriſtiano 770. Tũc enim præfatus Epiſcopus

copus Paulus, Neapolitanam Eccleſiã regebat, vti Io. Diaconus in Chron. Epiſcopor. Neapolit. aſſerit. Simile quippiam leges in Gregor. Turonenſ. de Gloria Martyr. lib. 2. cap. 47. de Martino Epiſcopo, amandante cæcam mulierem ad Martyris Iuliani ſepulcrum.

Puellæ item alterius, dextrum latus paralyſi correptum erat. Sed cum ad ſancti ſepulcrum ſe abijeciſſet, opem ibi aliquantiſper precata, ſenſit illico præſtitam. Apparente nimirum Sancto Epiſcopo, dum cæteri, ipſa vigile, & pſalmos recitante, ſopore tenerentur. Expauit illa eius viſu, & conterrita vultum contegere ſatagebat ſuum: at retexit illum Sanctus, redditque brachio motum, & ſalutem. Ad hæc exclamans illa, ſocios à ſomno, cunctos ad admirationem excitauit.

Quoties autem, vel in Veſuuianis incendijs, vel in Patriæ obſidionibus, ſe viſendum prebuerit, ſuo loco inferius narrabitur.

## *Miracula.*
## *Sect.* XVIII.

ADmirabilium patratorem fuiſſe Ianuarium etiam Græci fatentur, ſic in ſuis Mœneis cantantes. Ode V. Ρεῦσαν ἐπὶ τῆς γῆς, &c. *Pretioſus tuis ſanguis in terram effuſus, ſanationum flumen factus eſt, ſiccans ò Pater paſsionum fluenta.* Et Ode VI. Ρήμασι σημεῖα, &c. *Videns iniquus populus verbis te miracula operari, ò qui ſacra inducis, mirabiliter illuminatus, ad benefactorem ex animo accedit.* Ac rurſus, ὤφθης καὶ πρὸ τέλους, &c. *Viſus es, ò Pontifex, & ante finem, & poſt diuinum finem, operari multitudinem miraculorum, cum ab infantia, Spiritus ſancti donum accepiſſes.*

Et certè, vti non eſt dubium, multa ab eo in mortalium ſalutem geſta fuiſſe, ſic indolendum maximè, ea, temporum iniuria perijſſe. Recentiora verò, his commentarijs aſcribere non curaui. Itaque ea tantum recenſebo, quæ duo veteres Scriptores nobis tradiderunt.

Apud alterum ipſorum, licet Anonymum, in Homilia, quam in eius ſolemnitate ad Populum Neapolitanum dixit, cuius initium eſt. *Operante diuina gratia*, quæ M.S. apud nos extat in Bibliotheca noſtra SS. Apoſtolorum, cuiuſdam Sabini memoria celebratur, nobilitate & probitate conſpicui. Huius deſperata ſalus, omnem medicinam recuſabat. Sed vt primum Templo, quod D. Martyri ſacrum erat, appropinquauit, languor omnis cõpertus eſt ſtatim euanuiſſe.

Idem & Marco Syrio contigiſſe traditur effetæ ſeni ætatis. Ad Templum enim, ſuperata per vim, hominum multitudine, quæ illud oppleuerat, illatus, tactu liminis ſacri, ſanitati reſtitutus fuit.

Sed & Gregorius Tribunus militum, quem humana ſubſidia dereliquerant, hac ſola arte ſe ſanandum ſperabat. Nimirum, vt Capua, vbi præerat, Neapolim pergens, Ianuarij ſacram Ædem adoraret. Perrexit, adorauit, conualuit, perfectæque ſanitatis incolumitate vegetatus, alacer vnde venerat, remeauit.

Ipſos quoque Orientales Populos ad ſepulcrum Sancti Martyris cõueniſſe, & oleo lampadis ante ipſum collucentis, varij generis morbis ſanitatem attuliſſe, idem Auctor narrat.

Lon-

Longiuſculum eſt illud, quod ibidem de afflictæ viduæ filio ſubditur. Quod quia expedit ipſiſſimis Auctoris verbis narrare, ad illum paulo infra adducendum, Lectorem meum amando.

Alter verò Scriptor, & ipſe quoque Anonymus, Acta Tranſlationis corporis Ianuarij, à Sicone Principe, Neapoli Beneuentũ tranſlati, cui ipſe terfuit, oculatus omnium teſtis, nobis reliquit. Ea ex M.S. Codice Longobardico Beneuentanæ Eccleſiæ, ſupra retulimus Sect. III.

Hoc narrante, odoris illa fragrantia, cuius ſuauitate delibutam ſe ſenſit innumera illa penè turba, quæ ſacra Ianuarij pignora comitabatur, omni odoris artificio, ſiue ſparſi, ſiue incenſi excluſo, indubiam cunctis cæleſtis virtutis opinationem impreſſit: & ex eo maximè, quod neque ad trium, & quatuor vſque horarum ſpatium, ſentiretur euaneſcere.

Illo ipſo die, quo ſublatus eſt Ianuarius, equus ruſtico cuidam fuit ablatus, cuius fortè ope victum ſibi parabat. Admirandum is in modum, cum ad Beati ſepulcrum illacrymaretur, experturus promptum eius auxilium, inde regreſſus, quæritando equo intentus, puelluli voce velut in longinquo poſiti admoneri ſe ſenſit, vbinam equus reperiendus eſſet, ac locum inſuper indigitari. Effectus rem probauit, inuento equo, vinculis item nè poſſet aufugere, irretito.

Semel, & iterum, ea Tranſlationis occaſione, nonnullis viſum fuiſſe, & narrant Acta, & nos præcedenti Sectione retulimus.

Subdunt Acta. A pio quodam viro, in gratiarum actionem ſtatutum fuiſſe, vt ſuo oleo, ante Beatiſſimi Ianuarij corpus candela foueretur. *Quod cum negligentius ab eo, cui commiſſum erat, ageretur, capit candela ſine admixtione olei redundare. Nam cuſtos ille, tantum externè ignem apponebat, non enim opus erat eidem oleum inferre, quoniam ſine olei adminiſtratione candela vndique in pauimentum fluebat.* Hoc oleo inuncta mulier, cuius membra obriguerant, flexilis reddita eſt. Et altera, quæ lumen amiſerat, recuperauit.

Adiungendum, quod eadem Acta habent, à religioſo quodam Diacono, qui ſacrorum lipſanorum cuſtos extiterat, acceptum. Tu illud ibidem habes propè finem.

Tandem concludunt Acta. *Quis comprehendere, vel exponere, vel ſcribere poteſt, quanta per eum Deus operatus eſt? Ad Beatiſſimum Martyrem, nullus infirmorum, ſi pura fide acceſſerit, immunis recedet.*

## *Tutela Patriæ aduerſus hoſtes, & Peſtilitatem, Sect. XIX.*

FIdem ſuam obligaſſe D. Ianuarium pro Patriæ liberatione, oſtendit Reſponſorium illud antiqui Officij D. Ianuarij: cui ſimillimum eſt aliud ex Victorino Codice: vti cum de Sancti Patria ageremus diximus Sect. 3. §. 9. *Beati Ianuarij velo contra ignem poſito, ignis extinctus eſt. Vt oſtenderet, ſicut promiſerat, Patriæ liberationem.* Quæ poſtrema verba, de quacunque liberatione accipienda ſunt, quamquam de ſola ignis calamitate tunc fuerint executioni mandata. Id autem officij fortiter, ac ſtrenuè illum egiſſe, vna cum Agrippino Neapolitano Epiſcopo (hi enim tantummodo antiquitus erant ciuitatis Patroni) Auctor miraculorum Sancti Agrippini teſtatur. Siue enim Ioannes Diaconus eius libelli Auctor fuerit, ſiue quiſ-

quis

quis alius,certè pauca illa,& inculta,quæ nobis reliquit,ab antiquis,& legitimis Actis ſe fuiſſe mutuatum;apertè teſtatur ijs verbis. *Sicut & publica monumenta teſtantur*. Ac item. *Intentis auribus,& ſincero corde,vos audire neceſſe eſt,& fidem dictis adhibere.* Ac tandem. *Neque me,niſi explorata arbitremini poſuiſſe.*

Circa annum Domini 776. cum Longobardorum exercitus Vrbem obſidione vexaret,reſque in arduo verſaretur,viſi fuere ij Diui,hoſte propulſato,ciuitatem obſidione liberare.

Ad hæc, celebris fuit amborum apparitio ſub Ioãne XII anno Chriſti circiter 961 Sarracenis ex Africa Neapolim excurſis. Quando Neapolitani conſilij inopes,ipſorum opem deprecabundi implorarunt. Ad littoralem namque oram penè appulerant Barbari:cum diluculante die, orta repentè tempeſtate,ac nauigijs inuicem ſe collidentibus,fugam maturare coacti ſunt,ne in noſtrorum caderent manus:ſicque libertati reſtituta ciuitas fuit. Lege Chronicon Villani lib.1.cap.55.

Celeberrima autem fuir illa ciuitatis defenſio,quæ contigit ſub Gregorio VII.P.M.anno 1077.contra Richardum Principem Capuæ,Roberti Guiſcardi fratrem.Eam Leo Oſtienſis lib.3.Chron.Caſſinenſ.cap.44. narrat his verbis. Neapolitani Principis,Richardi, *terrore perculſi,Omnipotentem Deum rogabant attentius,quatenus de ſupradicti Principis poteſtate eos eripere dignaretur. Cumque eadem ciuitas acerrimè expugnaretur,Sanctus Chriſti Martyr Ianuarius,cum alijs dealbatis ſæpius videbantur à Principe,& eius exercitu per Caſtra armati diſcurrere.Qui æſtimans eum eſſe Archiepiſcopum*, Ex Neapolitanorum Epiſcoporum catalogo,Ioannes huic nomen erat. *Mandat cur contra ordinem ſ[illegible] lancea ſcutatus ad pugnam accederet? Cui reſpondens Archiepiſcopus, Ego,vt ta[illegible]r illuſtriſſime perſpicis,in lectulo iaceo,ille armatus, quis ſit ipſe videas. Nam pro certo ſcias,quia Sanctus Ianuarius protegit, ac defendit hanc ciuitatem. Princeps verò eius dicti derogans fidem,ciuitatem oppugnare non deſinebat. In qua obſeſſione ab excommunicatione ſolutus, & defunctus eſt.*

Quodſi nemo pernicioſior hoſtis eſt cenſendus,quàm qui proditionem molitur,contra hunc etiam protectionis ſuæ tutamẽ inclytus Chriſti Martyr oſtendit. Cum enim quidam nomine tantum Albinus, cætera teterrimus,nefario agitatus ſpiritu Vrbem noſtram Longobardis, qui eam obſederant,tradere ſtatuiſſet, iam ad illos pergebat ſceleri patrando temporis momenta præſcripturus.Sed Ianuarium habuit obuium,vultu minaci,verbiſque acerrimis,illum à pretenſo ſcelere reuocantem. Quo ille viſo conterritus,& excors,velutque in amentiam dilapſus,atque gradiendi impos, Neapolitanis militibus,qui ad rei nouitatem indagãdam,eum circumſepſerant, meditatum facinus, vimque Ianuarij omnipotentem, fateri non ceſſabat, & admirari.

Aduerſus verò peſtilitatem,Ianuarij tutela ex voto comprobatur [illegible] extincta lue anni 1528.à Neapolitanis facto,de quo infra cum de Templis. Sed ex antiqua etiam eius inuocatione pro Romana peſtilitate ablegata, in Litanijs Sancti Gregorij Papæ,apud VVion. tom. 1.Ligni vitæ fol.622. poſſet quis id aſtruere, in quibus Sanctus Ianuarins innocatur cum Socijs ſuis.Sed ſuſpicor Iannarium Tiburtinum illic inuocari,primum inter Sanctæ Felicitatis filios, Vide,quæ de ſacris Ædibus Ianuarij. Sect.22.dicturus ſum.

Tutela

## *Tutela aduerſus Veſuuij eruptiones.* *Sect. XX.*

CAlamitatum Ilias qua anno trigeſimoprimo labentis ſæculi ſextidecimi obruti ſumus, ob immanes Veſuuij eruptiones, vndè terræmotus, pluuiæ cinerum, & lapidum, ignei torrentes, & aquarum inundationes, ex quibus tota penè tellus vaſtata eſt, & tria ferè millia hominum abſorta fuerunt, multorum iam calamis ante noſtros, & poſterorum oculos poſita eſt: quibus curæ quoque fuit, & vetera numerare incendia, & illa cum poſtremo iſto componere. Mihi, qui non Veſuuij cladem, ſed Ianuarij hiſtoriam ſcribo, perennis tantum eius in Veſuuianis iſtis incendijs tutela, & in nupero iſto præcipuè, admiranda eſt.

Eam quidem dilucidè celebrat, Auctor ille Homiliæ, ſeu Concionis, in eius feſto ad populũ habitæ, quam infra dabimus integram. Cuius hæc ſunt extrema verba. *Ita Beato Ianuario Martyre intercedente, Veſuuij Montis ignita irruptio extincta eſt: cuius facti miraculi, omnium creatori gratiarum actionem retulerunt.*

Oppoſitione veli Beati Ianuarij extinctum quandoque fuiſſe ignem, probat Reſponſorium illud ex Officio Monialium Sancti Victorini Beneuentanæ ciuitatis, millies à nobis allatum, quod eſt huiuſmodi. *Beati Ianuarij velo contra ignem poſito, ignis extinctus eſt. Vt oſtenderet ſicut promiſerat, Patriæ liberationem.*

Adhæc, Hymni olim in eius celebritate cantari ſoliti, manifeſtè id euincunt. Alter eorum incipiens, *Paſtor inſignis*, Strophe 4. ſic habet.

> *Inde virtutum radijs refulgens,*
> *Hinc Triumphator cumulos volantes*
> *Ignis extinxit: Patriam gubernans,*
> *Scilicet iſtam.*

Alter verò, qui incipit, *Adeſt dies lætitiæ*, Stroph. vltima canit hoc modo.

> *Flammam Mons Veſuuij*
> *Spargebat vis incendij,*
> *Sed in terroris medio*
> *Sanctus adeſt præſidio.*

Bernardinus quoque ille Siculus, in rudi illo ſuo carmine id atteſtatur. Cuius ego ſenſa, meis verbis exprimere conabor. *Cum nube cinerea cœlum eſſet tenebricoſum: & horridum, tota verò terræ ſuperficies, & ipſa* Neapolis *repleta, & operta eſſet cineribus, & ignitis carbonibus, æſtuante ob id vehementius aere, & miſeram mortalibus necem inferente: Ordo, Populuſque* Neapolitanus, *vna cum Clero, religioſiſque viris innumeris, adeunt Sancti Ianuarij Baſilicam: ibique cum maximo fletu omnium, & fœmineo vlulatu fundunt aſſiduas preces, & Sanctum Patronum, vt pro clientibus apud Deum in tanta omnium clade interueniat, cum fide ſollicitant. Quid plura? Statim exauditi ſunt.* Nam *è Baſilica reuertentes, cœlum ſerenum, aerem tranquillum, eruptionem cinerum iam repreſſam, læti aſpiciunt, & diuina potentia admirandam, atque laudandam benignitatem deprædicant.*

Baronius etiam idipſum conteſtatur, Notis ad diem XIX. Septembris. Sed præſtat omnibus Romani Breuiarij teſtimonium, quod eſt huiuſmodi. *Illud in primis memorandum, quod erumpentes olim è Monte Veſuuio flammarum globos,*

*globos, nec vicinis modo, ſed longinquis etiam regionibus vaſtitatis metum afferentes, extinxit.* In perpetua itaque Protectoris experientia, nullus dubitationi patet locus. Imò indè factum reor, vt Antiſtites noſtri in reſtincti pluries à Ianuario ignis memoriam, ſtatam illi ſolemnitatem conſtituerint, anno 1440, eadem ipſa die decima ſexta Decembris, in quam incidit poſtrema hæc conflagratio.

Quis autem tam obdurato erit corde, tãq; cæcutiẽti oculo, qui neget in nupero iſto, quo cuncti cohorruimus incendio, propitium nobis redditum Numen iratum, poſt Deiparæ patrocinium, potenti Ianuarij noſtri interceſſione? Certè cum viuificus eius ſanguis, minitabundus Veſuuio extra Ciuitatis portam obijceretur, ignea nubes in Vrbis excidium imminẽs, deflexa ad mare via maturauit fugam. Interceſſione tantum? imò & viſibili aſpectu. Cõnferta enim hominum multitudo, teſtimonium prebet, parata ſub ſacramenti quoque adiuratione id fateri. Quòd ſcilicet, cum è Principe Templo ſolemni pompa progrederetur viuificus ille Ianuarij ſanguis, oblata tunc fuit Præſulis imago, Ianuarium repreſentans infulatum, protenſaque manu populo benedicentẽ è Templi vitrea feneſtra, ſole, qui nubilus fuerat, eo tempore inclareſcente. Et multa quidem alia de Sancti Martyris præſidio poſſem afferre. Sed hæc ſint ſatis ſeruãdæ beneficiorum eius memoriæ, qui ſanguine ſuo Veſuuium exarmaſſe dicendus eſt.

## *Patriæ ſuæ Neapolis patrocinium.*
## *Sect. XXI.*

QVàm fuerit antiqua conſuetudo aſciſcendi ſibi Deos, aut Heroes in Patronos, illud Apulei probat 3. Metamorph. *At tibi ciuitas omnis pro iſta gratia honores egregios obtulit, nam & Patronum ſcripſit, & vt in ære ſtet imago tua decreuit.* In quem locum Beroald. id, quod in Suetonij Octauio adnotarat, repetit. *Vnamquamque ciuitatem Patronos ſibi peculiares Romæ habuiſſe: & Bononienſes fuiſſe in clientela Antoniorum. Lacedæmonios in clientela Claudiorum. Fabium quoque Sangam, per quem Catilinæ coniuratio detecta fuit, Allobrogum fuiſſe Patronum. Et Siculos Patronos habuiſſe Marcellos, & Scipiones.* Priuatæ quoque perſonæ, aliquos ſibi in Patronos cooptabant, liberiſque ſuis. Vti ex antiquis Inſcriptionibus conſtat, apud Gruter. 362. 2. 363. 1. 456. 1. 470. 1. & alijs. Inciſa tabula patrocinij, ſeu cooptationis, quæ *Hoſpitalis* dicebatur, in domo Patroni collocabatur. Gruter. Inſcript. 456. 1. Patroni huiuſmodi *Patrij Dij*, dicti ſunt à Cicerone: & *Patricij*, ſeu, vt Suidas loquitur *πατέρες τῦ κοινῦ Patres communitatis*. Imperatores ipſi dicti ſunt aliquando *Patricij*. Sed id nomen in *Defenſoris* poſtea abijt, vti ex epiſtolis Caroli M. colligit Baronius anno 760. & ex eo Alemann. de Parietin. Lateranenſ. fol. mihi 95.

Chriſtiani verò Euãgelij luce illuminati, aboleto Gẽtium ritu, Deorum, & Heroum vice, Sanctos ſibi Patronos aſcripſerunt, eorũ apud Deum potentiam experti. Quod certè vnus pro omnibus Patribus Ambroſius conteſtatus eſt illis verbis, lib. 5. in Lucam. *Sanctos Diuini Numinis ſeruos, & interueniendi habere meritum, & ius etiam impetrandi. Adhibendos igitur eſſe eiuſmodi precatores, quorum contemplatione, quod nobis Dominus negare poſſet, ignoſcat.* Hoc attendentes Neapolitani ab ipſa Beati Martyris, & ciuis ſui cæde, Ia-

nuarium ſibi Patronum ſcripſerunt, vti ex Romano Breuiario colligimus,
*Horum*, nempè Ianuarij, & Sociorum, *Corpora, finitimæ Vrbes, pro ſuo quaque*
*ſtudio, certum ſibi Patronum ex ijs apud Deum adoptandi, ſepelienda curarunt*. Id-
ipſum idem Chriſti pugil promiſerat, vti ſæpius dictum eſt, ex decantato
illo Reſponſorio Officij Sancti Ianuarij in Eccleſia Beneuentana olim re-
citato. *Beato Ianuario ſuffragante montis flamma extincta eſt*. *Vt oſtenderet ſicuti*
*promiſerat Patriæ liberationem*. Et Mœnæa Græca omnes ſocios appellant,
*Vrbis Sanctæ* Cœlorum *ciues, & ipſos celebrantium acerrimos defenſores*.

Ianuarius itaque vti Patronus poſterioribus ſæculis, nēpè anno 1440.
in Conſtitutione Gaſparis Archiepiſcopi de formula Officij Sancti Ianua-
rij, his titnlis exornatur. *Glorioſiſſimus Antiſtes. Ciuium fauorabilis defenſor. Stel-*
*la matutina, inter Angelorum agmina irradians, Antiſtes gratioſiſſimus. Præclariſſi-*
*mus Præſul. Cæleſtis miles*. *Defenſor noſter* Ianuarius. *Primus noſter Patronus. Al-*
*mus Pontifex. Pater Ianuarius. Almus Protector ſplendidiſſimus Ianuarius*.

Iannario iunctus olim ſolus Agrippinus. Ijque ſoli in publicis cala-
mitatibus, tanqnam Vrbis Patroni inuocati leguntur. Perrus Diaconus
Caſſinenſis, ſiue quis alius, qui ſcripſit viram Sancti Athanaſij circa ann.
Domini 890. apertè ſignificat eo tempore duos tantum Patronos extitiſſe.
*Iam, & Beati illius Agrippini* Eccleſia *hactenus demonſtratur, qui quintus à ſupra-*
*dicto Aſpren Epiſcopus ordinatus eſt, quique Patronus, & defenſor eſt huius ciuitatis.*
*Beatiſſimumque Ianuarium* Chriſti *Martyrem, poſtea* Neapolites *meruerunt habere*
*tutorem*. Intellige, aliquo tunc protectionis ſigno poſtea demonſtrato, cum
alioqui conſter longè antea Iannarij patrocinium. *Quibus annitentibus, fauē-*
*tibuſque, præfata Vrbs, Deo fauente tuta remanſit, manebitque in æuum*. *Quaſi enim*
*duas firmiſſimas baſes duoque candelabra ſplendentia gloriatur ſe habere ſupradictos*
*Patres eadem ciuitas, duabus fulta alis, ideſt duorum* Sanctorum *confiſa precibus*. An-
no etiam 920. cum Saraceni ciuitatem inuaſuri eſſent, miſereque omnia
vaſtaturi, Neapolirani ad ſuos iam dictos Patronos confugientes, ab immi-
nenti inimicorum clade libetati ſunt. Vti in vita Sancti Agrippini habe-
tur: in qua inter alia ſic legitur. *Quare fatigamur? Quare amplius laboramus? Ad*
*antiquos confugiamus Patronos, ad amicos ſcilicet Domini noſtri Ieſu* Chriſti, *Ia-*
*nuarium, & Agrippinum: & illorum quæramus auxilium*. Et paulò poſt. *O magni*
*Patroni, ò* Chriſti *Regis amici*. Nunc *citius ſuccurrite, nunc quoque poſcite* Chriſtum.
In Bulla etiam Sergij Neapolirani Archiepiſcopi, edita anno 1183. legi-
tur. *Beati Ianuarij, & Agrippini, quorum Patrocinio communimur*. Idipſum vidē-
tur infinnare, & tantum non loqui vetuſtæ illæ picturæ, quæ in cœmeterio,
ſeu crypta Sancti Ianuarij extra mœnia viſūtur, Ianuarij ſcilicet, & Agrip-
pini. Obſeruaui etiam in vetuſto quodam Miſſali Codice, hodieque in
Bibliotheca Epiſcopij exiſtente, hos duos in Canone additos ex veteri li-
centia, vti antiqua monumenta ex Pamelij Liturgicis, fieri potuiſſe atteſ-
tantur: & ſcripſit Durantes lib. 2. cap. 49. num. 3. Si autem coniecturæ locus
dandus eſt, exiſtimo hos Diuos vice falſorum Numinum, Neapoli præci-
puè culrorum, electos eſſe in Patronos: & Ianuarinm loco Sūmani, Agrip-
pinum vice Herculis, aut Hebonis adſcriptos eſſe in Patronos. Hi quippe
Deaſtri, Neapoli præcipuè culti leguntur.

Hæc de Agrippini patrocinio. De alijs verò quinque (nā D. Thomas
Aquinas, & poſt eum Beatus noſter Andreas Auellinus, & quatnor alij,
noſtra ætate inter Tutelares Neapolis aſcripti ſunt) quando in Patronos
ſint adſciti, profectò non liquet. Id certius affirmari poterit, non anre du-

centos

centos annos id factum. Nam de ſeptenario patronorum numero, antiquior, quæ reperiri potuit mememoria, eſt ab anno 1423, in quodam inſtrumento, ſiue diplomate viſitationis Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Maioris, factæ ab Archiepiſcopo Nicolao: in quò numerantur Indulgentiæ à Summis Pontificibus conceſſæ ijs, qui dictam Eccleſiam in diebus ſeptem Patronorum feſtis adierint. In Conſtitutionibus autem Ioannis Archiepiſcopi Neapolitani anno 1333 editis, Conſtit. 55 & 56. habetur, eò tempore Eccleſiam Neapolitanam non celebraſſe niſi quatuor tantum Patronos, nempè Ianuarium, Aſprenum, Agrippinum, & Athanaſium, in quorum diebus natalitijs ſolebat Archiepiſcopus ſacrum ſolemne facere. De alijs autem tribus, nempè Seuero, Euphebio, & Agnello, nulla ibi fit mentio. In Chronico etiã Sedilis Montani à Rogerio Pappanſonio concinnato anno 1408, lego Aſpren Patronum Neapolis. De tribus item ſupradictis Diuis, in quadam alia Synodali Cõſtitutione, eiuſdem Archiepiſcopi, leguntur tãtum inter feſtos dies, in quibus ſeruilia prohibebantur, dies feſti Ianuarij, Aſpreni, Agrippini, Euphebij, Seueri, Athanaſij, Agnelli, & Reſtitutę. Conſtitutio eſt decimaquinta. Similiter inter vetuſta monumenta Eccleſiæ Sãcti Petri ad Aram, enumerantur indulgentiæ conceſſæ illam Eccleſiam adeuntibus in diebus feſtis Sancti Ianuarij, Aſpreni, Agrippini, Euphebij, Seueri, & Candidæ.

At modo ducentis ab hinc annis ſeptem Patronorum extat expreſsè memoria, apud Matthæum de Afflicto in Cõſtitutione Regni *Baiulus*. Rubr. de ferijs, & ſalarijs num. 7. vbi inter alia feſta, in quibus iudicia ſilent, adnumerantur ſeptem Patronorum feſti dies. Idemque habet deciſ. 244. Cui poſtea adhæſit diſertus vir Petrus Grauina Canonicus Neapolitanus in Officio ſeptem Patronorum, quod olim Eccleſia Neapolitana retinebat, ac typis impreſſum prodijt anno 1525.

Hæc de alijs Patronis dicta ſint, occaſione Patrocinij Diui Ianuarij, vtque aſſeratur Ianuarius præcipuus, ac primus protector. Quod etiam inde patebit. Nam in varijs Catalogis, Miſſalibus, Litanijs, Officijs, ac etiam Poematijs, cùm Patroni alij variè ſint collocati, vnus tamẽ Ianuarius, ſemper primo loco poſitus eſt. Hoc ipſum obſeruarũt pro Petri primatu Theologi ſacrarum controuerſiarum Scriptores. Libellus Litaniarum ſub Alphonſo Cardinali Geſualdo Archiepiſcopo editus anno 1599. ſic habet. *Ianuarius, Aſpren, Athanaſius, Seuerus, Agrippinus, Euphebius, Agnellus*. Codex M.S. Maſſarellianus ante centum annos exaratus habet hoc modo. *Ianuarius, Aſpren, Athanaſius, Agnellus, Agrippinus, Seuerus, Euphebius*. In libello Officiorum Sanctorum, ac Protectorum Neapolis, impreſſo anno 1525, in principio ſic legitur. *Ianuarius, Athanaſius, Agnellus, Aſpren, Agrippinus, Euphebius, Seuerus*. In fine verò, *Ianuarius, Athanaſius, Aſpren, Seuerus, Agrippinus, Agnellus, Euphebius*. Alexius in ſuis Poematijs pagina 31. ſic eos diſpoſuit. *Ianuarius, Agnellus, Euphremus, Agrippinus, Seuerus, Athanaſius, Aſpren*. Miſſalis liber typis editus anno 1497. *Ianuarius, Seuerus, Athanaſius, Aſpren, Agrippinus, Agnellus, Euphebius*. Vides ſemper primas Ianuario tributas: ob antiquitatem ſcilicet Patrocinij, & inſignia eius in Patriam ſuam beneficia.

## *Ædes ſacra, Deo in Ianuarij honorem erecta.* *Sect.* XXII.

EX ſacris præcipuè ædibus, Deo ſub Sanctorum inuocatione erectis, religioſior ipſorum cultus deprehenditur. Quid huiuſmodi pro Ianuario noſtro factum ſit, nunc erit narrandum. Ac primum. In Sulphuraria Puteolana, vbi ſanguinem ille ſuum fudit, ſacram ædiculam fuiſſe erectam, cunctis eſt conſpicuum. Hæc poſtea Patribus Cappucinis tradita fuit, atque in ampliorem formam laxata, pietate Neapolitanæ ciuitatis anno 1583. Nè, ſic legimus in ſuperpoſita Eccleſiæ Inſcriptione, *quod ſacri corporis ſanguine maduerat ſolum, ſine honore diutius remaneret.*

Olim præterea in ipſo Epiſcopio, ſiue Stephania, Cappellam adfuiſſe Sancti Ianuarij, aſſerit Ioannes Diaconus in Athanaſio Epiſcopo. Acta inſuper Tranſlationis SS. Iulianæ, & Maximi MM. clarè dicunt tranſlatum eſſe corpus Sancti Maximi ad Ædem Sancti Ianuarij, quæ certè alia non erat, niſi Epiſcopium, illo quidem tempore vetuſtum Templum, & anguſtum, poſtea verò nouum, & auguſtum.

Anno Chriſti trecenteſimo vigeſimo quinto, qui fuit vndecimus ferè à pace per Conſtantinum Magnum Eccleſiæ reddita, ſacra Ianuarij pignora è Marciano Campo Neapolim tranſlata, in Baſilica propè ciuitatē collocata ſunt. Quando ſcilicet, *Venerabiles Epiſcopi*, vt habent Acta, *cum omnibus ex genere Beatiſſimi Ianuarij, cum plebe Dei ſancta, cum hymnis, & laudibus, corpus eius tollentes, iuxta Neapolim tranſtulerunt, & poſuerunt in Baſilica, vbi nunc requieſcit.* Diuerſa fuit hæc Baſilica ab illa, quam nunc cernimus. Erat enim in crypta, ſeu cœmeterio illi adiuncta: vbi ad hunc vſque diem altare viſitur, & Epiſcopalis Seueri Epiſcopi ſedes. Recolenda ſunt hic, quæ ſupra diximus Sect. XIII. cum de prima Ianuarij cinerum tranſlatione ageremus. Auguſtior poſtea Eccleſia in honorē Sancti Ianuarij erecta fuit, & Monachis Sancti Benedicti tradita, ac poſtmodum hoſpitali etiam domo aucta, vt prolixè Capacius in hiſtoria Neapolitana, Engenius in Neapoli ſacra, ac Tutinus in vita Sancti Ianuarij narrant. Fuiſſe hanc Baſilicam dictam *Sancti Ianuarij ad corpus*, docent ijdem. Idque poteſt exemplo corroborari Eccleſiæ Sancti Sylueſtri in Campo Martio in Vrbe, quam dictam olim *Sancti Syluestri ad caput*, ob caput Præcurſoris Domini ibi aſſeruatum, teſtatur Martinus Polonus libello de quatuor Regnis apud Baron. 29. Auguſti. Cui addo Diploma quoddam Pauli Papæ IV. noſtri Ordinis, cum Beato Caietano Thieneo Conditoris. Addunt præfati Auctores, & nos quoque in ſupracitato loco adnotauimus, huc ſolitos accedere Neapolitanos adſtruendæ cum iuramento veritati. Sed quod ſubdunt, hæc eſſe Limina illa Beati Ianuarij, quæ ſe viſitaturos promittebant, qui eccleſiaſtica beneficia conſequebantur, non probo. Puto enim id de Eccleſia Cathedrali potius intelligendum, vti cæterarum matre. Addo tamen, Arechin Beneuentanorum Principem, deuotionis ergo, territorium Planuræ huic Eccleſię donaſſe, vti ex vita Stephani II. habetur, apud Ioannem Diaconum in Chronico.

De Eccleſia Sancti Ianuarij in *Diaconia*, ſiue ad *Diaconiam* Eccleſiæ Sancti Blaſij contigua, idem nunc cenſeo, quod cum de Conſtantini Ma-

gni

gni Neapolim aduentu,eiuſque ſacris ædificijs agerem,cenſui. Nimirum, nequaquam eam à Conſtantino Magno ædificatam fuiſſe, ſed ab Agnello trigeſimo tertio Neapolitano Epiſcopo. Vulgus tamen,illius ædificationem Conſtantino tribuere,ob conceptam de illius pietate, & magnificentia opinionem. Vndè factum eſt,vt quotieſcumque paulò antiquiorem Eccleſiam aliquam viderit,eius ædificatorem Conſtantinum dictitet. Vide, quæ infra citato loco dicturus ſum. Appellata eſt autem hæc Baſilica in *Diaconia* à Diaconijs: ſacris ſcilicet locis, in quibus Diaconi Regionarij, pauperibus, ac viduis ſtipem, & eleemoſynas diſtribuebant. De quibus mentio fit in Romano Martyrologio 8. Auguſti, vbi Baronius ex Gregorio Papa,& alijs. Capacius lib. 1. hiſtoriar. Neapolit. cap. 8. aſſerit ea voce in hũc ſenſum vſum etiam Æſchinem oration. in Cteſiphontem. Dicebantur etiam hæ Diaconiæ, *Ptochia*; vti ex Flodoardi teſtamento lib. 1. Hiſtor. Remenſ. Vnde *Ptochion* domus mendicorum.

Inter cætera verò pietatis opera, ab Agnello in hac Diaconia patrata,fuit,teſte Ioanne Diacono,elargitio mille ſiliquarum in Natiuitate Domini,totidemque in eius Reſurrectione. Siliquas nonnulli pro monetis accipiunt. Neſcio qua antiquorum auctoritate,cum ſiliqua potius ponderis, & minimi quidem,ſpecies fuerit,ſic Budæus de aſſe,& alij. Adde,in monetis ſemper materiam exprimi, puta argenti, aut æris: quod hic minimè ſcribitur. Potius dicendum, fuiſſe fructum arboris in cibum vſurpati,de quo Plin. lib. 15. cap. 24. & Horat. 2. ep. 1. *Viuit ſiliquis, & pane ſecundo*. Staniſlaus Grſepius de talẽto,& ſiclo fol. mihi 29. ait, hoc genus fructus apud ſuos appellari, *Panem Sancti Ioannis*.

Item, ſi diuinare liceat, quando euicimus Diuum Ianuarium ortu Neapolitanum fuiſſe,non erit improbabile Ianuariorum domicilia fuiſſe prope Prætorium,locum ſcilicet Vrbis nobiliorem, qui in vicinia Templi, nunc Diuo Laurentio dicati erat. Ac propius,potuiſſe eorum domus eſſe, vbi nunc eſt Eccleſia,de qua agimus *Sancti Ianuarij ad Diaconiam*. Probabile namque eſt, Agnellum Epiſcopum, ibi Diaconiam inſtituiſſe ad eleemoſynas erogandas,& in Martyris memoriam: Romana ſequentem veſtigia. Recepto enim Pontificum more, eę Diaconiæ *Martyria* dicebantur. Nimirum,quòd ibi fuerint Martyrum domus. Sic Diaconia Sanctæ Mariæ in Dominica in Monte Cælio,fuit domus Sancti Ianuarij: vt ex Actis conſtat. Quod fortè in alijs Diaconijs inueniri poterit, ſi quis attentius id perueſtiget. Obſeruauit hoc Panuinius, diligentiſſimus ille antiquitatis perquiſitor,& cultor,lib. de ſeptem Eccleſijs Vrbis. Ergo ſi Diaconia hic fuit,& per conſequens Martyrium,non eſt improbabile,hic fuiſſe Ianuarij Domum: cum Neapolis nullum habuerit olim Martyrem, cui eam Ædem excitaret, quæ ob id *Martyrium* dici poſſet. Hic ergo vbi conſanguineorum fortè erant domus,pietate Agnelli, Eccleſia erecta eſt,quæ *Diaconia* eſſet,atque adeo *Martyrium*. Adde,ex Baronio Notis ad 8. Maij,non fuiſſe erectas alicubi Sanctorum memorias, niſi vbi aliqua eſſent ipſorum martyriorum antiqua veſtigia. Vel vbi eorum reliquiæ eſſent: id præcipientibus regulis Eccleſiaſticis Concilij Africani can. 50. Porrò potuit Agnellus pietatem extendere etiam erga paternum Martyris ſolum, illud in Eccleſiam vertẽdo. Coniecturæ iſtæ ſunt. Fateor,& fortaſſe debiliores. Excuſa Tu,Lector,meum in Patriam adfectum.

Venio ad Metropolitanum Templum. Hoc à Carolo V. Andegauenſi

extruc-

extructum fuiſſe, multorum fuit opinio: atque Inſcriptio eius tumulo appoſita, *Carolo V. Andegauenſi, huius Templi extructori*, id manifeſtiſſimè docere videtur. Engenius tamen euincit à Carolo II. exædificatum, & ex eiuſdem Caroli verbis in ſcriptura quadam Regij Archiui anno 1298, Neapolitanorum pietatem dilaudantis, hiſce verbis. *Vniuerſitas ciuitatis noſtræ Neapolis, tanquam Deo reuerens, & deuota, diebus proximis, & laudabiliter in concordia ſtatuit in ſubſidium expẽſarum fabricæ maioris Neapolitanæ Matris Eccleſiæ, quam in honorem Beatæ Mariæ Virginis nos ipſi de nouo fundauimus, qualibet hebdomada per ſingula focularia, tàm corporis ciuitatis eiuſdem, quàm eius Caſalium vſque ad biennium, granum vnum, &c.* Nullus ergo de ædificatore ambigendi datus eſt locus. Hoc Templum anno ſalutis 1456, in menſe Nouembri terræmotu concidit. Sed Ferdinandi I. pietate reparatum eſt, adiuuantibus nobilibus aliquibus viris, quorum ſtemmata familiarum ad hunc vſque diem in paraſtatis viſuntur. Sic enim olim in ædificatione Templi Pacis, Veſpaſiani iuſſu factum fuit. Vt ex antiquo marmore in Ædibus Farneſianis collegit Aldus apud Baronium, ante annum Chriſti primum, in quo inſcriptæ leguntur ſingulæ Tribus, quæ in ædificationem Templi, vt iuſſum fuerat, pecuniam contulerunt. Porrò quamuis ſecundus hic Carolus dicat, Beatæ Virgini hanc Eccleſiam ſe dicaſſe, eam tamen & vocatam eſſe Beati Ianuarij Baſilicam, pluribus oſtendit Iulius Cæſar Mariconda, Epiſcopus poſtea Triuentinus, Oratione in ingreſſu Annibalis à Capua Archiepiſcopi Neapolitani. Facit ad id aſtruendum Diploma Clementis Papæ IV. quod incipit. *Ante thronum Diuinæ clementiæ*, aſſeruatum à Canonicis Cathedralis Eccleſiæ Neapolitanæ, vbi hæc leguntur. *Volentes igitur vt Beatus Ianuarius, apud Eccleſiam* Neapolis, *quæ in eius honore dicitur dedicata*, &c. Huiuſce Templi dignitatem, & ornatum prolixè deſcripſit Engenius. Nos, de duplici ſacello, Ianuario in hoc Templo erecto, verba faciemus.

Alterum horum, Oliuerianum dici poteſt. Ab Oliuerio nãque Caraſa S. R. E. Cardinali, Neapolitano Archiepiſcopo, atque Pauli Papæ IV. Auunculo, erectum fuit. Cœptum ædificium die 1. Octobris anno 1497. completum fuit anno 1508. vti Iulianus Paſſarus rerum ſuo tempore geſtarum diligentiſſimus Scriptor tradit in ſuis Annalibus. Vndecimus enim annus numeratus eſt, in perfecta eius extructione, profuſa quindecim millium aureorum pecunia ex proprio ære Cardinalis. Omnia ibi è Pario marmore: gradus, deſcenſus, ſolum, parietes, cœlum. Eius longitudo palmorum eſt quadraginta octo. Altitudo quindecim. Latitudo triginta ſex. Altaria minora decem. Columnæ cœlum ſuſtinentes decem. Statuæ Sanctorum ex eodem Pario marmore permultæ. In primis, Deiparæ puerulum Ieſum vlnis complectentis. Tum Sancti Petri, Sancti Pauli, quatuor Euangeliſtarum, quatuor Eccleſiæ Doctorum, ſeptem Vrbis Tutelarium, Dauid Goliæ caput deſectum geſtantis, & Iudith Holoferni truncato capite triumphantis. Inque ipſo duplici deſcenſu per binas æneas portas, ſuper quas doctiſſima Petri Grauinæ Canonici Neapolitani carmina leguntur, quatuor triumphales currus, Solis nempe, Lunæ, Mercurij, & Iouis. Fortè, vt fabuloſi iſti currus, inferiores habeantur vero illo triumphali Ianuarij, quãdo catenatus ipſe ante Timothei Præſidis rhedam Nola Puteolos pertractus fuit. Sculptore omnium Thoma de Maluito Comenſi, præcellenti ea tempeſtate artifice. Subtus Aram maximam in marmorea vrna condita ſunt Sancti Martyris oſſa & cineres. E cuius poſtica parte, Oliuerij ipſius

effigies

effigies habitu ſupplici ad viuum, & affabrè exculpta viſitur. Optauerat magnus iſte Præſul, Sanctorum Patronorum, aliorumque Diuorum lipſana in hiſce Altaribus collocare. Et Protopatroni quidem potuit ſub ara maxima, vt dixi: cæterorum verò nequaquam, morte votis ſuis refragata. Sub vno tamen ex minoribus altaribus, fama eſt, ipſum puelluli illius trimeſtris corpuſculum collocaſſe, qui egregium Sácto Maximo Leuitæ reddidit teſtimoniũ, in Dei .ſ. virtute tormenta ab illo tolerata eſſe, non ex magica aliqua potentia: vti in vita Sancti Maximi diximus cap. 19. ſect. 4.

Dicitur hoc ſacellum vulgari nomine *Subcorpus*. Refricanda eſt hic lectoris memoria, huiuſmodi ſubterranea ſacra ædificia, varia olim ſortita eſſe vocabula, celebris eſt nuncupatio *Confeſſionis*, de qua voce vide Baronium Notis ad VI. Iulij latiſſimè. Dictus etiam fuit eiuſmodi locus *Trophæum*, à Caio antiquo Theologo apud Euſebium, lib. 3. cap. 24. eodem Baronio teſte. Item *Sancta Sanctorum*, ab Anonymo Scriptore vitæ Sancti Antonini Abbatis Surrentini. *Oraculum* etiam ab Heremperti epitomatore in quatuor Chronologis à me luci datis fol. 83. *Aſtulphus Rex Longobardorum, ablata multa Sanctorum corpora ex Romanis finibus, Papiam detulit, conſtruxitque eorum Oracula*. Dictum etiam *Deſcenſum*, indicar Inſcriptio apud Gruter. MCLXXII. II. è chartis Palatinis. *Aſpice deſcenſum, cernes mirabile factum, Sanctorum monumenta vides patefacta ſepulcris*. Ἱερόθεσιον appellauere alij. Certè Chiflerius cap. 9. de linteis ſepulcralibus, agens de Christi ſudario Veſontino, tradit illud è veteri Ἱεροθήκῃ, quod Altari ſubiacebat maiori, ad amplius Sacellum fuiſſe tranſlatum. Sed quod *Subcorpus* dicta eſt hæc Olluceriana Cappella, in cauſa fuit, ipſa populi erga Ianuarium deuotio. Quaſi quòd corporis nomine, non aliud, quàm precioſum Ianuarij corpus, fuerit intelligendum.

Sed omnem prorſus excedit magnificẽtiam, extollitque ad ſummum Neapolitanorum in B. Patronum pietatem, auguſtum illud, non appellabo Sacellum, ſed Templum, nunc ipſi ære publico erectum, quod *Theſaurus* dicitur, & iure, cum futurus ſit conditorium precioſarum ciuitatis Tutelarium, atque adeo ipſius Protopatroni Reliquiarum. Viſitur hoc tempore ad læuam Metropolitanæ Eccleſiæ turrim, Theſauri Cappella à Ferdinando Duce Albano Prorege Neapolitano poſtea ornata in Sancti obſequium, ob ſibi collata beneficia. Qui & in Patriam deindè rediens, ibi quoque Eccleſiam huic Sancto Præſuli dicauit. Sed quid iſta ad nouum hunc Theſaurum? Occaſio eius ædificandi, peſtis fuit, quæ anno 1527. ciuitatem omnem populabatur. Eius ſæuitiam nonniſi Ianuarij potentia mitem reddendam arbitrati Neapolitani, voto concepto, in eius honorem Sacellum ſe extructuros promiſerunt. Impenſamque ſtatuerũt decem millium tantum aureorum. Vertente poſtea anno octauo huius ſæculi, prima eius ædificij fundamenta ritu ſacro iacta fuerunt. Fuitque tantæ molis Architectus, Franciſcus Grimaldus noſtri Ordinis Sacerdos, ob plura Romæ, Neapoli, & alibi à ſe conſtructa ædificia celeberrimus. Molis huius ichnographiam, duplicem tholum, columnas, ſtatuas, tum ex ære, tum ex marmore, ſculpturas, picturarum varietatem, & elegantiam, libenter his chartis infererem, ſi opus ipſud ex toto perfectum fuiſſet. Spero, quod mihi negatur, ab alio perficiendum, qui ſingillatim cuncta deſcribat. Id nunc tantum, & cum Præfectorum teſtimonio aſſerere poſſum. Hactenus, quando ſcilicet ad eius ornatum incumbitur, & varij adhuc artifices in eo ſudant,

ſupr

ſupra bis centum quadraginta aureorum millia in eo impenſa eſſe. Quod Neapolitanorum magnificentiæ, pioque in Sanctum ciuem, & Patronum obſequio tribuendum eſt.

Ad alias nunc eius Eccleſias conuertamur. In vicinia Autiniani collis, Ædiculam eſt videre, ipſi Sãcto Martyri dicatam. Incertum, an, quòd ibi primum ſanguinis è regione capitis appoſiti liquefactio ſit obſeruata, pia illa fœmina eius collectrice, eo loci ampullas adducente, aduenientique Epiſcopo caput Martyris geſtanti, occurrente. An verò, quòd Nola Puteolos delatus Ianuarius, ibi aliquantiſper quieuerit.

Erat olim hic Neapoli, extra portam huius Diui nomine honeſtatam, Ædicula ſacra, quæ Diui Ianuarij *Spolia mortis* nuncupabatur. Fortè quod ſpolia mortuorum, qui illac ad cœmeterium deferebantur, in vicino aliquo loco, venalia exponerentur. Nunc Diuæ Virgini Angelorum dicata eſt, & Confraternitati laicorum tradita. Sic Engenius.

Altera nunc viſitur Cappella ſub Sancti Ianuarij nomine, eodem teſte, in via, quæ ad caput Clivi ducit, ab Alphonſo Ianuario Patritio Neapolitano ipſi dicata anno 1550.

Poſt verò vltimam Veſuuij eruptionem anni 1631, Liberatori Ianuario Templum ædificatum eſt à Neapolitana ciuitate ad Veſuuij radices, ſub cultu Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum.

Romæ in ſuburbijs via Tiburtina, Templum in Diui Ianuarij honorem fuiſſe erectum, aſſerit Baronius Notis ad Martyrolog. die 19. Septembris: adducto D. Gregorij Papæ teſtimonio lib. 4. Dialog. cap. 26. Sed fallitur. Arbitror enim, illud Ianuario Subdiacono fuiſſe dicatum, qui cum Socijs ſepultus fuit in cœmeterio Prætextati: quo fortè alluſit Volater. dum lib. 6. Geograph. fol. 164. agens de cœmeterijs vrbis, *Pretextati*, ait *in via Appia apud Sanctum Ianuarium.* Vel Ianuario primo Sanctæ Felicitatis filio, non verò huic noſtro. Tum quod hic Ianuarius filius Sanctę Felicitatis, celebrior Romę eſſet, quàm hic Beneuentanus Epiſcopus. Tum quòd eo loci Sanctus Gregorius, Martyrem eum tantummodo appellat, nulla Epiſcopatus facta mentione. Adde, vel nunquam, vel rarò apud Gregorium, quòd ſciam, reperiri celebratum noſtrum Ianuarium, cum alioqui de Sanctis Neapolitanis aliàs meminerit. Vt in litteris ad Fortunatum Epiſcopum, aliosque Neapoli degentes. De filijs verò Sanctæ Felicitatis, atque adeo de Felicitate ipſa vtpote de Romanis Martyribus frequenter meminerit, & eorum celebret martyria, eorumque Acta, ſe fideliter, ac diligenter vidiſſe conteſtetur. Confirmat hanc meam ſententiam, antiquum Martyrologium M. S. ex antiquo Monaſterio Monialium Sanctæ Patriciæ, Ordinis Diui Benedicti, cuius exemplum habemus in noſtra Bibliotheca M. S. Sanctorum Apoſtolorum. In quo VI. Kal. Octobr. legitur. *Romæ via Tiburtina Paſſio Sancti Ianuarij Presbyteri*. Ergo non Epiſcopi, ſed Presbyteri Ianuarij memoria eo loci colitur. In illius ergo honorē, potius quàm alterius, cenſendum eſt, Eccleſiam illam fuiſſe dicatam.

*Feſti*

## *Feſti dies.*
## *Sect. XXIII.*

TRiplex feſtum in Diui Ianuarij honorem, videtur inſtitutum. Natalis, Tranſlationis, & Occurſus capitis cum ſanguine. Natalem diem Tabulæ Eccleſiaſticæ figunt ad XIII Kal. Octobris, ſic Romanum Martyrologium, & vetus à Baronio deſideratum Adonis, ac cætera cum typis expreſſa, cum MM. SS. Fuiſſe tamen aliquando Natalis ſui celebritatem tranſlatam in Maium menſem, Apoſtolicæ litteræ Clementis IV datæ Viterbij anno tertio Pontificatus eius, qui incidit in annum Domini milleſimum ducenteſimum ſexageſimum ſeptimum, manifeſtè conuincunt. Occaſio ex vindemialibus ferijs deſumpta fuit. *Volentes*, inquit Pontifex, *vt Beatus Ianuarius ad Eccleſiam Neapolis, quæ in ipſius honore dicitur dedicata, in eius maximè feſtiuitate fidelium laudibus ſolemniter extollatur, attendentes, quòd 13. Kal. Octobris quo ſolet huiuſmodi ſolemnitas celebrari, ſinguli vindemiarum occupati laboribus ab Eccleſiarum viſitationibus neceſſario retrahuntur, feſtiuitatem eandem, vt omnes liberius in eiuſdem Sancti gloria, iubilo deuotæ iucunditatis exultent 8 Idus Maij ſtatuimus, &c.* Extat Diploma hoc in Archiuo Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis Neapolitanæ. Zelus itaque Neapolitanorum, nè debita in Sanctum obſequia ceſſarent, ceſſante populi frequẽtia, in cauſa fuit tranſlationis huius. Tum maximè, quòd non Clericorum tantum, & Adminiſtrorum. Sed & Antiſtitum cætus ſoleret ea die Neapolitanam Eccleſiam adire. Vti Anonymus Auctor encomiaſticæ orationis, quam paulò poſt integram dabimus, diſertis verbis affirmat.

In Conſtitutionibus Synodalibus à Gaſpare de Diano Archiepiſcopo Neapolitano editis, ſtatutum fuit, vt ſingulis menſibus ſemel Officium de Sancto Ianuario ritu duplici celebraretur. Nempe XXIV Ianuarij, IV Februarij, II Martij, XXVII Aprilis, Prima Dominica menſis Maij de tranſlatione. Prima Iunij, XIV Iulij, XXIII Auguſti, XIX Septembris, de martyrio cum octaua, VI Octobris, VII Nouembris, & XVI Decembris, in qua funeſta die, deploranda illa conflagratio anni 1631 contigit.

De ſacrorum autem Ianuarij pignorum tranſlationibus locuti ſumus ſupra, Sect. XII, XIII, & XIV: quare aliud hic non addo. Niſi Beneuentanorum in ſuum Præſulem obſequium dilaudando: quandoquidem ad hunc vſque diem, feſtum celebrant tranſlationis, quæ per Siconem facta eſt ab Æde Seueriana, ſiue Sancti Ianuarij de foris, ad Beneuentanam ciuitatem, quæ contigiſſe dicitur die 23 Octobris. In Eccleſia etiam Neapolitana, ſub Decio Cardinale Caraſa Archiepiſcopo celebrabatur Officium ſecũdæ Tranſlationis ſacri corporis Sancti Ianuarij è Monaſterio Montis Virginis Neapolim, ritu duplici, eodem prorſus modo, ac in prima tranſlatione prima Dominica Maij recitabatur, exemplo veterum Martyrologiorum, habentium duas Inuentiones, & Tranſlationes Sancti Ioannis Baptiſtæ, ac duas item Tranſlationes Sancti Bartholomæi Apoſtoli, & Sancti Auguſtini Epiſcopi. Nunc ceſſauit eiuſmodi Officium, atque è Neapolitano Kalendario videtur expunctum.

Feſtiuitatem occurſus capitis cum pretioſo Martyris ſanguine, Archiepiſcopus olim pro ſuo libito, in qua volebat Eccleſia inſtituebat: vt

plurimum autem in Eccleſijs Sanctorum Apoſtolorum, Sancti Pauli, Sanctæ Mariæ Maioris, Sancti Ioannis Maioris, Sancti Andreæ ad Nidum, Sãctæ Mariæ in Coſmodin, & fortè alibi. Ad quam celebritatem non Clerici ſolum, ſed & Abbates, ac Epiſcopi Suffraganei conueniebant. Clerici, inquam caput redimiti roſeis corollis, vel ex alijs floribus intertextis, ſicuti olim factum fuerat in prima Trãſlatione ex Marciano campo Neapolim. Vnde fortè, aboleta coronandi caput conſuetudine, vſus manauit ad poſteros, præſentandi Archiepiſcopo, dum ei obedientia præſtatur, florum ramuſculum. Ea etiam die Archiepiſcopus, vel per ſe, vel per Suffraganeos ſuos, Confirmationis ſacramentum conferre ſolebat. Fiebat hæc ſolemnitas ipſo Maio menſe. Suſpicor autem olim celebratam fuiſſe ipſis Kalendis Maij, quibus prima vice tranſlatum fuit corpus à Beato Seuero, ad cuius inſtar feſtiuitatis, decens erat, & iſtam celebrari. Poſtea verò, vt celebrior eſſet ſolemnitas, tranſlatam fuiſſe à Kalendis ſtatis, ad mobilem diem primæ Dominicę.

Sed anno 1527. quo Populi Neapolitani Tribunus erat egregius vir Hieronymus Peregrinus, anguſta illa Eccleſiarum ſpatia dilatata fuerunt. Rogauit enim, vt in ampla Populari Platea, miraculoſus ille congreſſus fieret: & facilè obtinuit. Ipſumque poſtea imitati Nobiles quinque Sedilium, Capuani primum, poſtea Montani, tum Nidi, Portus, ac Portæ nouæ, firmam, quæ vſque hodie viget, recurrentium in gyrum annorum celebritatem ſtatuerunt.

Hic eſt ille Hieronymus Peregrinus, cui Neapolitana ciuitas debet duorum Innocentium corpuſcula. Salutis enim noſtræ anno 1528. coactæ ab illo armatorum popularium turmæ, aduerſus Lautrechi vrbem obſidẽtis copias, adeò ſtrenuè, fortiterque prodierunt, vt in ipſa intima Ducis tẽtoria, vbi rerum ſacrarum adyta erant irruperint. Inde igitur iam dicta ſacra Innocentium Corpuſcula per Peregrinum ſublata ſunt: atque in Triumphi modum ab eo Neapolim illata, inque ſacro Deiparæ Annunciatæ Templo, ſumma cum religione repoſita. Cenſendus eſt Lautrechus Francorum Ducum morem ſequutus. Qui ad bella prodeuntes, Sanctorum reliquias ſecum ferre conſueuerunt, teſte Gregor. Turonenſ. Hiſtor. Francor. lib. 6. cap. 27. & Caroloman. in epiſt. data anno 742. lib. 5. Capitular. Francor. cap. 42. Vnde Durand. lib. 2. cap. 10. Cappellæ nomen vult deriuatum eſſe, à Cappa Sancti Martini, quam ſecum Reges ferre ſoliti erant, & in venerando aliquo loco ſemper collocare. Fuiſſe autem in Gallijs aliquod Innocentium Corpuſculum, à Sancto Gerardo Abbate Bromienſi in ſua Abbatia collocatum, teſtatur vetus Auctor vitæ Sãcti Gerardi cap. 11. apud Surium tom. 5.

## *Numi in eius honorem cuſi.*
## *Sect. XXIV.*

Illud in primis ſtatuendum, non admodum antiquum eſſe morem, Diuorum effigies in Nummis exprimere. Nam, nec Chriſtus ipſe in Numis expreſſus legitur ante tempora Ioannis Teimiſces Imperium qui vixit anno 970. Chriſtique vultum expreſſit cum his verbis *Ieſus Chriſtus Rex Regum*, vti tradit Bulengerus de Imperat. lib. 2. cap. 15. ex Glyca parte 4.

parte 4. Vnde, poſt ea tempora, cenſendi ſunt Diui numis effigiati. Vt merito laudatus ſit Paulus IV. Noſter ab Ant. Auguſtino, quod, vti ſpurium reieceerit oblatum ſibi numiſma, ceu antiquiſſimum, & circiter ipſa Petri tempora cuſum, qui eum piſcationi operam dantem repreſentabat.

Neapolitanus quidam ciuis, Ioſeph ſolo cognomine Fuſcus, ſed ob ſeruata venerandæ antiquitatis monumenta clariſſimus, æreos aliquot numos in Ianuarij honorem cuſos, apud ſe habere gloriatur, quos typis expreſſos videre eſt in Tutin. Vitæ Sancti Ianuarij cap. 9. Qui tamen auctoritate Capacij fultus, lib. 1. Hiſtor. Neapol. fol. 316, putat anno 660, eos eſſe cuſos. Sed Capacius id nunquam aſſeruit, ſed tantum, nummos, de quibus eo loci (in quibus tamen minimè Ianuarij vultus apparet) ad ea tempora referri poſſe, vt ſint Neapoli inuenti. Sed ſingillatim nummos iſtos repreſentemus.

Ianuarij vultus in vno exprimitur. Et ex aduerſa facie, viuificæ Crucis ſignum, ſuper triplicem gradum erectum, inter binas haſce litteras S. C. ſignificantes, ſi Tutino credimus, *Sancta Trinitas*. Vel, interpretè me, cum nihil ibi videatur, quod ad Sacroſanctam Triadem referri poſſit, *Salutis Trophæum*, appoſite ad victoriam Crucis.

Habet alter, Ianuarij effigiem. Et parte altera, Ciuitatis Neapolis nomen græcis characteribus exculptum.

Sergius Neapolitanus Dux, ac fortè ille, qui Athanaſij Epiſcopi pater fuit, honoris ergo, monetam cudit circiter annum Domini 837. cum Ianuarij, & ſuimet effigie. Hic Ianuarius mento abraſus inſpicitur. Non quidem quòd Anicetus Pontifex id ſanxerit. Non enim ex Aniceti decretis hoc elicitur. Sed quòd olim, etiam Ianuarij tempore, ciues Romani, à quibus Ianuarius genus ſuum ducebat, non colerent barbam. Vt indicant hodieque ſigilla eorum, & ſtatuæ. Scio non ab omnibus hunc morem ſeruatum. Et Hadrianum barbitio vſum, ad morem Germanorum conſpici cupidum. Itemque, Septimum Seuerum, alioſque quos nummi repreſentãt. At, vt plurimum, ijs & ſequentibus temporibus, viguit vſus non alẽdi barbitium, idque per multa ſæcula. Quanquam illud verius ſit, varium in ea re fuiſſe morem, etiam apud eiuſdem Prouinciæ gentes. Fortè etiam probabilitate non caret, Ianuarij barbam, ſi eam ipſe alebat, à lictore, ſeu carnifice fuiſſe abraſam. Lego enim in Prochoro (ſi verus & non Pſeudoprochorus eſt) Ioannem Apoſtolum, Domitiani iuſſu, & fortè cum in feruentis olei dolium miſſus fuit, capite abraſum. Vti & ad ludibrium cum Apollonio Thianæo faciendum iuſſerat, teſte Philoſtrato lib. 2. cap. 14. de Vita Apollon. Sed de hac Clericorum raſitatione, ac tonſura, fusè Baronius anno Chriſti quinquageſimo octauo. Quod item, togam, & altero tãtùm humero pendulam ſtolam hic videas, ad Græcorum eſt morem, quem & græcanicas vrbes, vti Neapolim, & Exarchatus ſedem Rauennam ſeruaſſe, indicat hic nummus, & Tabula muſiuo expreſſa apud Rauennam: vbi Epiſcopus ſimiliter cum toga, & ſtola, alijſque miniſtris munera deferentibus inſpicitur, apud Alcman. Notis ad Arrian. de Arcana hiſtor. fol. 77. In eo autem, quòd Sergius Ducali habitu indutus, globum ſiniſtra teneat, malim ad Imperatorem referri, cui tunc vel ſubdita, vel deuota erat Neapolis, quàm ad propriæ libertatis ſignificationem. Tale enim dominationis ſignum, nunquam Dynaſtæ aliqui, licet potentiſſimi, vtpote Imperatoris proprium toti Orbi dominantis, nonniſi per vſurpationem aſſumpſerunt.

In Ducibus Beneuentanis id obſeruare eſt, ſubditis alioqui Impp. Si tamen proprius erat globus, fortè dignitatis alicuius erat ſignum in Imperiali Aula, & Dominio, ſicut hodieq; Globi geſtatio ante Cęſarem, ad Palatinum Rheni ſpectat, vnum ex VII. Principibus Electoribus.

Ab Athanaſio iuniore Epiſcopo, & Duce Neapolis, alter videtur cuſus nummus, circa annum Domini 887. habens Sancti Martyris effigiem, nec non & ſuam cum Epiſcopalibus infulis, & ornamentis.

Aureus eſt alter nummus. Quonam autem tempore ſit effigiatus, incertum. Hic Ianuarij vultus exprimitur, & ex aduerſo ciuitatis Neapolis nomen Græcis litteris inſculptum.

Et hic tandem alter, Agnelli Epiſcopi tempore creditur exculptus, in immani illa Veſuuij eruptione, quam cum crederet pijſſimus Epiſcopus Ianuarij potentiſſimis apud Deum precibus fuiſſe repreſſam, in eius honorem, ceu Patriæ liberatorem hoc numiſma cudendum curauit, in quo ex aduerſa eius facie legitur Λυτρώτῃ της πόλεως ἀπὸ τοῦ πυρός. Hoc eſt, *Liberatori Patriæ ab igne*. Sed ſi quis negaret Agnelli tempore Veſuuium conflagraſſe, alterum huius nummi auctorem cogetur oſtendere.

## *Anonymi, ſed antiqui Auctoris Oratio Encomiaſtica in eius laudem.*

## *Sect.* XXV.

MAgnus ille Baronius Notis ad XIX. Septembris, gloriabatur habere Acta Martyrij S. Ianuarij, & Sociorum apud Surium nō extantia, quorum exordium eſt. *Temporibus Diocletiani Imperatoris*. Necnon & Homeliam in eius feſto die habitam, incipientem, *Operante diuina miſericordia*. Habemus eadem & nos, in noſtra Bibliotheca. Et Acta quidem puriora: vtpote ex quatuor Codicū collatione. Quæ tamen ſuperfluum duximus integra edere, cum Lectorum ſcilicet faſtidio ob eorum repetitionem, quę ſparſim ac ſeiunctim, multoties in hac Hiſtoria ſunt narrata. Concionem autem, ſeu Homeliam edimus integram. Addito, quod ſæpius monuimus, illam in frequenti Antiſtitum cœtu dictam. Et antequam à Sicone Principe, Sanctum Martyris corpus, Beneuentum aſportaretur. Hoc eſt. Ante octingenteſimum Chriſti Domini annum.

*Operante diuina miſericordia, redijt communibus votis optata ſolemnitas, & dies annua feſtiuitatis effulſit, natalem nobis Beatiſſimi Ianuarij Martyris referens: quem, & veſtra frequentia venerabilis cœtus accumulat, & Sanctorum Miniſtrorū, atque Antiſtitum Dei conuentus exornat. Gaudere etenim oportet, & exultare in Domino Deo noſtro, qui fecit in bonis deſiderium noſtrum, & fauore diuino pia vota confirmat. Dum de virtutibus Beati Martyris Ianuarij pauca de pluribus, quæ Dominus Deus per eum fecerit, pia deuotione referamus. Temporibus enim, quibus omnipotens Deus mortalium eſt iratus ſceleribus, & ad crudelitatis vltionem Mons Veſuuius vaſto tremore concuſſus igneis exundaret globis: & circumquaque fluentibus, vrbes, calidis cineribus peruaſtaſſet, & prægrauata corruerent. Vix tandem Neapolim in eiuſdem Montis conflagrantis ſitam radicibus, precibus effuſis populi cum lacrymis citra opem humanā ad cœlum tendere manus, ſed ſuper his etiam nec cœlum videbatur. Procumbebantque in vnum ardentem extremo ſolatio. Cum rerum natura periret, ad ſolitum Beati Ianuarij Martyris concurrunt cubiculum. Igitur cum lacry-*

*mas*

*mas iuges, & gemitus, perpetes ad Deum preces, nulla abſq; formidine hora, & nullius ad requiem ſomnus dabatur, quod dies cladem demonſtrabat.* Nox *verò metum iugiter augebat, lamentationes quippè omnia tecta, antraq; B. Ianuarij Martyris tàm virorum raucis vocibus, quàm fœminarum claris eiulatibus perſonabant. Alij verò mũdo puluere deturbato, iniquam vitæ ſortem querulis clamoribus concrepabant. Alij autem genas ſuas vnguibus lacerantes proprios reſcindebant dolores. Dum alienas lugerent vrbes, pleriq; ereptis manibus per plateas, repetitis orabant vocibus, deprecantes, dare veniam peccatis, vt poſſent meritò* Dei *laudare virtutem, & ſicut ſcriptum eſt,* Clamauerunt ad Dominum, cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos. *Ita Beato* Ianuario Martyre *intercedente, Veſuuij Montis ignita irruptio extincta eſt. Cuius facti miraculi, omnium* Creatori, *gratiarum actionem retulerunt.*

*Et cum hæc diuinæ virtutis inſignia, honeſtis rumoribus crebris cernerent, &* Dei *tantæ poteſtatis glorioſiſſima fama per animos vrbium longinquarum perſuaderet, & ad Baſilicam, in qua nunc venerabile corpus Beatiſſimi Ianuarij Martyris requieſcit, ægrotantium, ſeu deprecantium pro diuerſis languoribus cupidè cum fide confluerent, contigit, vt inter eos vir quidam Sabinus nomine, Neapolitanæ vrbis primarius, genere & probitate conſpicuus, deſperatus à medicis, à pueris impexus, detecta ceruice preces fundebat cum lacrymis, ſe ab Inferni portis reuocari. Et illicò pietatis nutu ſtupentibus cunctis, miſeratione Ianuarij* Martyris *ſublectatus, medelam quam flagitauit, emeruit.*

*Necnon & Marcus quidam nomine in eadem vrbe degens,* Syrius *genere, iam grauis, ſic debilis corpore, & ita pigra membrorum fragilitate torpebat, vt ambulandi ei copia denegata, quaſi viuum funus, præter ſpiritum penè totus exanimis. Huius quidem propinqui, non tàm ad ſanandum, quàm ad ſepeliendum in* Eccleſia Beati Martyris *Ianuarij inferre nitebantur. Quæ ex circumſtantium populoſitas, cùm à ſuis vetaretur ingredi non permiſit, & infra parietes, & ante fores copioſa multitudo certaminibus pullulabat: & dum vellet alter alterius ſanitatem videre, ſanandis vetabatur introitus. Vnde non prius introiuit, quàm medelam recepit.* Fides *enim ipſius, intercedente Beatô Ianuario Martyre, deceſsis omnium eius protinus imbecillitatum, & moleſtiarum ponderibus, ſoſpitatem meruit; ſubleuatuſq; ad priſtinæ ſanitatis peruenit officia.* Regis *etenim magnalia tàm ſuorum, quàm plurimorum auribus longè, lateque denuncians.*

*Nã, & Gregorius Tribunus quidã militũ, qui Capuanæ vrbi præerat, vir inſignis, ſed ita lethiferis cõfectus lãguoribus, vt nulla ei euadẽdi ſperaretur facultas. Sed diuinis incitatus virtutibus, ad cubiculũ ingreſſus B. Ianuarij Martyris, protinus perfectæ ſanitatis incolumitate vegetatus, alacer ad prædictã, vnde venerat, remeauit vrbẽ.*

*Alio rurſus tẽpore cũ Orientales multarũ vrbiũ populi, cernerent Omnipotentis Domini virtutẽ mirificã, virtutibus per merita Beatiſsimi Ianuarij Martyris triũphare, omni cõtempto negotio, ſubmiſsis capitibus, reſonantibus hymnis, rogabant medelã ſibi eius oratione præſtari. Quin etiã ægrotantiũ tabida corpora, vegeti fide, eiuſdem Martyris oleo perungentes, ſtatim miſericordia eius fructu potiebãtur. Modò cæcatis lumen, modò debilitatis greſſum, curſumque donabat. Nunc ſpiritus fugabat immundos, nunc lethales plagas, nunc acerbitates morborum, ſuis meritis ab humanis corporibus propulſabat.*

*Nam & in eadem vrbe Neapolitana, quidã Florentius vir nobiliſsimus primi generis exortus, iuxta animi virtutẽ laudabilis omnibus, quantũ ad ſæculũ pertinet quidẽ primis fuerat honoribus in Romana Repub. ſuffultus. Eruditione quoq; liberalium litterarũ & omnibus quæ ad animi virtutem pertinent, exercitijs apprimè eruditus. Nouiſſimè verò hanc, quæ prior omniũ eſt, ſecundũ Deũ, ita ſanctã religionem ſuſcepit,*

vt li-

vt limina cuncta Sanctorum Martyrum Chriſti precibus exoraret, ſicut & ante facere conſueuerat. Cum ergo vrbanam ſibi peteret adminiſtrationem, & non poſſet bene dignationem per auri precium attingere, tandem ad ſepulchrum pergens Beati Martyris Ianuarij, fideliter preces effundebat, dicens. Deus omnipotens adiuua me, & miſerere mei, & Sancti tui Ianuarij prece, meritorum eius me veſtigijs admitti facias. Te quoque Beatiſſime Ianuari Martyr ſuppliciter exoro, vt prætoriam promotionem, quam auro non quiui attingere, merear te deprecante velocius obtinere. His autem, atque huiuſmodi verbis, tribus voluentibus Sabbathis, oranti mediæ noctis tempore, apparuit quidam effigiem Sancti præferens Ianuarij, luce micans ſuper Solis ſplendorem, & angelico fulgens habitu, gemmiſque radians, qui videbatur prætenſa manu apprehendere prædictum virum, & in ſedem quandam auro, gemmiſque diſtinctam eum ſuperponere. Et cum de ſomno ſuo haſitaret, & interrogaret, quid velit eſſe, expleta oratione ſolita, iuxta conſuetudinem ad vicinum fundum, cui Parzimis nomen eſt, diuertit. Moxque duo Cancellarij Patriciorum, Eui videlicet, & Sigiſuuldi ſpumantibus equis ſuperueniunt: ſtatimque eius mens honoris præſaga, cur adueniſſent, intellexit: moxque complexi ſunt eum, & oſculati. Cumque vno, atque altero horæ ſpatio, quaſi obſtupefacti inuicem ſe honorificantes deambularent, proferunt ei ſacros apices. Ecce, inquiunt, quod tibi minimè flagitanti, Domini noſtri gratuito deſtinauerũt. Quæ cum magno ſuſcipiens gaudio Beati Martyris Ianuarij oracula recognouit, memorque illius beneficij, altare eius precioſis exornauit marmoribus; in quo & vultum ipſius exprimẽs ſcripſit. Liberatori Sãcto, eo quod eius crebrius opitulator fuerit. Eius quoque altare vallauit cancellis cum oſtijs argenteis fabrefactis, Deo, & Beato Ianuario gratias referens.

Puerulus quidam Clericus Clemens nomine, nimio lãguore correptus, vi febrium laborabat: ſeptem admodum tranſactis diebus, abſque cibo & potu, clauſis luminibus, medicis deſperantibus, mutus, atque immobilis manſit. Cumque ſuper eum à Clericis, & vicinis, nocte pſalmi dicerentur, vt terris reddita die ſepeliretur. Creſcens quidam, & Innocentius viri religioſi, vt plerumq; ſolet accidere, ex mœſtitia inter pſallentes ſtupore oppreſſi, vident ambo Beatiſſimum Martyrem Ianuarium ſtola prætextum niuea, angelo ſimile corpus, viſitantem. Quem extimantes medicum, quaſi ternos ei aureos offerunt. Quibus ille. Ego ſum, ait, Ianuarius, qui meum pro Chriſto fudi ſanguinem. Nunquid non, poteram mundi poſſidere diuitias? vel naturam lapidum in materiam fulgentis auri conuertere? Sed omiſſo terræ ornatu, virtute malui potiue, quàm auro fulgere. Moxque recedentibus tenebris, & clareſcente diluculo, cum de loco, in quo quieuerant, ſurrexiſſent, ad Beati Ianuarij Martyris currunt cubiculum. Nec dum quippe Creſcem medium iter viæ confecerat, ſecum iam Innocentius ſanctum puluerem ferens quem deſuper Martyris ſepulchro ſumpſerat, veniebat, quem, vt dixi puluerem ſacroſancto chriſmate conſperſum, ipſius intulit corpori. Tunc paulatim defunctus membris omnibus moueri, & laxatis in vſum cernendi cœpit palpitare luminibus. Nouum miraculum, ingens poteſtas, oculos, quòs clauſerat tenebra obitus, precibus Beati Martyris Ianuarij Dominus reſerauit ad lucem: legem naturæ reſcidit, vires mortis perfregit, animamque ſedibus tenebrarum mancipatam, quaſi ruptis tenebrarum compagibus, ad ſupernam vitam corporis reuocauit. Mirabilis ergo Deus in Sanctis ſuis, quotidiè enim operatur ſalutem in medio terræ. Et vt Iſaias ait. Et in Inſulis longè. Vnde & ipſe Saluator dicit: Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. Et rurſum: Sicut enim pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & filius, quos vult, viuificat. Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Qui ergo credunt Deo, credant Martyres ita vixiſſe, & ita feciſſe.

In inſula Inarime erat quædam ſanctiſſima vidua nomine Maxima, cuius fi-

lius

*lius præualeſcente morbo extinctus eſt. Quem religioſa mater pietatis dolore concuſſa, ſparſiſque per humeros crinibus extinctum natale votum, perditumque ſenectutis ſolatium, vlulatu fœmineo ad inuidiam mortis immaturæ plangebat. Necnon & vbera, quibus fruſtra periturum aluerat, ante conſpectum proferebat virorum: memor dolaris, pudoris oblita, & veſtibus dolore conſciſſis ſuum viscerum palmis lacerantibus clidebat. Cumque corpus iaceret exanime, atque à Clericis exequiæ pararentur, facta eſt linteaminum ad inuoluendum corpus tanta inopia (Galliarum quippe Gens cuncta vaſtauerat) vt de* Eccleſia *velum acciperent, quo corpus ipſum tegi potuiſſet. In quo cernens mulier Beatiſſimi Ianuarij Martyris effigiem, arreptum conſtringens manibus, oſcula picturæ libabat, plorans, clamans, & dicens. Per Regem Sanctorum te obſecro* Beatiſſime Martyr *Ianuari, vt meis anguſtijs ſolatiari digneris, atque te impetrante recipere poſſim filium, quia pro quo paſſus es, poteſt tibi in præſenti concedere quicquid ab eo poſtulaueris, qui quondam flexus miſeratione per Heliſeum, vnicum viduæ ſuſcitauit filium. Nec mora, amplexa velum, in quo erat effigies Beatiſſimi Ianuarij Martyris velocius texit filium, connectens picturæ faciem ad eius faciem, lumina ſuper lumina ponens, atque ori ora componens, palmis palmas, pedibuſque eius pedes ſuppoſuit. Audierat quoque in* Scripturis *ſanctis, quemadmodum, Beatus Heliſæus vnicum mulieris Sunamitidis ſuſcitauerat filium. Et iterum, quia quem tangebat vmbra* Sanctorũ, *viuificabatur. Quæ enim aures tàm duræ, quæ de ſilice ſciſſa præcordia poſſunt hæc ſine lacrymis audire. Sed hanc audiuit miſericors prouiſor cunctorum talia clamitantem, & aſſiduis fletibus lamentantem, & mox alieni doloris extitit particeps, atq; vt genetrici luctum auferret,* Beato Ianuario *ſupplicante, vitam filio reparauit, & inde ſub effigie Martyris apertis oculis ſanus ſurrexit. O magna eſt ergo Martyrum gloria, ingens, & illuſtris corona. Mirantur illos* Angeli, *mirantur illos omnes ſupernæ poteſtates. Diligit illos* Chriſtus, *honorificat* Deus Pater, *illuſtrat* Spiritus Sã*ctus. His omnis theſaurus diuinæ Maieſtatis aperitur. His nihil honoris, dignitatiſq; ſubducitur. Hi ſunt* Chriſti Confeſſores, *hi ſunt participes, & cohæredes* Chriſti, *hos habet in omnibus comites, hos in omni charitate conſortes. Horum laudes, atq; virtutes ſemper recolere, ſemper debemus ore proferre. Meritò Spiritus Sanctus dicit.* Precioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius. *Et iterum,* Dominus cuſtodit omnia oſſa eorum, vnum ex eis non conteretur. *Identidem,* Sanctis, qui ſunt in terra eius mirificauit omnes voluntates ſuas in eis: *voluntates quippè eorum, qui in memorijs Sanctorum Deum deprecantur, per manum Angeli in Cælo ad altare, quod eſt ante thronum Omnipotentis perferuntur. Verùm ne hæc noſtro adſtructa videantur ingenio, idipſum exemplar confirmat, quod dicit Beatus Ioannes Apoſtolus.* Vidi, *ait,* ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Domini, & datæ illis sũt ſeptẽ tubæ. Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare, & data ſunt ei incẽſa multa, vt daret de orationibus Sanctorũ omniũ ſuper altare aureũ, quod eſt ante thronũ Dei: & aſcẽdit fumus incenſorũ de orationibus Sanctorũ, de manu Angeli corã Deo. *Nimis cæci ſunt, & inſipientes, qui hæc tàm clara, & tàm manifeſta, nec vident, nec intelligunt, ſed in ſua tantũ lingua confidũt. Et cũ Deus de Cælo clamet:* Beati, qui in Domino moriũtur. *Et Propheta Deo dicit:* Viuent mortui tui, *quomodo ſe etiã dicunt eſſe fideles, qui Martyrũ negant virtutes: & dum cernũt numeroſos quotidiè orātiũ cateruas, Beatiſſimi Ianuarij Martyris tumulum, tamquã radiantes gẽmas ſtipare, & multos geſta ſcribẽtes, vota pro beneficijs acceptis ſoluere, nituntur, quibuſdã præſtigijs clarũ oculorũ lumẽ auferre, ſupereſt, vt ad ſanctum ſcripturarũ librum reuertamur, qui ait:* Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & populis, & linguis ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus

eorum

eorum,& clamauerunt voce magna,dicentes: Salus Deo, qui ſedet ſuper thronum,& Agno,& omnes Angeli ſtabant in circuitu throni,& ſeniorum, & quatuor animalium,& ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerunt Deum dicentes,Amen.Benedictio,& claritas, & ſapientia, & gratiarum actio,& honor,& virtus,& fortitudo Deo noſtro in ſæcula. Et reſpondit vnus de ſenioribus dicens mihi: Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis,qui ſunt,& vnde venerunt? Et dixi illi: Domine tu ſcis.Et dixit mihi: Hi ſunt,qui venerunt de tribulatione magna,& lauerunt ſtolas ſuas,& dealbauerunt eas in ſanguine Agni, ideò ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die,ac nocte in templo eius. *O Beata,& glorioſa Beatiſsimi Ianuarij Martyris fides,omnium litteris, monumentiſque celebranda, & carminum laudibus etiam poſteris præferenda. Verè ſurrecturum cum gloria ſe credidit, nihil in Euangelij promiſsione dubitans. Verè agnus dignè coronatus,quem in cœlo gaudens Chriſtus excepit,cui iam ſtolas candidas, & glorioſas palmas lætus afferret. Verè enim quod magni laboris, magnæque mercedis eſt, hoc Beatiſsimo Ianuario Martyri ſtolam iſtam contribuit,& ſpiritualis largitio contulit. Per eam,& qui non nominabatur, oratur: & qui neſciebatur,celebratur: & qui non videbatur, apparet: digneque ſanctum eius corpus pro meritis,atque beneficijs honorificatur.Claruit ex his validiſſimis teſtimonijs, quæ Sanctus Ianuarius patrocinia à Deo collata nobis famulis ſuis præſtiterit. Cuius precibus meritorum mereamur a noſtris expiari peccatis, & delictorum nodis exui mereamur,congruis medicinis ſuffragio a morborum omnium contagijs liberari, vt perceptis optatæ incolumitatis gaudijs gloriemur in Domino Ieſu Chriſto. Qui cum Patre,& Spiritu Sancto viuit,& regnat Deus in ſæcula ſæculorum.Amen.*

## *Aliorum de eodem* Diuo *lucubrationes. Sect.XXVI.*

IN honorem præclariſſimi Martyris Ianuarij,triplex,quod ſciam,cōpoſitum fuit Eccleſiaſticum Officium:præter illud,quod diu antea in Eccleſia Neapolitana recitabatur, typiſque poſtea impreſſum prodijt anno 1525. Primum, Cum anno redempti Orbis octingenteſimo decimo octauo,à Sicone Principe Longobardorum,Beneuentum,eius ſacrum corpus tranſlatum fuit. Beneuentana enim Eccleſia, in honorem inclyti Præſulis ſui Officium condidit. Quod mutilum licet,ex peruetuſto Codice Beneuentano, Longobardico charactere exarato, fideliter exſcripſi. Deinde Matthæus de Afflicto inſignis Iureconſultus, & Aragoneis Regibus à Conſilijs,Officium & ipſe compoſuit,vt in Conſtitut. Regni,quæ incipit.*Si quis aliquem.*Tit.*De ſpoliantibus hominem*,ipſemet refert.Tandem noſter Gabriel Lottherius, qui ante paucos annos octogenario maior obijt, inſignis probitate ſenex, Græcæ,& Hebraicæ linguæ peritiſſimus: nec non & ſacrarum litterarum eruditione conſpicuus, aliud compoſuit Officium. Eo,vt puto,tempore, cum ſub Hannibale de Capua Neapolitano Archiepiſcopo,cui ipſe erat chariſſimus, ageretur de inſtituendo Apoſtolica auctoritate,peculiari in eius ſolemnitatibus Officio. Cuius iuſſu id ille opus perfecit.Cuius exemplar apud nos aſſeruatur. Vti & illud Afflicti. Nullum tamen horum hic adſcribendum cenſuimus: quod ex hiſtoria ſint compacta Sancti Epiſcopi Martyrij: & poſtrema iſta, recentiora ſint,neque venerandam illam antiquitatem redoleant.Quare ad alia properamus.

Inter

Inter quæ meritò primum ſibi locum vendicant duo Hymni in eius ſolemnitate cantari ſoliti, ex curioſo Codice Hymnario Eccleſiæ Neapolitanæ Longobardicis litteris exſcripto deprompta, quorum vnus hic eſt.

*Martyrum princeps, decus, & honeſtas,*
*Da tui teſtis varios agones,*
*Atque ſublimes famulis triumphos*
*Pangere nobis.*
*Quando pœnarum ſtimulis cruentis*
*Peſſimus Cæſar iugulabat omnes*
*Quos fidem Chriſti retinere, toto*
*Comperit Orbe.*
*Ianitor vitæ comes Angelorum,*
*Tu per ignitum gradiens caminum,*
*Voce iucunda Domino ſacraſti*
*Celſa trophæa.*
*O virum magnis meritis micantem,*
*Nempe flammarum mediò progreſſus,*
*Soſpite crine ſimul, atque ſaluos*
*Geſſit amictus.*
*Cæteros ſanctos pius, vt magiſter*
*Admonet ſecum validos minarum*
*Eſſe victores, penituſque ſauas,*
*Temnere pœnas.*
*Non tibi mordax rabies ferarum*
*Vulnus inflixit, ſalubris Sacerdos,*
*Sed tuis beluæ tribuere mites*
*Oſcula plantis.*
*Gloria Patri reſonemus omnes,*
*Et tibi Chriſte Genite ſuperne,*
*Cum quibus Sanctus ſimul, & Creator*
*Spiritus regnat. Amen.*

Alter verò hic eſt.

*Paſtor inſignis faciendo ſigna,*
*Ad Dei cultum, fideique lucem*
*Traxit omninò tenebris ſubactos*
*Millia quinque.*
*Ethnica cæſus feritate, neruos,*
*Colla præciſus, digitumque felix*
*Munus Antiſtes habitus ſacrati,*
*Tradit egeno.*
*Cum ſuis tandem ſocijs perennem*
*Deferens palmam ſuper æthra ſcandit,*
*Nunc ibi regnant polici fruentes*
*Lumine regis.*
*Inde virtutum radijs refulgens,*
*Hinc triumphator cumulos volantes*
*Ignis extinxit, patriam gubernans*
*Scilicet iſtam.*

Nn *Et*

*Et tibi mater miſerando proles*
*Eius aſſurgens precibus reuixit:*
*Et tibi Clemens laqueos reſoluit,*
*Mortis acerbæ.*
*Noxios caſus populi ſecundat.*
*Virus expellit colubri veterni.*
*Diluens culpas recreat ſalutem*
*Cœlitus agri.*
*Parthenopenſis regitemus vrbis*
*Eſto Protector celebrande Martyr.*
*Pacis æternæ petimus redundent*
*Commoda nobis.*
*Gloria Patri reſonemus omnes,*
*Et tibi Chriſte Genite ſuperne,*
*Cum quibus Sanctus ſimul, & Creator*
*Spiritus regnat. Amen.*

Tres etiã ſequentes Hymni canebãtur olim in Eccleſia Neapolitana.

*Gaude felix Neapolis*
*Laudem dans Dei Filio,*
*Qui tot fulget miraculis*
*In tuo Ianuario.*
*Vincula, neruos, incendium,*
*Feraſque Præſul ſuperat.*
*Vt conſumet Martyrium*
*Hoſte furente properat.*
*Sacro plectendus capite,*
*Vt mitis agnus ducitur,*
*Chriſtus in ſuo milite,*
*Hoſtis ſcelus vlciſcitur.*
*Tyrannum priuat lumine*
*Turbis coram aſtantibus:*
*Nec reſtitis à crimine*
*Sancti ſanatus precibus.*
*Certam miſer ſæuitiam*
*Cæcus inde proſequitur:*
*Et poſt latam ſententiam*
*Caput ſacrum abſcinditur.*
*Scandit Martyr ad æthera,*
*Vt mater ante viderat;*
*Raptus miſer ad tartara*
*Deſcendit quo meruerat.*
*Gloria tibi Domine,*
*Qui ſurrexiſti a mortuis*
*Cum Patre, & Sancto Spiritu*
*In ſempiterna ſæcula. Amen.*

Secundus verò Hymnus hic eſt.

*In ſua laude ianua*
*Nobis ſit Ianuarius,*
*Cuius dies hac annua*

Cele-

*Celebretur deuotius.*
*Fide rectus, & opere,*
*Hoſtis ſpernens imperium;*
*E tetro ſeruatur carcere*
*Iactandus in incendium.*
*Crucis fultus præſidio,*
*Flammas conſtans ingreditur;*
*Sed in fornacis medio*
*In nullo prorſus læditur.*
*Timotheus hæc audiens*
*Educi Sanctum præcipit:*
*Sed flamma mox exiliens,*
*Paganos plures perimit.*
*Torturus neruis Præſulem,*
*Vt vel ſic eum ſuperet.*
*Sed verum Chriſti pugilem,*
*Nunquam terrere præualet.*
*Hinc Tyranni ſæuitia*
*Creſcit,& feras præparat:*
*Quas ex Chriſti clementia*
*Paſtor inſignis ſuperat.*
*Gloria tibi Domine,*
*Qui ſurrexiſti à mortuis,*
*Cum Patre, & Sancto Spiritu*
*In ſempiterna ſæcula. Amen.*

*Adeſt dies lætitiæ*
*Dulci dignus memoria,*
*Quo Præſul innocentiæ*
*Triumphat cum victoria.*
*Chriſtum gerens in pectore,*
*Fide nunquam confunditur;*
*Pro qua in ſacro corpore*
*Dura tormenta patitur.*
*Hunc Timotheus victimat*
*Non cedentem erroribus:*
*Sed hunc ſanctus exterminat*
*Immenſis cruciatibus.*
*Suo tinctus in ſanguine,*
*Vt agnus abſque macula,*
*Offertur ſine crimine,*
*Coruſcans per miracula.*
*Viduæ matris filium*
*Reſuſcitat ab inferis:*
*Defunctum quoque alium*
*Contactu ſacri pulueris.*
*Flammam mons Veſuuij*
*Spargebat vis incendij,*
*Sed in terroris medio*
*Sanctus adeſt præſidio.*

*Gloria tibi Domine,*
*Qui ſurrexiſti à mortuis*
*Cum Patre, & Sancto Spiritu*
*In ſempiterna ſæcula. Amen.*

Agnellus Ruſſus Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicus, diligens rerum antiquarum perquiſitor, inter ſuas ſchedas magno labore collectas, tres reliquit Hymnos: Incerti quidem Auctoris, ſed certè valdè pij, quos libet hic apponere.

*Quod dedit primus tenet iſte menſis*
*Nomen in magna manet Vrbe clarus,*
*Signis inſignis, pietate fulgens,*
*Vita poſt mortem manet ipſa ſemper,*
*Miſſus ab alto.*
*Magna ſi Diuo fuis ipſa, maior*
*Sors tibi multum populoſa gentis*
*Vrbs, dedit Chriſtus pius omne latum,*
*Inclyta gaude.*
*Martyr eſt, teſtis tria ſignat ipſe,*
*Quæ volat ſemper, nihil eſſe vitam:*
*Vita poſt mortem manet ipſa ſemper,*
*Semper amemus.*
*Signat in Chriſto nihil eſſe falſi,*
*In Dijs falſis nihil eſſe veri:*
*Monſtrat in Chriſtũ ſuus eſſe ſummum*
*Sanguis amorem.*
*Vt trahat currum inſtat ore iudex,*
*Ille iam curris meliore paſſu*
*Cæſus ad mortem citius, parauit*
*Colla miniſtro.*
*Parcitat Sancto benedictus ignis,*
*Parcit & dirus leo factus agnus:*
*Non parcit ſolus caput enſe truncans*
*Tortor iniquus.*
*Sparſus in terra cruor ipſe feruet,*
*Vt Deus parcat miſeratus ipſis,*
*Parcat & nobis pietate Martyr,*
*Feruet amore.*
*Feruet incluſus cruor ipſe vitro:*
*Cum caput ſectum videt enſe gaudet;*
*Feruet in terris cruor, atque cœlis*
*Spiritus ardens.*
*Ardet & cœlo iugiter precatur,*
*Vt Deus peſtem ſimul atque bellum*
*Pellat, & fruges miſeratus Vrbi*
*Mittat ab alto.*

*Athleta Chriſti ſtrenuus*
*Palmam gerens certaminis,*
*Stolam decoris candidam*
*Riuo cruoris tinxerat.*

Amoris

*Amoris ignis æſtuans*
*Exarſit in præcordijs:*
*Cruorque venis diffuſus*
*Ebullit vſu priſtino.*
*Fuſus tot ante ſæcula*
*Sanguis ſacratus Martyris,*
*Vbi caput fit obuium,*
*Feruens liqueſcit denuo.*
*Cæleſtis Aulæ particeps*
*Chriſtum perenne prædicat:*
*Et voce fuſi ſanguinis,*
*Demulcet iram Numinis.*
*O miles inuictiſsime*
*Fundens cruorem fortiter,*
*Aſpectus eius iugiter*
*Pugnare ſegnes admonet.*
*Gloria tibi Domine,*
*Qui ſurrexiſti à mortuis*
*Cum Patre, & Sancto Spiritu*
*In ſempiterna ſæcula.* Amen.

*Immani gladio Martyris inclyti*
*Abſciſſum fuerat iam caput aureum:*
*Et mens corporeis libera vinculis,*
*Fulgebat ſuper æthera.*
*Cum feruens ſpiritu mollis anicula*
*Occurrens, geminas de lare phialas*
*Promit, ac ſanguine replet, & impigra*
*Velis recondit ſedulo.*
*Quæ primùm reſciens tempore corporis*
*Totum quod ſupereſt, eſſe Neapolim*
*Tranſlatum, patrijs ciuibus, vberes*
*Theſauros procul indicat.*
*Sic ex compoſito Clerus, & optimi*
*Quique municipes, ordine prodeunt*
*Almæ Parthenopes, pompaque nobili*
*Sacratum caput offerunt.*
*Exultat mulier Saba opulentior*
*Regina: & veniens protinus obuiam*
*Geſtato capiti, percita gaudio*
*Seruatum promit ſanguinem.*
*Qui ſtatim facie Martyris agnita*
*(Fit ſtupor omnibus) marmore durior,*
*Ceu ſolis radio ſub cane feruido*
*Tactus liquor, ebullijt.*
*Læti tunc varijs tempora frondibus*
*Præcincti redeunt, grexque potiſsimum*
*Chriſti candidior, ſacrificantium*
*Gaudens chorus, & iubilans.*

*Poſt hæc imparibus vocibus intonant*
*Laudantes Domini cunctis potentiam*
*Patris ac Geniti, Sanctique Spiritus*
*Vnam dant tribus gloriam.*

Cæſar Carpanus Canonicus Neapolitanus, atq; extremis Leonis X. P.M. diebus Epiſcopus Ciuitatis Muri, carmine ſapphico hendecaſyllabo Geſta, & Miracula D. Ianuarij expreſſit: typiſque tradidit anno 1515. Sed & Alphonſus Ianuarius Patritius Neapolitanus ſacrum carmen edidit anno 1533. impreſſum, in quo Peregrinus, & Ciuis de ſolemnitate Tranſlationis, ſanguiniſque ad capitis occurſum liqueſcentia colloquuntur. Quod tamen intolerando ſcatet errore: dum verſu quintodecimo Ianuarium Cumis facit decollatum: & verſu decimoſeptimo, in Baiano littore ſepultum.

Et hos tantum, quòd Neapolitani fuerint adducendos duxi. Cæteros autem, eoſque Hiſtoricos, Poetas, Concionatores, quòd innumeri ſint & fortaſſe recentiores, conſultò præterij; ſuperfluos in re clara teſtes.

Hic ergo vniuerſæ de Sancto Ciue, & Patrono noſtro Hiſtoriæ finis eſto.

# MAGNI CONSTANTINI In Neapolitanam Ciuitatem Aduentus, & Beneficia.

## CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

QVantum pijſſimo Imperatori Neapolitana ciuitas debeat, hæc, quæ diſcutienda proponimus Capita, dilucidè manifeſtabunt.

- *Sect. I. Conſtantini cum Matre Helena Neapolim Aduentus.*
- *Sect. II. De Eccleſijs Neapoli à Conſtantino ædificatis: ac primum de Epiſcopio, ſiue Aede S. Reſtitutæ.*
- *Sect. III. De Baſilica Sanctorum Apoſtolorum.*
- *Sect. IV. De pretioſis donarijs à Conſtantino Eccleſiæ Sanctorum Apoſtolorum collatis.*
- *Sect. V. De Aede S. Ioannis Maioris:*
- *Sect. VI. An alias Baſilicas Neapoli Conſtantinus extruxerit?*
- *Sect. VII.* De *Aqua Neapolim à Conſtantino ducta.*

### *Conſtantini cum Matre Helena Neapolim Aduentus: Sect. I.*

ANno Chriſti CCCXXIV, Sylueſtri Papæ XI, Conſtantini Imperatoris XIX, Criſpo, & Conſtantino Coſſ. conditæ verò Parthenopes MCCCLIII. adulta æſtate, hoc eſt, Auguſto, vel Septembri menſe, antequam ſcilicet, intercluderetur hyeme nauigatio, colligi poſſe videtur, inquit Baronius, Conſtantinum ab Vrbe Roma diſceſſiſſe. Nam conſtat ipſum anni ſequentis initio in Oriente fuiſſe, atque cogendo Nicœno Concilio ſtuduiſſe. Anno enim ſalutis CCCXXV, Paulino, & Iuliano Coſſ. celebratum eſſe Concilium Nicœnum, Decimo ſcilicet anno poſt Concil. Arelatenſe docet Sirmondus cap. 7. de Eccleſ. ſuburbicar. Ipſum itaque Conſtantinum, Orientalem plagam eo anno petiturum, Neapolim pertranſiſſe, & res ex ſe probabilis apparet, & ſunt præterea vetera Monumenta, & Scriptores aliquot, qui id apertè aſſerunt.

Monumenta quidem ſunt, inſignes nonnulli lapides ab officioſo Neapolitanorum erga ipſum obſequio erecti. Ad arcum Sancti Spiritus ſecus viam Toletanam.

*D. N.*
*Flaui. Val.*
*Conſtantino*
*Pio Fel.*

*Inuicto Aug.*
*Diui Conſtantij*
*Pij Fil.*

Miror nonnullos legere hìc, *Diui Conſtantini Pij Filio*. Vt de Conſtantino ſecundo,non autem de primo,& Magno intelligant. Verùm,vt omittam calamos, & ſcalpra frequenter in his Conſtantij, & Conſtantini nominibus errare,& alterum pro altero ſcribere, ſeu inſculpere, id certum eſt,in diuiſione Imperij à Conſtantino Magno facta, Neapolim, & Italiam vniuerſam non Conſtantino ſecundo,ſed Conſtanti contigiſſe.Itaque ſi ad filium aliquem Conſtantini Magni, non autem ad ipſum Conſtantinum M. lapis iſte pertineret,is non Conſtantino iuniori,ſed Conſtanti potius eſſet aſſignandus.Et appoſitè quidem,Neapolitanus Ordo,ac Populus,Conſtãtinum M.à patre Conſtantio præcipuè celebrant. Sciebant enim,in diuiſione Imperij à Diocletiano,& Maximiano facta,ciuitatem Neapolim cum toto propemodum Occidente, Conſtantio Chloro, qui fuit Conſtantini pater, optimo,& laudatiſſimo Cæſari,fuiſſe contraditam. Idque arbitror Neapolitanos mouit, vt in altero quoque lapide Helenæ Auguſtæ poſito, eiuſdem Conſtantij Chlori voluerint meminiſſe.

In Ædibus Collegij Ieſuitarum Patrum.

*Piiſſimæ, & Clementiſſimæ*
*Dominæ noſtræ*
*Helenæ Matri Domini noſtri Victoris*
*Semper Aug. Conſtantini*
*Et auiæ Dominorum noſtrorum*
*Cæſarum beatiſſimorum*
*Vxori* Diui *Conſtantij*.
*Ordo Neapol. &*
*Populus.*

Quid autem intereſſet (vt hòc obiter moneam) inter Cæſares, Imperatores,& Auguſtos,docuit Alciatus ex Ammiano,Lampridio,& Conſtitutionibus,apud Landum in Numiſmates Germanici his verbis. *Cæſares dicti, qui Auguſtæ Maieſtatis hæredes deſignati eſſent, adminiſtratione rerum illis interdicta,niſi fortaſſè Prouinciam,Auguſti iuſſu,adminiſtrandam haberent. Hinc nulla eis donatiui militibus dandi facultas erat.in comitatu,eos ſolùm habebant, quos Princeps tribuiſſet.Paulo maior Imperatoris dignitas:qui licet infra Auguſti faſtigium poſitus, eiuſque arbitrio bella gereret,ſummam tamen poteſtatem in Magiſtratus, atque milites habebat,iuſque illi indicendi belli erat.*

Cæterum, ſimulne Helena, & Conſtantinus, an verò ſeiunctim huc acceſſerint, nonnulli dubitant.Ego verò,etſi certò id ſtatuere non audeam: ſimul eos Neapolim aduenìſſe,mihi facilè perſuadeo. Conſtantinus enim domicilium perpetuum in Oriente fixurus, Vrbemque, & Italiam relicturus, cenſendus eſt cum toto aulico comitatu, & cum Matre inprimis Diua Helena,celebrem illam iniſſe migrationem,quam diuino conceperat motu: vti Sanctus Aldelmus de laud. virginit. cap.12. Beda de locis ſanctis

cap.

cap.vltim. Sozomen.lib.2. cap.2. Glyc.lib.4.Niceph. lib.8.cap.4.Zonar. tom.3.alijque tradunt.

Porrò ex ſubiecto lapide D.Helenæ ſoli excitato, probabiliter conijci poſſe exiſtimo, ſemel illam, atque iterum Neapolim aduenifſe.

Ad Sedile Montanum.

*Pijſſimæ, ac venerabili Dominæ noſtræ*<br>
*Helenæ, Aug. Matri Domini noſtri ſemper Aug.*<br>
*Conſtantini, & Auiæ Dominorum noſtrorum*<br>
*Beatiſſimorum Cæſarum Ordo, & Pop. Neapol.*

Fortaſſe lapis hic alter, tunc D.Helenæ erectus eſt, quando, vt Zonara tradit lib.3. Annalium, vna cum Beatiſſimo Syluestro Pontifice ad loca ſacra viſenda abijt ad Oriētales plagas. Quod ſi de Syluestro credi debeat, id certè poſt Nicænam, & Romanam celebratas Synodos, ipſum feciſſe dicendum eſt. Ego verò probè ſcio, nullam in Romanis hiſtorijs de Syluestro in Orientem abeunte fieri mentionem. At in re obſita tenebris annoſæ vetuſtatis, Io.Zonaræ hiſtorici non obſcuri, & Neapolitanorum quorundam Scriptorum conſenſus, nonnullam profectò fidem ſibi vendicat. Poſſem huc proferre Genebriſtum quendam à Fabio Iordano I. C. Neapolitano, & Summontio citatum. Sed quia id Scriptoris vocabulum nullibi gentium apparet, neque ipſi indicant, vndenam Genebriſti huius hiſtoriam nacti fuerint, haud mihi viſum eſt, incerto eiuſmodi teſtimonio, ea, quæ vera exiſtimantur confirmare. Quanquam huius Genebriſti auctoritate alias vſus fuerim cap. ſcilicet 3. ſect.V. ſed dubitanter, vti poſtrema mea verba teſtificantur. *Hæc ille quiſquis fuit*. Maximè cum non deſint Noſtrates quidam hiſtorici, Ioannes videlicet Villanus, & Scriptor quidam Regeſti Caroli I. Regis, qui etſi nonnihil fabuloſum, atque ab imperito vulgo acceptum, litteris inſerunt: Nempè Syluestrum ad Nicœnam Synodum celebrandam in Thraciam abijſſe: quod quidem conſtat eſſe falſiſſimum. In eo tamen, quod tradunt, ſanctiſſimum illum Paſtorem, aliquando cum Beata Helena ad Orientem itura, Neapolim acceſſiſſe, idipſum ſanè aſſerunt, quod nunc (de Syluestro haud ſolliciti) cōprobare nitimur: quodque lapides ipſi clamant: videlicet, Beatam Helenam iterato Neapolim adijſſe.

Cohoneſtata autem fuit Neapolis Auguſtorum horum capitum præſenti maieſtate, Coſmate Epiſcopo Neapolitano. Quem etſi Ioannis Diaconi indiligentia præterijt, atque adeo prorſus ignorauit, eius tamen honorifica mentio habetur apud Tabularium Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Principio Dominorum Canonicorum: ex quo ego antiquo opuſculo nonnulla excepi. At Ioannes Villanus in ſua Neapolitana hiſtoria ponit eo tēpore *Zonium* quendam Epiſcopum: ſed quia nunquam apparet alibi hic Zonius, eadem facilitate, qua figitur, refigitur. Quod ſi *Zoſimum*, & non *Zonium* legas, neque id ſubſiſtere poteſt. Is enim, non Conſtantini Magni tēpore, ſed diu poſtea, nempe ſub Conſtantio Auguſto Conſtantini filio, in Neapolitanam ſedem magno ſuo malo irrupit.

## *De Eccleſijs Neapoli à Conſtantino ædificatis: ac primum de Epiſcopio, ſiue Aede S. Reſtituta.*
## *Sect. II.*

MEritò Neapolitana Reſpublica Imperatorem Conſtantinum, & D. Helenam eius matrem, inſigni elogio æternis monumentis inſculpto celebrauit. Iam enim Conſtantinus egregiam pietatem, & in Chriſti nomen religioſum affectum, plurimis documentis, Romæ præſertim, tot ædificatis Baſilicis, tantiſque cenſibus locupletata Chriſti Eccleſia, abundè oſtenderat. Helena etiam iampridem adeo religioſam ſe exhibuerat, vt antiquus, & Græcus auctor Socrates lib. 1. cap. 13. poſtquam varia, & ampliſſima Templa ab ea ædificata recenſuiſſet, hæc ſubiecerit. *Præterea adeo pia fuit, & humilis, vt in media plebeiarum mulierum turba præcaretur. Virgines, & quæ Eccleſiaſtica viuendi regulæ ſe conſecrauerant, ad epulas inuitaret. Ipſa illis miniſtraret, obſonia menſæ apponeret. Multa item Eccleſijs, & pauperibus donauit: omnem vitæ curſum ſanctè, & religioſè confecit.* De Conſtãtino autem Euſebius Cæſarienſis, qui eo vixit tempore, diſertè tradit lib. 3. de vita Conſtantini cap. 49. & Orat. de laudibus Conſtantini, non Romam ſolummodo, *Sed ciuitates etiam alias, quæ apud cæteras gentes videbantur, vel maximè propter ſplendorem excellere, Templis egregijs, magnificiſque curaſſe ornandas.* His ſanè conſentanei ſunt noſtrates hiſtorici, qui hos pijſſimos Principes, multas ſacras ædes Neapoli quoque excitaſſe ſcripſerunt. Quapropter, tanta apud vulgus opinio de Conſtantini munificentia, ac pietate orta eſt, vt nullam penè videat paulò antiquiorem Eccleſiam, quin eam à Conſtãtino extructam fuiſſe dictitet. Laudanda ſiquidem ſimplex populi credulitas, non tamen approbanda vniuersè, niſi certis fulciatur coniecturis.

De Eccleſijs à Conſtantino Neapoli ædificatis, agit aliquando Romanum Martyrologium. Ac item Anaſtaſius de Munificentia Conſtantini D. Gregorius lib. 8. epiſt. 24. Ado Viennenſ. Ætat. 6. Carol. Sigon. lib. 3. de Imperat. Occid. Scriptor vitæ Sancti Athanaſij Epiſcopi Neapolitani. Ioãnes Diaconus in Catalogo Epiſcoporum Neapolitanorum, in Zoſimo. Molan. ad Vſuardi Martyrolog. Petrus Monachus in Chronica M.S. Sancti Vincentij de Vulturno. Damaſus verò de Pontific. & Beda de tempore afferunt quidem eum Neapoli Eccleſias erexiſſe, non tamen declarant, in cuius honorem fuerint erectæ: ſed & in veteri Rituali manuſcripto Eccleſiæ Neapolitanæ, legitur Oratio pro anima Conſtantini ædificatoris ædiũ.

Sed quod Baſilicam Sanctæ Reſtitutæ ædificauerit, Martyrologium quidem Romanum id luculenter aſſerit. Vide, quæ ſupra dixi cap. XVI. Sect. IV. cum de Sancta Reſtituta ageremus: nec enim eſt opus iterum illa cum Lectoris faſtidio hîc repetere.

Omnium autem ædicularum, Stephaniam Baſilicam ambientium, ſiuè diſtinctæ ab ea fuerint, ſiuè coniunctæ, vel illi incluſæ, nulla prorſus adeo celebris eſt, & veneranda, ſicut illa Deiparæ in Principio: ſic dicta, vt Petrus de Stephano arbitratur, quòd, vel prima, vel inter primas Eccleſiarum totius Orbis, Virgini fuerit dicata. Teſtimonium profectò maximum eſt, impenſi Neapolitanorum erga Virginem cultus: vt proindè meritò ſãxerint Neapolitani Præſules, eius Dedicationem quotannis ſolemniter celebrari.

lebrari. Vnde in M. S. Longobardico Eccleſiæ Neapolitanæ Kalendario vocatur *Feſtum Principÿ*. Fuit qui aſſereret Theodoſij æuo hoc Sacellum erectum, is eſt Fabius Iordanus I.C. Neapolitanus. Sed argumentis, ac Vererum teſtimonijs deſtitutus, labefactare antiquam traditionem non poteſt, à Conſtantino erectum hoc Sacellum, & multorum etiam libris conſignatam, videlicet M. S. Lectionario Eccleſiæ Neapolit. Ioanne Villano in Chronica lib. 1. cap. 43. Summont. Stephano, Spinello in Throno Deiparæ, & alijs, & ex verſibus ibi inſculptis.

*Lux Deus immenſa poſtquam deſcendit ad ima*
*Annis trecentis completis, atque peractis*
*Nobilis hoc Tem lum S nctla conſtruxit Helena.*

Nimirum, ipſius iuſſu, aut ſuaſione, aut dotatione, vel, vt, quod filius fecit, Matri etiam rribuarur. A Syluestro Pontifice fuiſſe Indulgentiarum Theſauris ditatam, indicanr carmina illa.

*Syluestro grato P. pa donante Beato,*
*Hic benè quanta datur venia, vix quiſque loquatur.*

Vndè facilè coniectari licet, ab ipſo etiam Sancto Pontifice eam fuiſſe dicaram, ſi tamen is Neapolim adijt. Sæpius poſtea inſtaurara fuit Bearę Virginis imago, & fugienres eius colores, ac lineamenta reducta. Ac tandem à Clero Neapolitano anno 1322. inſtaurara, vt alia ibi carmina teſtantur. Nec muſiuum, & ſegmẽratum illud opus, nouitatem arguere debet. Nam, vt Aleman. de Lareran. Parietin. docet, etiam apud Vereres æuo ipſo Cõſtantini, & ſuperiorum Cæſarum in vſu erat.

Attamen impoſſibile non eſt, abſidulam iſtam antiquitus fuiſſe in cubiculo aliquo domus Sanctæ Candidæ. Conſtat enim, primis illis Eccleſiæ ſæculis, Apoſtolos eorumque diſcipulos, ſolitos fuiſſe, domeſtica piorum cubicula, in ſecreta quædam Oratoria, ne ſcilicet Chriſtiana myſteria ethnicis proderent, conuertere. Ad eundem quippe modum, B. Petrus Romæ apud Pudentem, & Mediolani apud Anatholonem hoſpitio exceptus, in eorum ædibus ſacra peregir, & cubicula in Sacella conuerſa Diuino Numini dedicauit. Lege Acta SS. Pudentis, & Praxedis, & epitaphium Anatholonis apud Gruter. Inſcripr. 1161. Porrò extabat ætate Ioannis Villani, hoc eſt Margaritæ Reginæ, Monaſterium propè Ædiculam, ſiue Abſidulam hanc Sanctæ Mariæ de Principio. Idque Sanctam Candidam ſeniorem incoluiſſe, & Sanctum Aſpremum Epiſcopum in ea Abſidula ſacrum feciſſe ſcribit idem Ioannes Villanus lib. 1. cap. 44. qui Moniales Monaſterij huius Italicè vocar, *Donne Romite*. Annè verò huius Monaſterij meminerit S. Gregorius Papa epiſt. ad Roman. Defenſor. lib. 9. Regiſtr. epiſt. 7. Lector expendat.

## De Baſilica Sanctorum Apoſtolorum. Sect. III.

ANaſtaſius libello de munificentiâ Conſtantini, apud Binium tom. 1. Concilior. par. 1. pag. 216. quem, vt vult Baronius tom. 3. Annal. ad ann. 324. ex Romanæ Eccleſiæ Archiuis conflauit, hæc habet. *Eiſd m temporibus, fecit Constantinus Auguſtus, B. ſilic. m in Vrbe Neapoli, vbi condidit hac. Patenas, &c.* Sed cum Anaſtaſius Eccleſiarum nomina, quas

in alijs ciuitatibus Conſtantinus extruxit, expreſſerit, vt Capuæ Baſilicam SS. Apoſtolorum, Albæ Baſilicam Sancti Ioannis Baptiſtæ. Ego miratus planè ſum, cur ſolius Eccleſiæ Neapoli extructæ nomen ſubticuerit. Sed euolutis Chronographis, qui ex Anaſtaſio id acceperũt, nobiſque tradiderunt, ſuboleuit ſuſpicio lacunæ in Anaſtaſio. Ado quippe Viennenſis in Chronico hæc habet. *Item Baſilicam in Vrbe Neapoli miro opere exornauit in honerem Sanctorum Apoſtolorum, & Martyrum.* Et Matthæus VVeſt-monaſterienſis annum ſignat extructionis his verbis. *Anno gratiæ 333. Imperator Cõſtantinus conſtruxit Eccleſiam in Vrbe Neapoli miro opere, omnibus Apoſtolis, & Martyribus.* Ecce quomodo quæ Anaſtaſius reticet, iſte vix quarto ab hinc ſæculo chronologus (ſcripſit enim ad annum Chriſti 1307.) apertè pronũciat. Quamobrem, cum vterque non aliunde, quàm ex Anaſtaſio, vti Anaſtaſius ex Tabulis Vaticanis, ſiue Lateranenſibus accepiſſe credendus ſit, meritò conijcio, Anaſtaſij libellum de Conſtantini munificentia ad nos perueniſſe multis hiantem lacunis: atque olim habuiſſe hæc ipſa nomina Diuorum Apoſtolorum, & Martyrum, quibus conſtructa fuit Neapolitana Baſilica, quæ nunc ex his poſterioribus hiſtoricis cognouimus. Quanquam ſi accuratius rem perpendamus. Ado Viennenſis, qui produxit chronicon ad annum Chriſti 880, non eſt Anaſtaſio, qui eodem vixit tempore, poſterior. Fortè omnibus etiam Martyribus voluit Templum iſtud eſſe ſacrum, quòd recens eſſet memoria trucidatorum in Campaniæ oris littoralibus tot Martyrum Duce Chromatio, vt cum de eo ageretur diximus. Aut etiã Conſtantinus in odium ethnicæ Religionis armatus, vt illi Dijs, Deabuſque omnibus olim lapides dicarunt, ſic ipſe Apoſtolis, & Martyribus Templum voluit eſſe dicatum. Lege Gualterum in Tabulis Siculis Tab. 298. & inuenies lapides, ſeu aras, *Dijs omnibus.* Item. *Dijs, Deabuſque omnibus*: & nummum, in quo inſculpta erant hæc verba. *Dijs, Deabuſque cum Ioue.*

Quæri autem poteſt. An, quo loco, nunc eſt, Sanctorum Apoſtolorum Baſilica, extiterit olim aliquod Idolorum fanum? Et certè ex ijs, qui rem hanc attigerunt, id affirmare non veremur. At, cuinam Gentium Deo dicatum fuerit, variæ ſententiæ diſſentiunt. Ioui dicatum aſſerit Iordanus his verbis. *Ioui quoque Templum, Sacerdoteſque ſtatuiſſe Neapolitanos, teſtatur vetus epigramma; cuius meminit Panuinus in vrbe. Rom fol. 496.*

*N. Pectio. N. Fil. Ruſo.*
*II. Viro Quaſt. aliment.*
*Cur. pec. publica Curator.*
*Frum. cultores Iouis, ob*
*Merita eius L. D. D. D.*

*Eidem & ludos feciſſe docet vetus inſcriptio apud Aldum in Orthopgraphia fol. 461. Neapoli ad Diuæ Mariæ Maioris in Aedibus Pontani.*

*Q. Voluſio Saturno*
*P. Cornelio. Scip. Coſſ.*
*Auguſtales.*
*Qui Neroni Claudio Cæſari,*
*Et Agrippinæ Auguſtæ*
*I. O. M. & Genio Coloniæ*
*Ludos fecere XIII. XII. Kal. Mart.*
*C. Tantillus CC. L. Hyla Cn. Pollius*
*Cn. L. Victor. C. Iulius C. Glaphyrios.*
*Curatoribus III. II.*

Tem-

*Templum hoc ibi ſteiſſe arbitror, vbi nunc Sanctorum Apoſtolorum eſt Aedes.* Hæc Iordanus, nulla coniectura, nullo antiquorum teſtimonio nixus, è ſua tantummodo mente ſcripſit. Mihi verò Melanthis occurrunt verba, libro de ſacrificijs, vbi de Ioue: *Mos fuit antiquorum, vt altiſſimo Deo in loco ſublimi ſacrificarent.* Ideoque dicendum videtur, potius ad D. Agnelli fuiſſe olim Iouis Templum. Quamuis enim, Sanctorum Apoſtolorum Templum ſitum ſit in ſumma Platea, multò tamen depreſſius eſt, eo loco, vbi nunc Diui Agnelli Templum viſitur.

Martis fanum hic fuiſſe exiſtimauit Sanctorius, Magni Cardinalis Sanctorij Nepos. At ego potius dicerem Martis fanum fuiſſe, vbi nunc eſt Eccleſia Sancti Angeli ad ſignum. Quamuis enim erecta ea Eccleſia fuerit in memoriam fuſi Barbarorum exercitus anno 574. Michaele Archangelo, & Agnello Abbate, mirè inter anteſignanos præfulgentibus. Probabile tamen eſt, facilè Neapolitanos inclinatos fuiſſe, vt Martis Templum, Principi cœleſtis militiæ dicaretur. Exemplo multarum ciuitatum, in quibus veteres Chriſtiani, fana Martis in Eccleſias Angelorum conuertebant: vt ex antiquorum exemplis, ac recentiorum id probat Braunius lib. 5. Ciuitatum Orbis terræ, & ex eo Serarius in Ioſue cap. 5. Quæſt. 44. propè finem.

Suſpicabitur aliquis Saturni hic fanum fuiſſe, cum officinam monetæ iuxta ædem Saturni fuiſſe, Plutarchus in Problemat. doceat. Hic verò, dum nouæ Eccleſiæ fundamenta conſtruerentur, inuentus, atque effoſſus ex ipſis fuit anno 1629, numus cum hac Inſcriptione.

*Cæſar Auguſtus Pont. Max.*

*Tribunic. Pot.*

& eſt altera Parte.

*M. Maecilius Tullus IIIV AAA. FF.*

Hoc eſt. *auro, argento ære flando feriundo.*

Mercurij Fanum non improbabiliter opinari poſſumus hic extitiſſe. Firmant hanc opinionem Cippi aliquot, & lapides, Mercurij Caduceum inſculptum habentes, ante annos aliquot ſub ædibus Cæſaris Frecciæ effoſſi. Iordano oculato teſte referente. Eæ autem Ædes poſticum Sanctorum Apoſtolorum Templum attingunt. Quod ſi ita eſt, conſulto maiores noſtri Apoſtolis Mercurij fanum, qui Deorum dicitur Nuncius, conſecrarunt, cum διάκτορος Nuncium ſignificet. Ac de ipſis, ceu de alatis Mercurijs prædictum fuerit ab Iſaia. *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant?* In omnem terrarum Orbem euangelium inuehentes. Paulum quoque alterum Mercurium eloquentiæ Deum exiſtimatum fuiſſe à Lyſtrenſibus Lycaoniæ, quòd eſſet, *Dux verbi*, Scripſit Lucas Actor. 14.

Vtut res ſe habuerit, ſuper Deorum fanum ædificatam eſſe Apoſtolorum Eccleſiam, eius quoque ſitus oſtendit. Notum enim eſt, Chriſtianorum Eccleſias ad Orientem eſſe debere. Sidonius certè lib. 2. epiſt. X. inter cæteras Patientis Epiſcopi laudes, & hanc adnumerat.

*Aedes celſa nitet, nec in ſiniſtrum,*
*Aut dextrum trahitur, ſed arte frontis*
*Ortum proſpicit æquinoctialem.*

In quæ verba, plura congerit eius Scholiaſtes Sauarus, & in Virgilij 8. Aeneid. verſ. 65. Cerda. Hæc autem Baſilica, ſicuti, quæ nunc Diuo Paulo dicata eſt, meridiem ſpectat: erat autem hæc Paulina ædes Dioſcuris primum ſacra. Fortè ex Varronis hæc manat doctrina, qui libro 6. de lingua latina,

latina,habet,Templi partes eſſe quatuor,ſiniſtram ab Oriente, dexreram ab Occaſu,anticam ad Meridiem,poſticam ad Septentrionem. Vnde idem alibi dixit,factum eſſe, vt ſiniſtra, meliora auſpicia, quàm dextera eſſe cēſeantur. Ex quo obiter infero,non debere alicui mirum videri, ſi quandoque Petrus ad ſiniſtram Pauli, & Maria ad ſiniſtram Ioannis Euangeliſtæ in numiſmatibus,vel picturis videantur.

## *De pretioſis donarijs à Conſtantino Eccleſiæ Sanctorum Apoſtolorum collatis.* *Sect. IV.*

ILlud ſanè vniuerſim hiſtorici,nempe Euſeb.lib.2.de vita Conſtantini cap 43. & ſeqq. Nicephorus lib.7. cap.46. lib.8. cap.3.& 4.lib.10. cap.5.& alij aſſerunt,decreuiſſe magnanimum illum,& verè Auguſtum,ac Magnum Conſtantinum, vt, quod Romæ cæperat, toto Orbe Romano,Eccleſiæ amplioribus ſpatijs ædificarentur ( antea enim Chriſtiani, ob metum perſecutionum,in paruis Oratorijs, ijſque intra Domorum,vel Cœmeteriorum latibula, Deo cultum reddebant) Ac nè pecunijs elargiēdis parceretur,ſed è regio eæ theſauro promerentur,ſiuè ad ædificationē, ſiue ad dotationem Eccleſiarum.

Ego de hac tantum SS. Apoſtolis, & Martyribus dicata Eccleſia locuturus, Anaſtaſij hìc verba recenſebo. *Iiſdem temporibus fecit* Conſtanti*nus Auguſtus* Baſ*ilicam in vrbe* Neapoli,*vbi obtulit hæc.Patenas argenteas duas, penſantes ſingulæ libras decem.*Calices *miniſteriales decem, penſantes ſinguli libras duas.* Amas *argenteas duas, penſantes ſingulæ libras quindecim. Pharos argenteos* 20,*penſantes ſinguli libras octo. Pharos æreos* 20,*penſantes ſinguli libras decem. Fecit autē, & formam aquæductus,per milliaria octo.*Fecit *& Forum. Et donum obtulit* Poſſe*ſionem* Macharij *præſtantem ſolidos* 150.*Poſſeſsionem Cymbranam præſtantem ſolidos* 105.*Poſſeſsionem Selinam,præſtantem ſolidos* 108 *Poſſeſsionem Aſilas,præſtantem ſolidos* 140 *Poſſeſsionem Nymphulas,præſtantem ſolidos* 90. *Poſſeſsionem* In*ſula cum Caſtro,præſtantem ſolidos* 80.Libræ argenti ſunt 280.Solidi autem conficiunt numerum 1682 aureorum cum dimidio,vt paulò poſt dicam.Rectè autem Baronius tomo 3. Annal. anno 324. docet,ex donarijs, alia ad luminaria inſeruijſſe:alia ad vſum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ: quædam ad baptiſmata, quædam ad alia Eccleſiaſtica miniſteria. Sed ſingula donaria percurramus.

*Fecit Baſilicam*. Baſilicæ,publica,eaque magnifica erant ædificia,apud Romanos,publicis videlicet negotijs, iudicijſque accomodata, l.inter ſtipulantem 83.§.ſumma,& l.continuus 137.§.cum quis,ff.de verb. obligat. Ex ijs apud Chriſtianos,Baſilicę nomen deriuatum eſt,imò res ipſa. Nam vt bene Baronius adnotat, & ex eo Biſciola Horar. ſubceſ. lib.12. cap.10. vt Chriſti religio propagabatur,ita Gentilium illæ Baſilicæ in Chriſtianas Eccleſias quandoque conuertebantur, haud quaquam mutato Baſilicæ vocabulo.Quod veroſimilius videtur,quàm quod Iſidor.lib.15. Origin.& ex eo Amalarius,& VValafridus Strabo de Diuinis Officijs dicunt,Baſilicas dictas noſtras Eccleſias,quaſi Regalia palatia,ex eo quod Regi Regum ibi cultus exhibeatur.

*Patenas argenteas penſantes ſingulæ libras* 25.Hoc eſt,fuiſſe ingentis capacitatis,

citatis,quæ nimirum ſufficerent hoſtijs, particuliſque continendis pro cõmunione innumerorum ferè Chriſtianorum, ad participanda diuina myſteria confluentium.

*Scyphos.* Vaſis potorij id genus eſt, quo & Ethnici in ſuis ſacrificijs vſi ſunt.Sed prægrandioribus ſcyphis, quales hic deſcribit Anaſtaſius, qui & calices miniſteriales dicti ſunt,vtebatur Eccleſia epotandis de Chriſti ſanguine Chriſtianis,quem ſinguli hauriebant ex eis fiſtula aurea, vel argentea. Apud Onuphriũ libello de vocibus Eccleſiaſt.dicuntur extare ſequẽtes verſiculi in circuitu prægrandis cuiuſdam calicis B. Remigij Epiſcopi Rhemenſis,qui floruit anno Chriſti 500.

*Hauriat hinc populus vitam de ſanguine ſacro*
*Iniecto,æternus quem fudit vulnere Chriſtus:*
*Rhemigius reddit Domino ſua vota Sacerdos.*

*Calices bilibres*, quos maioribus ſcyphis ſubijcit Anaſtaſius, ipſiſmet Sacerdotibus inſeruiſſe puto, quibus ſcilicet ſacrum facerent: vtpote minoris longè ponderis, & leuatu faciliores.

*Amas argenteas duas,penſantes ſingulæ lib.*15. Igitur non vrceoli erant hæ Amæ ad aquam, vinumque ſacrificanti exhibendum facti: ſed lagenæ potius aquam baptiſmo tingendis, aut pauperum pedibus abluendis abundè fundentes. Niſi fortè dicamus,ex huiuſmodi capacibus vaſis, vinum in prægrandes illorum calices miniſteriales,copioſè ſolitos refundi,vt opera Sacerdotum, conuerſum in Chriſti ſanguinem ſufficeret fidelium turmis communicaturis. Vide Panuin.libello citato, dum de colatorio agit, quod erat vaſculum ſubtiliſſimis foraminibus ab imo perforatum, quo vtebantur veteres,vt per illud,vinum defæcatum,& purum in calicem deflueret.

*Pharos*,alij neutro genere Phara nunc vocant.Sed Papinianum potius imitari volui, fœminino genere efferentem. *Lumina noctiuaga tollit Pharos æmula Lunæ.*Sed & Strabus Augienſis Abb.lib.2. vitæ Sancti Galli cap.34. fœmineo etiam vocat genere *cum Pharum*, inquit, *quæ ad altare Sancti Galli pendebat*. Pharos itaq; Eccleſiaſticas intelligo machinas quaſdam,aut fugeſtus,ad turris,ſiue colũnæ modum elatos,lucernis vndequaque inſtructos. A Pharo dictas,turri altiſſima,in Alexandria nocturnis luminibus portum nauigantibus demonſtrante. Habuere quidem antiqui *Lychnulos penſiles in delubris, aut arborum modo mala ferentium lucentes*, vt ait Plinius lib.34. cap.3.Lucernas quoque polymixas,ideſt plures habentes ellychnos. Vnde illud Martial.Apophoret.41.

*Illuſtrem cum tota meis conuiuia flammis,*
*Totque geram myxos,vna lucerna vocor.*

Sed noſtri ad columnam igneam reſpiciebant Ducem Iſraelitici populi, de qua Prudentius cathemer.5.poſt exitum Hebræorum ex Ægypto.

*Pendent mobilibus lumina funibus*
*Quæ ſuffixa micant per laquearia,*
*Et de languidulis fota natatibus*
*Lucem perſpicuo flamma iacit vitro.*
*Credas ſtelligeram deſuper aream*
*Ornatam geminis ſtare trionibus,*
*Et qua Phoſphoreum temo regit iugum;*
*Paſſim purpureos ſpargier Heſperos.*

Porrò Anaſtaſius, Luitprandus, ac cæteri Summorum Pontificum Biogra-

phi,

phi, Immò & noſter Ioannes Diaconus harum multiplicium lucernarum conceptacula memorant. Anaſtaſius in vita Hadriani Primi narrat, illum feciſſe Pharum trecentis ſeptuaginta ſupra mille, lucernis, in crucis forma conſtructum. Sic multiluca candelabra, ſiue Pharos à Conſtantino Magno in omnibus ferè templis in Italia extructis videre licuit, atque adeo, in hoc etiam Sanctorum Apoſtolorum. Vnde fortè manauit, vt vſque ad tempora Alphonſi Cardinalis Geſualdi Archiepiſcopi Neapolitani durauerit ea Phari in columnæ ſimilitudinem extructio: quæ poſtea à munditie venerandæ antiquitatis expultrice, aboleta fuit.

Pręterea, vt ſupra ex Anaſtaſio narrabam, Donum etiam obtulit huic Eccleſiæ. *Poſſeſſiones* multas. *Solidi* autem, qui ex eis annuatim percipiebantur, ſunt numero 673. Supputa enim ex Macharij poſſeſſione 150. Ex Cymbrana 150. Ex Selina 108. Ex Aſilas 140. Ex Nymphulas 90. Ex Inſula cum Caſtro 80: colligeſque numerum ſupradictum 673 ſolidorum: qui vicies quinquies multiplicati (nam Grutero, & Budæo docentibus, ſolidus aureus, argenteos, hoc eſt noſtrates carolenos viginti quinque valebat) ſummam faciunt ducatorum 1682. cum dimidio. Is igitur erat annuus Cõſtantinianæ huius Baſilicæ cenſus. Longè pluris ſolidos putat, & ſupputat Ciacconius in Syluestro: ſed præſtat in his Gruterum, & Budæum ſequi.

Ad hæc, dicitur ab Anaſtaſio, Conſtantinum feciſſe in hac Baſilica *Forum*: quod ego intelligo, non aliud, quàm *Aream* fuiſſe. Quippe ante Deorum ædes, quod in priuatorum ædificijs vocabatur *Veſtibulum*, in Tẽplis, *Area* ſolebat vocari. Ac non modo in vrbibus, ſed in Colonijs, atque Municipijs, areas ſacrarum ædium veſtibulis adiectas eſſe, oſtẽdit Inſcriptio ex marmore Neapolitano, apud VVolphangũ Lazium lib. 3. comment. Reipub. Romanæ cap. 2. Adde, quod nefas eſt dubitare etiam ante Conſtãtini ætatem, Neapolim, & Parthenopem Forum habuiſſe, ante ſcilicet Tẽplum Dioſcurorum. Aream itaque intelligo pro ſepultura: vt ibi fideles ſepelirentur. Non enim eo tempore licebat cadauer vllum inferre in Eccleſias: vt proindè haud abſurdè dixerim, oſſa illa permulta, quæ ad læuam Templi huius, dum noui Templi fundamenta iacerentur, reperta ſunt, & effoſſa, illic fuiſſe humata, quod locus ille ad aream Templi pertingeret. Et areas ſepulturis dicatas fuiſſe colligimus ex Tertulliano ad Scapulam. *Doleamus neceſſe eſt, quod nulla ciuitas impunè latura ſit ſanguinis noſtri effuſionem, ſicut & ſub Hilariano Præſide cum de areis ſepulturarum noſtrarum adclamaſſent. Areæ non ſint: areæ ipſorum non fuerunt*. Alluſione fortè ad meſſem, vndè ſubdit. *Meſſes enim ſuas non egerunt*. Videndus Pamelius Adnotat. ad epiſt. 68. Cypriani nu. 25. De areis extat apud Gruter. Inſcript. LXI. 3.

Ex Ioanne Diacono colligi poſſe videtur, à Sotere Epiſcopo hanc Baſilicam extructam: cum de eo, qui quinto Chriſti ſæculo vixit loquens, ait. *Hic Eccleſiam Catholicam BB. Apoſtolorum in ciuitate conſtituit, & plebem poſt S. Seuerum ſecundus inſtituit*. Sed alius eſt eorum verborum ſenſus, nempe Soterem Paræciam illi addidiſſe. Eandem enim phraſim vſurpat hic Auctor, cum de Paræcijs Sanctæ Mariæ Rotundæ, & Sancti Georgij loquitur, ſcilicet factas eſſe catholicas. Alioquin quænam alia erit Apoſtolorum Baſilica à Conſtantino Neapoli erecta, niſi iſta ſit? Cum prętere a cætera ſint cõſona: nimirum Forum, ſiue Platea, quæ hodieque extat, quamquam anguſtior, & facies antiqua Baſilicæ, quæ olim columnata, ad aliarum, quas Cõſtantinus Romæ, & alibi excitauit, ipſiſſimam formam. Viſebãtur illæ paulò ante

lò ante cinerei coloris lõgæ oppido,ac teretes: inter quas duæ cæteris maiores exalbidæ,atque ſtriatæ,abſidem vtrinque ſuſtinebant. In quibus erãt quoque Conſtantiniani operis indicia haud obſcura, auguſti ſcilicet illius labari X.& P.characteres,XPICTOY, hoc eſt, Chriſti nominis epitome, in ambarum ſupremo ſcapo prope periſtylium inſculpti. Nam & eæ colũnæ,quæ conſimili cum his notis A ☧ Ω erectæ ſunt,Conſtantini eiuſdem opus fuiſſe, docet Lipſius lib. 3. de Cruce cap. 16. & ex eo Roſuueydus ad Paulini natal. XII. Felic. pag. 865. Quamquam non ſim ego neſcius alios etiam Auguſtos Conſtantino poſteriores,ijs quoque notis vſos, vt palam eſt ex numis,& obſeruatione Cretſeri to.3.de Cruce lib.1.cap.9.10.& 11. Attamen nemo ex ijs legitur Neapolim veniſſe, aut ibi ædificia extruxiſſe per ea tempora,niſi Conſtantinus.

Hanc olim fuiſſe Epiſcopium, Petrus de Stephano affirmat pag. 21. Eamque primam omnium viginti duarum Parochiarum,quæ Neapoli ſua ætate erant,collocat,multoſque id opinari adiungit. Certè Cæſar Ragonius eiuſce Templi Abbas, ſenex optimus, ſæpius aſſeruit,id ex veterum ſcripturarum monumentis(quæ poſtea eo mortuo perierunt)ſe eruiſſe. De qua re nihil certi habeo. Immò haud veriſimile mihi videtur, aliud olim fuiſſe Neapoli Epiſcopion,quàm ipſam Saluatoris ædem, quæ hodie à D. Reſtituta nomen habet. Olim quippe Neapolitanæ Eccleſiæ Canonici, dicti ſunt Canonici D.Saluatoris. At nunquam reperio eos dictos fuiſſe Canonicos Sanctorum Apoſtolorum.

Non eſt autem prætereundum,in hac Eccleſia anno ſalutis 1555, primordia Chriſtianæ pietatis erga puellas de pudicitia ſua periclitantes,quę nũc in Parthenone Spiritus Sancti exercetur,iacta fuiſſe. Hic namque primum congregati ſodales,ad eiuſce charitatis officia exhibenda. Creſcente poſtea numero,ad D.Georgij abierunt. Inde ſuaſu F.Ambroſij Saluij ex Ordine Prædicatorum, Epiſcopi Neritini, Ædem Spiritus Sancti mirificè conſtruxerunt. Vide Engenium in Neapoli ſacra, in Æde ſacra Spiritus Sancti.

Demum vertente anno 1575, Noſtris Eccleſia iſta Sanctorum Apoſtolorum tradita fuit, conceſſu Philippi Caraccioli Marchionis Vici, ad quem ius præſentandi Abbatem ſpectabat. Paræcia in Metropolitanam tranſlata ex Diplomate Pontificio. Semel,atque iterum ea fuit à Noſtris in ampliorem formam extructa. Donec demum in eam, quæ hodie viſitur amplitudinem,& ornatum,opere mirabili ab ipſis fundamentis erecta. Idque Iſabellæ Carafæ Cerciæ olim Duciſſæ munificentia. Quod charta ipſa in loculo plumbeo incluſa,& in primario benedicto lapide appoſita,huiuſmodi verbis teſtatur.

*Anno Domini M.D.C.XXXVI. Indict. IX. Vrbani VIII. P.M. anno IV. Franciſco S.Euſtachij S.R.E. Diacono Cardinali Boncompagno Archiepiſcapo Neapolitano. Ferdinando II. Auſtriaco Imperatore, Philippo IV. Rege. Clerici Regulares antiquam Sanctorum Apoſtolorum Eccleſiam à Conſtantino olim extructam, & aliàs non ſemel reparatam, in ampliorem, & auguſtiorem formam inſtaurandam curauerunt: ad id opus, piè, & liberaliter legata pecunia ab Iſabella Carafa Duciſſa Cercia Maioris. Quæ terreno ſponſo viduata, ſua omnia Eccleſijs, & pauperibus, ſe verò ipſam Maria Magdalenæ aſſumpto nomine, Chriſto cæleſti ſponſo, in ſacro Monaſterio S.Mariæ de Sapientia, æterno connubio dedicauit.*

## *De Aede S. Ioannis Maioris?*
## *Sect. V.*

TEmplum hoc olim fuiſſe ab Adriano Auguſto erectum, ſcripſit Pontauus lib. 6. de bello Neapolitano his verbis. *Adrianus Auguſtus Templum in tumulo proximè portam, quæ ad mare ferebat, qui locus hodie quoque Portus dicitur, ædificauit miræ amplitudinis: idque poſtea collapſum, ab inſequentibus eſt Principibus inſtauratum*. Aſſentiuntur Donatus Acciaiolus, Orat. de laudib. Neapol. & Villan. in Chronic. cap. 48. Falcus, Stephanus, Summontius, Engenius. Ego verò motus ex ijs, quæ Lampridius in eius vita ſcripſit, nempe eum tandem erga Chriſtianos propenſo fuiſſe animo, & Templa Chriſto ædificaſſe, puto ab illo Templum hoc, non falſis Dijs, ſed vero Deo fuiſſe dicatum. Quod ſi prohibuit, Dei imaginem ibi exponi, diceret aliquis id ab eo factum, ne ethnici cenſerent Deum quoque Chriſtianorum eſſe ligneum, aut metalleum, niſi aliter conſtaret factum in Lateranenſi Baſilica, in qua argenteæ Chriſti imagines publicè expoſitæ fuerunt. Ergo ſi non vero Deo erectum fuit ab Adriano hoc Templum, Conſtantinus illud ſacrum fecit, & Diuino Numini dicauit.

Aliter ſcriptum reperitur in antiquo Codice M.S. dictæ Eccleſiæ his verbis. *Conſtantinus primus Chriſtianus Imperator, Neapolim maritimo itinere aduenlens, applicauit in regionem Sedilis Portus, vbi dicitur ad ripam: ibique fundauit Eccleſiam magnam in teſtudineo opere, & mirifico muſæo, & multo auro, & lapide porphyretico, alioque multifario lapide conſummato.* Et poſt pauca. *Eandemque Eccleſiam Sancti Ioannis præfatus Conſtantinus Imperator maximis prouentibus dotauit.* Quod ſi verum eſt, extructor ipſe dicendus eſt eius Templi. Et porrò id ſuadent, primo labari ſignum columnis Odæi inſculptum. Secundo, quod & Conſtantinopoli, & Romæ Ioanni Apoſtolo fecerit Baſilicas, veriſimile igitur eſt, id quoque & Neapoli feciſſe, vbi quæcumque Romæ fecerat, magnificentius voluit repræſentare. Templa ſcilicet, Fora, & alia. Tertio, pietas æredituorum eius Eccleſiæ: qui ad hæc vſque tempora, anniuerſario eius obitus die, quintodecimo ſcilicet Martij, ſacra pro eius anima faciunt.

Vnus tantum refragatur Ioannes Diaconus, omnibus, quos ſupra adduxi antiquior Scriptoribus: qui apertè tradit, Vincentium Epiſcopum, qui Neapolitanam Eccleſiam ſub Pelagio Romano Pontifice moderabatur, Ioanni Baptiſtæ præfulgidam, & amplam Baſilicam ædificaſſe: ſiue, vt eius verbis vtar *feciſſe*. Quæ certè alia, præter iſtam, de qua loquimur, eſſe non poteſt.

## *An alias Baſilicas Neapoli Conſtantinus extruxerit?*
## *Sect. VI.*

SEptem Eccleſiæ dicuntur à Villano extructæ Neapoli à Conſtantino: & multo plures ab alijs. Sed vide Villani erratum. Inter eas numerat Eccleſiam SS. Ioannis, & Pauli, qui poſt Conſtantinum à Iuliano Apoſtata martyrio decorati fuere. Dices, vndenam nomenclatio illa *Ioannis, & Pauli* tam antiqua ortum habuerit? Reſpondeo fortè à vulgo

græ-

græciſſaute, quando ſub græcis Principibus ciuitas degens, in multis græciſſare videbatur. Quod plerique obſeruarunt, ad hunc vſque diem cerni poſſe. Facilè itaque fuit ex *τῦ ἁγίυ παυλυ* facere, *Ioannis, & Pauli.*

Contra verò hanc ædicularum ſacrarum multitudinem, facit ipſa Conſtantini magnificentia. Secundo, quòd ſi Romam, & Bizantium excipias, nullibi plures ipſe duabus aut tribus erexerit. Tertio, quòd nulla fiat donorum Eccleſijs huiuſcemodi ab ipſo ædificatis mentio: quod tamen illi ſolenne erat, vt ex Anaſtaſio apparet. Quartò, antiquorum Scriptorum ante Villanum ſilentium. Quintò, quòd earum nonnullæ, alium ædificatorem habuiſſe dicantur: vt de Eccleſia Sancti Ianuarij ad Diaconiam, quæ à Ioanne Diacono in Chronico dicitur inſtructa ab Agnello 33 Epiſcopo Neapolitano. Sexto, quòd nulla extet memoria dictarum ædium ante Carolum Magnum, vt inductione patet. Dices, deperditis antiquis monumentis, traditio reliqua eſt, quæ id ſufficienter adſtruat. Benè, ſed qui factum eſt, vt omnium ſimul Eccleſiaſticorum illorum monumentorum facta ſit iactura? Adde, recipiendam eſſe traditionem, niſi Scriptoribus repugnet. Talis hæc vulgaris traditio. Recolendum hic eſt, quod ſupra dicebam: nimirum, tantam eſſe apud vulgus Neapolitanum de Conſtantini pietate, ac munificentia opinionem, vt nullam penè videat paulò antiquiorem Eccleſiam, quin eam à Conſtantino erectam dictitet.

## *De Aqua Neapolim à Conſtantino ducta,* *Sect. VII.*

SVbdit Anaſtaſius. *Fecit & formam aquaductus per milliaria octo. Forma*, hic aliud non eſt, niſi aquæ conceptaculum, ſiue tubus latior, è parietibus factus ducendæ ad ciuitatem aquæ. *Dictio*, inquit Sauarus ad epiſtolam V. lib. 1. epiſtolar. Sidonij. *Libratorijs, & aquarijs amica.* Vſi ſunt ea voce quamplurimi, Ioſippus Gorionis filius, ſiue eius interpres Hiſtor. lib. 1. cap. 2. Ammian. Marcellin. lib. 28. Symmach. epiſt. 33. lib. 10. Caſſiodor. lib. 3. epiſt. 21. & 31. Quin & Onuphrio referente, libello de VII. Eccleſ. vbi de Sancto Ioanne, quæ nunc Eccleſia Sancti Thomæ in Nauicella appellatur, dicta fuit olim *Forma Claudia*. Nimirum, quod ibi Claudius canales ſtructiles, & arcuatos ad aquam deduceudam erexiſſet. Erat autem Magiſtratus, cui cura Formarum commiſſa erat, qui dicebatur *Curator Formarum*, à Caſſiodoro epiſt. 6. lib. 7. Vel *Comes Formarum*, à Notitia Imperij. Vel *Aedilis Formarum*, in lapide Neapolitano apud Capaciũ lib. 1. cap. vltimo. A Forma retinet vſque hodie hoc nomen hæc aqua, diciturque. *Il Formale.* Limpida oppido aqua, placida, optima, per vrbem vicatim copioſè deducta. Cuius niſi fallor ampliſſimi aquæductus, Vibius ſequeſter illis meminit verbis. *Bebius Campaniæ fluuium emittens.* Adeo enim largiflua eſt ea forma, vt fluuium ducere videatur. Dignum profectò Conſtantino Magno opus, cui *Publica ſalus*, adeo cordi fuit, vt in numis quoque ea verba inſculpi voluerit.

*Per octo* deducta *milliaria*, iam ortum ſuum indicat aqua, è Veſuuio ſcilicet monte. Porrò quam fuerit hic mons aquarum ſcaturiginibus celebris, malo noſtro didicimus in immani eius vltima eruptione anni trigeſimi primi, currentis ſæculi ſextidecimi, cuius innumeros penè videre eſt luctuoſos narratores. Ipſos adire cuique facilè eſt.

# SS. FORTVNATI ET MAXIMI
## Neapolitanorum Epiſcoporum Geſta contra Arianos.

### CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

BEatum Præſulem Fortunatum, iam olim Campaniæ, Italiæque perſpectum, Thraciæ etiam, & Illyrico, celebrem fecit Conciliabulum illud Arianorum Philippopoli habitum, & poſtea eorundem veteratorum arte, Concilij Sardicenſis ſpecioſo nomine publicatum. Res ita acta eſt, narrantibus Athanaſio epiſt. ad Solitarium, & Apologia 2. & Socrate lib. 2. cap. 12. Sozomeno lib. 3. cap. 10. & Auguſtino 3. contra Creſcentium cap. 34.

Cum vigili induſtria, & auctoritate, Iulius primus Summus Pontifex, tandem obtinuiſſet, vt Concilium Generale celebraretur Sardices, ſiue Sardicæ Thraciæ vrbe, illuc anno Chriſti 347. conuenerunt trecēti ex Occidēte, & 70. ex Oriēte Epiſcopi. Quo cū Ariani etiā cōueniſſent, tribus ſtipati Comitibus, quorū magna erat dignitas, & auctoritas, & viderēt ſe omnino fore damnandos: & accuſatores eccleſiaſticè, ac legitimè adeſſe, ſuamet conſcientia prædamnati, in concilium ſe dare non ſunt auſi: ſed profugerūt Philippos, ſiue Philippopolim (vtroque enim vocabulo appellata eſt) vicinam Sardicæ vrbem. Ibi verò, vel hoc ipſo anno, vel, vt ego vna cum Binio arbitror, potius anno ſequenti 348 ineunte, ſeorſim cum ſuis Symmiſtis egere conciliabulum: quod vt auctoritatem acciperet apud lōgè diſſitas regiones, Sardicenſis vocabulo cohoneſtarunt, Synodalibus literis per Orbem ſparſis, quæ extant apud Hilarium in Fragment. & tom. 1. Conciliorum par. 1. collectionis Binianæ, calumniarum, & mendaciorum pleniſſimis. De quibus etiam Auguſtinus loco cit. Ea enim illi communicatione, Donatiſtas Schiſmaticos præcipuè, & alios quoſdam Epiſcopos Catholicos ſibi adiungere ſtuduerunt. Ponam hìc nomina tantum Epiſcoporum, ad quos ea impijſſima epiſtola directa eſt, quia inter eos recenſitus eſt noſter Epiſcopus, de quo loquimur Fortunatus. Mirorque vehementer quid ipſis in mentem venerit, vt ad Africanos præſertim Epiſcopos, id Decretum mittentes, Fortunatum etiam Epiſcopum Neapolitanum appellarint. Si diuinare fas eſt, ſuſpicor id ab eis fraudulenter factum. Quod fortè ſperarent, Fortunatum, qui recens factus eſſet Epiſcopus (iam enim Calepodius, qui in Sardicenſi Concilio fuerat, eodem anno obijſſe intelligendus eſt) fraudes ſuas, vtpote adeo eminus poſitū, minimè cogniturum: atque adeo fidem ipſis adhibiturū. Sed aliter accidit. Nam & in Africa, quāquam Donaſtitæ eos ſocios ſe habere gloriarentur, nihilominus à Catholicis Epiſcopis ſunt exploſi. Et in Italia à Iulio Papa, & ab Epiſcopis alijs

Ca-

Catholicis,fraus agnita eſt,ac detecta:atque Conciliabulum ſub falſo nomine Sardicenſis euulgatum,exhibilatum eſt. Quin etiam Epiſcopi Ariani,qui formulam fidei perfido vaframento compoſuerunt,damnantes quidem in ea aliquot dogmata Arianorum, ſed conſubſtantialitatis nomen in Dei Filio non recipientes,à legitimo Concilio Sardicenſi, ad vnum omnes exauctorati fuerunt,atque damnati.Quare ipſi ad Conſtantium eorum fautorem,& Ariana labe maculatum confugiunt,turbaſque adeo magnas per totum penè Orientem excitant, vt Sardicenſi Concilio neceſſe fuerit, placando Conſtantio,Legatos ad eum mittere Vincentium Capuæ,& Euphratam Coloniæ Agrippinæ Epiſcopos. Sed hæc fuſius narrata reperies apud Baronium to.3.Annal.ex antiquis Patribus,& Hiſtoricis iam dictis.

Redeo ad Fortunatum noſtrum. Epiſtola ſiue Decretum ab Arianis ad eum,alioſque Epiſcopos miſſum,ſic incipit. *Gregorio Alexandriæ Epiſcopo. Amphioni Nicomediæ Epiſcopo. Donato Carthaginis Epiſcopo. Deſiderio Campaniæ Epiſcopo. Fortunato Neapolis Campaniæ Epiſcopo. Eutychio Ariminiadeno Campaniæ Epiſcopo. Maximo Salonarum Dalmatiæ Epiſcopo. Syropoberuti, & omnibus per Orbem terrarum Conſacerdotibus noſtris Presbyteris, & Diaconibus, & omnibus,qui ſub cælo ſunt,&c. In Domino æterna ſalus.* Hæc pauca ſatis ſit excerpſiſſe ex illa longiſſima Epiſtola,ſiue Decreto pſeudoſynodi Philippenſis. Plura ſi ponerentur,non magis,quàm dicta,notum facerent Fortunatum.

Quamdiù autem poſt hanc ſibi datam Epiſtolam Fortunatus vixerit, certò ſtatui non poteſt. Id ſolummodò ſcimus,anno Chriſti 359, Maximũ, de quo mox,fuiſſe Neapolitanum Epiſcopum.

De Fortunati autem ſepultura,ſic Ioannes Diaconus. *Sepultus eſt foris vrbem quaſi ad ſtadia quatuor.* Deſcribere videtur his verbis Ædem, & Cœmeterium B.Ianuarij,propè quod dextrorſum ædificata olim fuit S.Fortunati Eccleſia,cuius meminerunt Ioannes Diaconus in Seuero Epiſcopo,& Anonymus Scriptor vitæ Sancti Seueri. Nunc diruta illa eſt, ibique extructa cernitur domus quædam Angriſanorum,vt tradit Capac. lib.2.Hiſtor.Neapol.cap.6.

Recenſent autem Fortunatum inter Sãctos,antiquiſſimi Codices tum Neapolitanæ,tum aliarum quarundam Eccleſiarum. Nempe Miſſale Neapolitanum,Kalendarium vetus,& Breuiarium manuſcriptum. Item Litaniæ in antiquo Rituali Neapolitano: Kalendarium Eccleſiæ Sancti Eligij. Prætereà Codex Longobardicus Breuiarij Caſinenſis nu. 196. Kalendarium præfixum Pſalterio cuidam Capuanæ Eccleſiæ apud Michaelẽ Monachum. Magno autem errore lapſus eſt Regius, qui Fortunatum hunc præterit,& quæ huic tribuenda ſunt, Fortunato ſecundo, qui vixit Gregorio primo Summo Pontifice tribuit. Cum ille iunior, à nemine Sanctus ſit appellatus:nec Sardicenſis Concilij tempus illi conueniat.

Cœterum Fortunatus iſte ſenior,& Sanctus, intra vrbem poſtmodum à Ioanne Epiſcopo tranſlatus eſt in Baſilicam Stephaniæ, ſiue Sanctæ Reſtitutæ,vt tradit Ioannes Diaconus his verbis. *Poſt longum tempus,populi patrocinia eius petentes,ab Eccleſia ſuo nomini conſecrata transferentes,per manus Pontificum,collocarunt in Eccleſia Stephaniæ,ad partem dexteram introeuntium ſurſum, vbi eſt Oratorium in capite Catacumbæ.* Aliquot poſt annis iterum tranſlatum fuit eius corpus à Stephania ad Eccleſiam Sancti Euphebij, quam hodie incolunt Patres Cappuccini:vbi nunc quieſcit, vna cum SS. Euphebio, & Maximo Epiſcopis. Vide,quæ nos,cum de Euphebio ageremus,diximus

Celebrabatur olim in Eccleſia Neapolitana S. Fortunatus die 14. Iunij, vt habent duo vetuſta Eccleſiæ Neapolitanæ MM.SS. paulò ante laudata.

At, quæ de ſanctiſſimo, & fortiſſimo Chriſti Confeſſore Antiſtite noſtro, non vocabulo ſolum, ſed geſtis etiam, Maximo, extabant, pauca iſta ab obliuione ſunt vindicata. Poſt infauſtam illam ſecundę Synodi Ariminenſis cataſtrophen, clademque Catholicis Epiſcopis, vi, ac fraude Arianorum illatam, cum Valens ad hoc Legatus, accepiſſet ab Imperatore Conſtantio, facultatem eijciendi, vexandique eos, qui impij eius Concilij formulis ſubſcribere recuſarent, exturbato iam vrbe Liberio Papa, occiſo à Marciani Proconſulis ſatellitibus Gaudentio Arimini Epiſcopo, cæteros omnes, eos etiam, qui iuſtis de cauſis non interfuiſſent Synodo, circumquaquę impius à Valente miſſus Legatus, aggreſſus eſt. Quos inter, Maximus Neapolitanus Epiſcopus, durum exilium ſubire coactus, in Zoſimum ſibi ab Arianis ſuffectum, contorſit anathema, diuino ſtatim Numine, memorãdo prodigio illud comprobante. Nam Zoſimo, quoties Baſilicam ingrederetur, & Sacra obire inſtitueret, lingua extra os ita protendebatur, vt retrahere illam, aut verba promere non poſſet, niſi Baſilicam, quam inuaſerat, egreſſus. Id cum illi ſæpè contigiſſet, ceſſit tandẽ Epiſcopatui, vt ſibi lingua reſtitueretur. Hæc è Marcellino de Schiſmate Vrſicini, & Damaſi: quod ego Opuſculum legi in Cod. M.S. Vaticano, & ex eo Baronius, alijque Eccleſiaſtici Scriptores.

Interea obſeruandum mihi videtur, de hac vi Catholicis illata Epiſcopis, qui Decretis impijs ſubſcribere recuſauerant, loqui Athanaſium lib. de Synodis, cum ait. *Cœperunt homines iſtarum Prouinciarum ſubſcribere, & aſtis per Conſtantium, quicumque auderent contradicere*. Veriſimile autem eſt, plures eos fuiſſe. Tulit ſanè, immò potius effudit ætas illa, ingentem numerum Epiſcoporum, virtute, ac eruditione præſtantium: *quos*, vt verbis vtar Ammonij, quamquam Ethnici, illorum temporum Scriptoris, *tenuitas edendi, potandique parciſſima, vilitas indumentorum, ſupercilia humi ſpectantia, perpetuò Numini, veriſque eius cultoribus, vt puros commendabant, & verecundos*. Ac vt Italiæ ſolius Præſules numerem, liquido patet, ad retundendam impij Cõſtantij duritiem, & in Catholicos diritatem, fuiſſe cœlitus miſſos, in primis Iulium Papam Sanctiſſimum, eiuſque ſucceſſores, Liberium, & Felicem: Euſebium item Vercellenſem, Luciferum Caralitanum, Euſtorgium, Protaſium, & Dionyſium Mediolanenſes: Ianuarium Beneuentanum eo nomine ſecundum, Seuerum Rauẽnatem, Rufinum incognitæ nobis Sedis Epiſcopum, eundemque Martyrem conſtantiſſimum, Maximum Lucenſem, Lucillum Veronenſem: & quos ſupra nominaui, Deſiderium Capuanum, & Euthymium Ariminiandenum, alioſque multos, vt credere eſt, Catholicæ Fidei in Synodo profeſſores. Ac noſtros denique Calepodium, Fortunatũ, & Maximum Neapolitana ſydera ſplendidiſſima.

Porrò ad quem locum miſſus ſit in exilium Sanctus Maximus, nuſquam reperire potui. Conijcio tamen ad Baleares Inſulas eum fuiſſe amandatum. Nam ſi Fl. Dexteri Chronico adhibenda eſt fides, eo ablegati ſunt alij multi Epiſcopi ab Arianis in Ariminenſi Conciliabulo damnati. Obijt autem Sanctiſſimus Chriſti Confeſſor Maximus, in loco exilij, vt apertè tradit Marcellini, & Fauſti Epiſtola ſcripta ad Auguſtos de Schiſmate Vrſicini. Sacrum eius corpus tranſlatum inde Neapolim, primo, vt Ioannes Diaconus tradit, in Eccleſia prædeceſſoris ſui Sancti Fortunati,

tunati, conditum fuit. Inde in Oratorio Baſilicæ Stephaniæ. Denique relatum fuit ad Euphebianam Ædem Patrum Cappuccinorum, vbi vna cum SS. Euphebio, & Fortunato, ſub aram maximam honorificè tumulatum iacet. De eo præter Neapolitanæ Eccleſiæ antiqua Kalendaria, tum Patricianæ Litaniæ, quæ poſt eius Monaſterij vetus Martyrologium ſcriptæ habentur, tum etiam Codex M. S. 196. Bibliothecæ Caſinenſis meminerunt. Feſtiuitas eius olim 2. Iunij agebatur.

✠

# DE
# S. RVFFINI
## Cruore dœmones torquente.

### CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

CIrca annum Domini CCCLIX. & Liberij Papæ VIII. ac Conſtantij Imperatoris XXII. Rufini Sanctiſſimi Epiſcopi, ob fidem Catholicam, quam Arimini conſtantiſſimè tutatus fuerat, martyrium incidit. In epiſtola Marcellini, & Fauſtini ſcripta ad Auguſtos de Schiſmate Vrſicini, eius ſanctitas, & inuicta fortitudo, paucis verbis exprimitur. Ibi quippe legitur, teterrimum Ariomanitem Epictetũ Pſeudoepiſcopum Centumcellenſem, ipſum, *miræ ſimplicitatis, & ſumma conſtantia Antiſtitem*, impiæ Arianorum formulæ ſubſcribere recuſantem, ante ſuam rhedam tãdiu currere coegiſſe, quouſque diruptis præcordijs, ſanguineque affatim effuſo, expirauit. *Sciant hoc*, dicitur poſtea ibi, *Neapolitani in Campania, vbi reliquia cruoris eius, in obſeſſis corporibus, dæmones torquent*.

Cuius ciuitatis, Rufinus iſte Epiſcopus fuerit, Aut, quænam Eccleſia olim habuerit, aut nunc habeat ſacrum eius cruorem dœmonibus formidabilem, prorſus ignoro. Suſpicor tamen, Centumcellenſem eum Epiſcopum fuiſſe. Ideoque adeo in eum ſæuijſſe Epictetum. Nimirum, quòd in eius locum ab Arianis eiecti, ipſe ſuffectus fuiſſet. Sicuti & Neapoli in Maximi locum, Zoſimus ſubrogatus fuiſſe legitur. Niſi opinari potius libeat, hunc fuiſſe illum Rufinum Epiſcopum Africanum, qui Concilio Sardicẽſi affuit. Vbi tamẽ, neque cuius Eccleſiæ Epiſcopus fuerit, dicitur. Porrò, Sardicenſe Concilium quod anno 347 celebratum eſt, parũ diſtat ab Ariminenſi, anno 359 celebrato. Potuit itaque idem Rufinus, vtrobique adeſſe. Id equidem probabile exiſtimo. Nam, quòd in Regno Neapolitano fuerit ille Epiſcopus, difficultate non caret. Duo quippe Rufini reperiuntur in his Prouincijs olim Epiſcopi, ſanctitatis titulo celebrati. Capuæ alter, alter Canuſij. Capuanus, vixit poſt ſexcenteſimum Chriſti annum: vt ex Epiſcoporum eius Vrbis Catalogo conſtat. Canuſinus autẽ, circiter quingenteſimum. Nam reperitur ſubſcriptus Concilijs aliquot ſub Symmacho Papa coactis. Et in ſerie Epiſcoporum Canuſinorũ, apud Grimaldum in Vita Sancti Rogerij Cannenſis Epiſcopi, præcedit Sanctum Memorem, S. Sabini prædeceſſorem. Iam verò S. Sabinus, circa annum 548 congreditur cum Totila Rege, à quo in conuiuium eſt adſcitus. Summa eſt. Horum Rufinorum tempora, non congruere cum Synodo Ariminenſi. Itaque, alibi quærendus eſt Rufinus iſte Epiſcopus, de quo loquimur.

Nec etiam animo meo ſedet, id quod nonnemo ſuſpicatus eſt: Rufinum ſcilicet iſtum, eſſe Rufum Martyrem, de quo vetus M. S. Kalendarium Miſſali Neapolitano præfixum, ſic habet 27 Auguſti. *Sancti Rufi Martyris Neapoli.*

*Neapoli* Primò,quia iſte,Rufinus vocatur,ille Rufus. Deinde, iſte Epiſcopus,& Martyr,ille verò ſimpliciter Martyr dicitur. Poſtremò,cum ea die Romanum Martyrologium duos habeat Rufos Martyres, alterum Sancti Apollinaris diſcipulum, alterum Carpophori collegam, vtrumque verò Capuæ peculiariter celebratum, Librarij fortè aſſumentum fuit,Kalendarium Neapolitanum ſcribentis,illud,*Neapoli*. Aut enim nihil debebat addere,aut *Capua* potius, quàm *Neapoli* ſcribere.

Hæc dicta ſint,occaſione verborum Marcellini,& Fauſtini. *Sciunt hac Neapolitani in Campania, vbi reliquia crueris eius, in obſeſſis corporibus dæmones affligunt.* Sed cum maximo animi mœrore,quod incerta nobis nũc ſit Epiſcopalis eius ſedes. Incertuſque locus, vbi ſacer hic eius cruor, energumenos ſæuis liberans tortoribus,olim fuerit aſſeruatus.

Similem iacturam paſſa eſt memoria S.Aretæ,& Sociorum Martyrũ, de quibus in Faſtis Eccleſiaſticis die 24. Octobris. Cùm enim eorum admiranda geſta,è græco traduxerit Athanaſius Dux,& Epiſcopus Neapolitanus, Sancti Athanaſij nepos, & impij Sergij frater, quorum extat apud Nos fragmentum è M.S.Cod.Capuano,ſubolet mihi coniectura, aliquas extitiſſe Neapoli horum Martyrum reliquias: & fortaſſe ædem aliquam ſacram de Aretæ nomine nuncupatam. Alioquin,quid Neapolitano Athanaſio non admodum probo Præſuli,imò diu ſchiſmatico,cum Sanctis Arabiæ? Et quidem ſcio olim propè ædem Sanctæ Mariæ in Coſmedin,extra mœnia ciuitatis(quæ tunc circuibant Eccleſiam S.Seuerini) fuiſſe Monaſterium S.Aretæ. Hodieque extare beneficium eccleſiaſticum, Eccleſia illa iam prophanata, ſub Archiepiſcopi Neapolitani collatione, cuius cultus exercetur in Altari quodam Archiepiſcopalis Templi. Suſpicabitur aliquis fortè hoc eſſe celebre illud Monaſterium S. Hiridiani propè Neapolim,ex quo,teſte Beda lib.4.Hiſt.Anglic.c.2.& lib.5.cap.21.iuſſu Vitaliani Papæ eductus eſt Abbas Hadrianus Afer, doctiſſimus & ſanctiſſimus vir:atque in Angliam miſſus,ibique inuitus factus Epiſcopus. Sed tunc pro *Hiridiani*, reponendum eſſet, *Aretiani*. Firmior ergo eſt, quam primo loco dixi,coniectura.

✠

# DE
# S. SEVERO
## EPISCOPO,
## ET CONFESSORE.

### CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

AB Anonymo ſcriptore, qui apud Nos extat M.S. Vitã Beati Seueri habemus. Is videtur antiquior Sicone Principe Beneuentano,& tranſlatione ab eo Beneuẽtum facta ſacri corporis S.Ianuarij, dum de Baſilicis ab eo ædificatis agens, ait. *Hic fecit Baſilicas quatuor. Nam & corpus Beati Ianuarij Martyris,& Sacerdotis, ipſe ſepeliuit manibus ſuis, in Eccleſiam foris portam Ciuitatis huius, milliario vno, quam eius nomine conſecrauit, in qua nunc requieſcit vſque ad præſentem diem.* Ergo nondum abſtulerat Ianuarium Sico Princeps. Dicata eſt autem Vita, *Domino illuſtri,& fratribus omnibus in Chriſto.* Ex quibus verbis conijcio, dicatam fuiſſe Stephano Neapolis Epiſcopo, & Duci, qui floruit ante annum Chriſti 800. Nam anno 790 tranſtulit Linterno Neapolim corpora SS. Fortunatæ V.& Fratrum eius Martyrum. *Fratres* autem cõſequenter vocat Canonicos Cathedralis Ædis. Porrò cum dicat in fine prologi, hæc ſe narraſſe ad informandos eos, qui Vitam Beati Seueri carmine pangere meditabantur, an vnquam prodierit eiuſmodi poemation, ignoramus. Hæc de Auctore Anonymo.

Qui tamen de genere Beati Seueri, ne verbum quidem. At ego ſtatuo eum Seuera gente prognatum. Quam certè Neapolitano olim florente Senatu, publicis functam eſſe honoribus, tradit vetus lapis apud Gruterũ, & noſtratem Summontium Hiſtor. Neapol. tom. 1. pag. 113. In quo legitur Criſpus Seuerus, vna cum Penonio Scapla Manneio legitimè præfuiſſe Senatuſconſulto ſcribundo. Floruit autem ea proſapia non ſolum Neapoli, atque in Campania, ſed etiam in Lucania, quę Campanię propemodum eſt finitima. Nam Fl. Vibius Seuerus Imperator, qui opera Ricimeris anno Chriſti 467 Maioriano ſucceſſit, Lucanus fuit, teſte Sigonio lib. 14. de Imperat. Occid. Huius verò cognomen illud, Vibius, Capuę etiã, ac Neapoli percelebre fuit. Denique Seueri Conſules quinque neque plures, neque pauciores à Caſſiodoro notantur: exque ijs, duo vltimi, Seuerum Antiſtitem noſtrum tempore ambiunt. Nam D. Licinius Seuerus, vna cum Fl. Lunio Rufino Conſulatum geſſit anno 14 Imperij Conſtantini Magni. Hoc eſt, Chriſti Domini 324. Sequenti verò ætate, Fl. Seuerus vna cum Fl. *Ior*dano Conſul fuit, Anthemio Imperante anno Chriſti 470. Lege Panuinij Faſtos. Ex hac autem ſtirpe, Seuerum noſtrum duxiſſe originem, nihil eſt, quod vetet opinari. Quin etiam, ob id fortaſſe Symmachus Conſul clariſſimus, idemque Orator diſertiſſimus, epiſtola ad eum ſcripta, quam infra

dabimus,fratrem eum appellat:vtpote Conſulari genere prognatum. Hæc de genere.

Neapoli verò eum eſſe natum, arguit interpunctio veteris Eccleſiæ Neapolitanæ Kalendarij,vbi legimus,die 30.Aprilis. *Seueri Epiſcopi Confeſſoris,Neapolitani*.Scripſit autem Surgent.Neapol.illuſtrat.lib.1.c.12. ipſum è familia Carminiana fuiſſe.Quocirca,qui ex ea,valuas Templo Sãcti Seueri, quod nunc Fratres Minores incolunt, proprio ære collocandas curarunt,aut ſepulchrum ſibi illic ſtatuerunt, gentilem ſuum eum appellant.Quod ſi ita eſt,vt Surgent.aſſerit,& ex eo Capacius in Orat. de Diuo Thoma Aquinate,gratulabor huic nobiliſſimæ familiæ: quòd genus ſuum à Seueris,de quibus ſupra, poſſit deducere.

Is itaque,vbi non minus virtute,& eruditione, quàm ætate adoleuit, Beato Maximo in Præſulatu Neapolitano ſucceſſit. Licet autem Ioannes Diaconus in Chronico,Zoſimum quendam inter Maximum, & Seuerum interſerat,attamen quia illegitimus ille fuit,& ab Arianis per vim intruſus in Neapolitanam Sedem, lupus ille à legitima ſerie, ſocietateque Paſtorum,modis omnibus abigẽdus eſt.Electum verò exiſtimo Seuerum à Clero Neapolitano, more maiorum, & frequenti populo, ipſi nobili conciui ſuo probatæ vitæ teſtimonium prebente.Quem itidem ritum in electione Epiſcoporum,qui Seuerum præceſſerunt, fuiſſe ſeruatum, facilè mihi perſuadeo. Quippe qui meminerim, antiquiſſimis Eccleſiæ ſanctionibus conſtitutum,vt eligente Clero,& teſtificante populo,idonei viri ad Epiſcopatum aſſumerentur.Conſt.Apoſtolic.lib.8.Concil.Nicæni,& Conſtantinopolitani apud Theodoretum lib.5.Hiſt.Eccleſ.cap.8. & Tit.de electione apud Gratianum. Qui ritus etiam poſt Seueri ætatem,diu Neapoli viguit. Quòd ſi aliquando Ducum aliquot tyrannide violatus eſſe legatur,Pontificis Romani auctoritate, vis omnis repreſſa fuit, ac legitimi Paſtores ſuo gregi reſtituti fuere.

Quo antem tempore Beatus Seuerus creatus ſit Epiſcopus, & quamdiù ſedem tenuerit,non poteſt ſignatè definiri. Nam quod Anonymus,& ex eo Ioannes Diaconus in Chronico, & Regius ſcribunt, fuiſſe totos annos quadraginta ſex,videlicet à tempore Syluestri Papæ,vſque ad Damaſi Pontificatum, id quidem falſum eſſe enidenter euincitur. Quia eo tempore,quod inter Syluestrum abijt,& Damaſum, præter Seuerum, quatuor figere oportet Epiſcopos Neapolitanos,non autem ſolum Seuerum,vt Diaconus inſcitè facit. Conſtat enim ex ijs, quæ, cum de Conſtantini Magni Neapolim aduentu ageremus,ſcripſimus,Coſmatem tunc fuiſſe Neapolitanum Epiſcopum. Calepodius item anno 347, Apoſtolica Iulij Papæ legatione functus eſt in Concilio Sardicenſi, vna cum Vincentio Capuano, & Ianuario Beneuenti Epiſcopo. Adrian.PP.in Compend. Canon. apud Canis tom.6.Antiq.Lection. Deinde Fortunatus iam Calepodio ſucceſſerat,cum ab Arianis Epiſcopis in Pſeudoconcilio Philippopolitano coactis,celebrem illam epiſtolã,de qua nos in Fortunato,accepit.Maximus denique creatus fuit Epiſcopus Neapolitanus, diu ante Damaſi Pontificatũ. Quippe qui eiectus ab Arianis è Sede ſua fuerit Liberio Pontifice: nempe eo ipſo anno 359,quo Ariminenſe Conciliabulum, Catholicos Epiſcopos vel violenter exagitauit, vel fraude circumuenit. Damaſus autem factus eſt Romanus Pontifex extremo penè anno 367. Quatuor ergo iſti Præſules intra Syluestri,& Damaſi Pontificatum figendos eſſe,certum eſt.

Interea Seuerus, maximum cum Ambroſio Mediolanenſi inijt amici-

tiæ fædus. Conſtat id ex Ambroſij epiſt.57. lib.7. Quam,cum Campaniæ littora,eiuſque amænitates dilaudet, non grauabor integram hic aſcribere. *Ex vltimo Perſidis profectus ſinu Iacobus frater,& Compresbyter noſter, Campaniæ ſibi,ad requieſcendum littora & veſtras elegit amænitates. Aduertis quibus in locis, quaſi ab huius mundi vacuam tempeſtatibus, ſuppetere ſibi poſſe ſecuritatem præſumpſerit,vbi poſt diuturnos labores,reliquum vitæ exigat. Remota enim veſtri ora littoris non ſolum à periculis,ſed etiam ab omni ſtrepitu, tranquillitatem infundit ſenſibus, & traducit animos à terribilibus, & ſæuis curarum æſtibus, ad honeſtam quietem. Vt illud commune omnium ſpecialiter vobis videatur congruere,& conuenire,quod ait Dauid de ſanctis Eccleſijs.* Ipſe ſuper maria fundauit eam, & ſuper flumina præparauit eam. *Etenim liber animus à barbarorum incurſibus, & præliorum acerbitatibus,vacat orationibus,inſeruit Deo,curat ea quæ ſunt Domini,fouet illa,quæ pacis ſunt,& tranquillitatis. Nos autem obiecti barbaricis motibus,& bellorum procellis,in medio verſamur omnium moleſtiarum freto:& pro his laboribus,& periculis grauiora colligimus futura vitæ pericula. Vnde de nobis propheticum illud concinnare videtur.* Pro laboribus vidi tabernacula Æthiopum. *Etenim in iſtius mundi tenebris,quibus obumbratur veritas futuræ perfectionis, cum iam annum tertium,& quinquageſimum iam perduxerim,in hoc corpore ſitus,in quo tam graues tamdiu cum ſuſtinemus gemitus, quomodo non in tabernaculis Aethiopum tendimus, & habitamus cum habitantibus Madian? Qui propter tenebroſi operis conſcientiam diiudicari etiam ab homine mortali reformidant. Spiritualis enim diiudicat omnia,ipſe autem à nemine diiudicatur. Vale frater,& nos dilige,vt facis,quia nos te diligimus.* Scripta videtur hæc epiſtola anno Chriſti 386, quòd quidem ſic colligo. Certum eſt eam ſcripſiſſe D.Ambroſium anno ætatis ſuæ, vt ipſe ait, quinquageſimo tertio. Is vero figendus eſt ad annum Chriſti 386. Nam obijt Ambroſius Cæſario, & Attico Coſſ. Hoc eſt, anno Chriſti 397, ingreſſus annum ætatis ſexageſimum quartum, vti Baronius diligenter ſupputat, ac demonſtrat. Ex quo habemus,ſcriptam eam eſſe tribus annis antequam ad Concilium Capuenſe Ambroſius concederet, quo tempore Neapoli tranſiſſe,& Seuerum inuiſiſſe,haud obſcuro argumento probari poteſt. Nõ enim quis perſuadere ſibi poterit,eum hac tranſeuntem,Seuerum non viſiſſe. Tanto magis ſi etiam Ambroſius inter illos Epiſcopos fuerit, ad Capuenſe Concilium accedentes, qui itinere maritimo, ſe illuc contulerunt: quod ipſe inſinuare videtur ad Theophilum ſcribens,epiſt.1.lib.10. *Fruſtra ergo tantorum Sacerdotum labor:*&c. *Iterum vexabuntur Sacerdotes ſenes. Iterum tranſfretabunt maria;* &c.

Is certè per ea tempora fuit Suerus,vt non ſolum Ambroſio, cæteriſque Chriſtianis viris, notiſſimus & laudatiſſimus fuerit, ſed ipſi etiã Symmacho,homini ethnico,& Chriſtianis alioqui infenſo,qui Reipublicæ Romanæ anno 391,vna cum Tit.Fabio Tiriano Conſulatum geſſit. Tantam vim habet vera virtus.Id ex epiſtola Symm.51.lib.7.patet,quæ tota eſt in Seuero laudando.*Habeant,*inquit,*fortaſſis alij commendationes meæ,interpretationem benignitatis, Iſta iudicij eſt. Trado enim ſancto pectori tuo, Fratrem meum Seuerum Epiſcopum,omnium ſectarum atteſtatione laudabilem, de quo plura me dicere,& deſperatio æquandi meriti & ipſius pudor non ſinit. Præterea teſtis non laudatoris partes recepi,tibi reſeruans morum eius inſpectionem Quam cum penitus expenderis,reperies me ceſſiſſe potius eius laudibus quàm per negligentiam defuiſſe.* Vides,vt probitas Seueri, commẽdabilem illum etiam ethnico homini fecerit?Simile quid in Tabulis eccleſiaſticis habemus ad XII.Kalen.Maias de

Sancto

Sancto Theotimò Epiſcopo. *Quem ob inſignem eius ſanctitatem, atque miracula, etiam infideles barbari venerati ſunt*. Nouiſſe verò potuit Seuerum Symmachus, & cum eo amicitiam inijſſe, quo tempore Neapoli vir ille clariſſimus manſit. Nam aliquoties huc diuertiſſe apertè ſignificat lib. 7. epiſt. 24. & lib. 8. epiſt. 27. ac 10. epiſt. 3. & diutius ſe in his oris immoratum, ipſemet dixit epiſt. 32. lib. 2. *Inter Campaniæ terminos, maior mihi pars ætatis agitabitur: quando, & præſentia illius placet, & ea conditio eſt Patriæ Romę, vt qui excludi per impios poſſumus, abijſſe interim velut ex noſtro arbitrio debeamus.* Quæ ſcripſit eo tempore, quo ob vini penuriam, adeo in eum tunc vrbis Præfectum, Romanus populus concitatus fuit, vt pulcherrimam eius domum, in Transtyberino tractu incenderit: quod Ammianus Marcellinus lib. 27 tradit. Neapoli item & domum ſibi extruxiſſe teſtatur in epiſt. 59. eiuſdem libri 2. Ac Baijs, & Puteolis, Villas, & Prætoria, epiſt. 9. & 67. lib. 6. Sed cur, dicet aliquis, Symmachus, Fratris titulo cohoneſtat Seuerum Chriſtianum Epiſcopum? Dixi ſupra, fortè id eum feciſſe, quòd Seuerus ex Conſulari eſſet genere. Addo, quia & ipſe Symmachus Pontifex erat, quamquam ethnicæ ſuperſtitionis. Adi epiſt. 41. & 45. lib. 1. Similiter Celſinum Titianum Antiſtitem, fratrem vocat pluries, & Clementem, fortè Cæſarienſem. Item amicum quemquam, ætate, amore, ac ſtudio parem, fratrem appellare ſolet. Denique, mos fuit Ethnicis minus malis, hoſtili quidem animo perſequi Chriſtianorum doctrinam, probare tamen eorum ſynceritatem, ac innocẽtiam admirari. Tertullian. in Apologet. *Ita plerique in odium chriſtianæ religionis impingunt, vt bonum alicui teſtimonium ferentes, admiſceant nominis exprobationem. Bonus vir Caius Seius, ſed malus tantum, quòd Chriſtianus. Item alius. Ego Lucium ſapientem virum, repente factum Chriſtianum deſero.*

Probabile eſt, Seuerum noſtrum Concilio Romano II ſub Damaſo celebrato interfuiſſe, cui interfuiſſe Petrum Patriarcham Alexandrinum, teſtis eſt Sozomen. lib. 6. cap. 24. in quo Petri primatus confirmatus eſt: & Capuano, ſiue Capuenſi ſub Siricio, in quo Beatæ Mariæ perpetua virginitas, aduerſus Bonoſum hæreſiarcham, Heluidij præcurſorem, vindicata eſt: de quo Concilio Ambroſius agit epiſt. 78. & 79. lib. 10. & Baronius tom. 4. Annalium, anno Chriſti 389.

Celeberrima facta eſt Seueri ſanctitas ex mortuo reſuſcitato, ita vt in Faſtis eccleſiaſticis id ab illo patratum miraculosè, his verbis fuerit conſignatum. *Pridiè Kal. Maij, Neapoli in Campania, Sancti Seueri Epiſcopi: qui inter alia admiranda, mortuum de ſepulcro excitauit ad tempus, vt mendacem creditorem viduæ, & pupillorum, falſitatis argueret.* Viſitur adhuc ſepulcrum, vnde ille exſuſcitatus fuit, cum ſua inſcriptione ad poſterorum memoriam. Quod certè mirum, & inuſitatum miraculum, in cauſa fuit, vt Seuero adiungeretur in Encomium. *Mortuorum reſuſcitator*. Legi ego in quodam vetuſtiſſimo inuolucro paginarum, litteris Longobardicis exarato, quod aſſeruatur à Monialibus Sanctæ Mariæ de Aluino, Ritus in commendatione animæ: vbi has orationes fundit Sacerdos. *Domine, peto vt aſſiſtant ei omnes Apoſtoli Domini noſtri Ieſu Chriſti, Petrus, Paulus, &c. Et omnes Martyres tui, Stephanus, Laurentius, Ianuarius Soſius, Maximus, Apollinaris: & cæteri omnes. Deprecor vt Domina mea Virgo Maria Chriſti Filij tui Domini noſtri genitrix, ores pro te cum his, & cæteris Sanctis tuis, Martino, Nicolao, Aſpren, Seuero. qui reſuſcitauit mortuos, Agrippino, Athanaſio, Fortunato, Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, &c.*

Dabis mihi veniam Lector, vt dum miraculum narro, annotatiunculas aliquas addere poſſim antiquitati illuſtrandæ. Balnearor pretium lotionis

tionis ab eo, qui lotus fuerat, petijt, quod erat oui vnius. Hic mihi obſerua ab Anonymo Scriptore ſcriptum eſſe *Obum*. Antiquitus enim ſic ſcribebatur, ſicut *Bixit, Inbictus, Seberus, Octabius*, vt in vetuſtis inſcriptionibus apud Gruterum legitur B littera vicem *V* ſubeunte. Porrò, quod ouum pretium lotionis fuerit, id ex vſu Neapolitano erat. Nam alibi, non ouum, ſed quadrantem exigebant. Iuuenal. Satyr. 2.

*Nec pueri credunt, niſi qui nec dum ære lauantur.*

Et Sat. 6. *Cedere Siluani portum, quadrante lauari.*

Horat. lib. 1. Sermon. Satyr. 3.

*---Dum tu quadrante lauatum,*
*Rex ibis.*

Petit ille tempus ad ſoluendum: impetrat, ſed ſolutionis obliuiſcitur, & moritur. Creditor aſſerit ſibi à defuncto deberi ſolidos aureos centum. Hoc eſt, ducatos ducentos quinquaginta noſtrates. Singuli quippe ſolidi aurei, valebant 25 denarios, vti ex Dione hiſtorico, & Plinio apertè colligit in ſuo Nomenclatore Iunius. Denarius autem tanti erat, quanti apud nos carolenus argenteus. Negat vxor debitum. Creditor Iudicem interpellat: qui ſententiam dicit, vt aut ipſa debitum ſoluat, aut creditor illam habeat cum filijs ſuis in ſuo ſeruitio. Exactione illa duriſſima, cuius meminit & S.S. 4. Reg. 4. Eſai. 50. Matth. 18. Traditque Plutarchus in vita Solonis, ab illo ſancitum, licere parentibus, qui decoxiſſent, aut aliqua alia preſſi eſſent calamitate, ſuos filios vendere. De qua re extat in Cod. Theodoſ. lex 2. C. de Patribus, qui filios diſtraxer. lib. 4. Idipſum habet Dionyſ. Halicarnaſſ. Antiquitat. Roman. lib. 2. Immò A. Gellius lib. 20. cap. 1. refert ex lege XII. Tab. ſecari licuiſſe creditorum arbitratu, debitorem eum, qui ob pecuniam debitam, adiudicatus addictuſque eſſet pluribus. Denique (quod ad ætatem Beati Seueri pertinet) piè, diſerteque lamentatur Sanctus Ambroſius lib. de Tobia cap. 8. quòd ſuis ipſe oculis vidiſſet, *Miſerabile ſpectaculum, liberos pro paterno debito in auctionem deduci: & teneri calamitatis hæredes, qui non eſſent participes ſucceſſionis. Et hoc tam immane flagitium non erubeſcere creditorem. Inſtat, vrget, addicit.* Sed fœmina humano deſtituta auxilio, diuinum implorat per Seueri interceſſionem. Is tintinnabulo populum in Eccleſia Epiſcopij Saluatoris noſtri congregari iubet (ea eſt, quæ Sanctæ Reſtitutæ dicitur) Inde ad cryptam deuenerunt, vbi ſepultus erat prætenſus debitor, & in qua Sarcophagum ſibi Sanctus Epiſcopus ſtruxerat. Fūduntur preces. Adiuratur defunctus, exſuſcitatur. Negat ſolidorum debitum, ſed oui vnius tantum fatetur. Ruſſus quieſcit. Mendax verò creditor lapidibus certè obrutus fuiſſet, niſi miſericors Epiſcopus obſtitiſſet. Simile quid poſtea Staniſlao accidit Cracouienſi Epiſcopo, coram Boleſlao impio Rege. Vti in eccleſiaſtico Officio legimus.

De Seueri obitu, hæc Anonymus. *Conuocari iuſſit ante ſe cunctum Clerum ſuum, &c.* Ex more ſcilicet Epiſcoporum, aliorumque, Chriſtiani ſiue religioſi cætus Ducum. Sic Martinus, ſic Ambroſius, ſic Auguſtinus, ſic Paulinus. Vt vix vnum reperire ſit, qui ſpiritum Deo reddiderit, non præſente Clero. Tenuit hic mos noſtra etiam tempora. In his duo Pauli, ambo è noſtro Clericorum Regularium Ordine. Alter Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopus, Paulus ſcilicet IV. P. M. qui Cardinalium Collegium allocutus, inde ſermonem adorſus eſt. *Viam vniuerſæ carnis ingredimur.* Alter S.R.E. Cardinalis, de Aretio nuncupatus, Archiepiſcopus Neapolitanus: qui cum à Canonicis ſuis extrema ſacramenta recepiſſet, illos ad Eccleſiæ cultum, ac

cætera,

cætera,quæ eorum decerent ſtatum exhortatus fuit. Addit Anonymus,affuiſſe in eius obitu Ianuarium, & Agrippinum, quos ille vocauit fratres. Interrogauit enim, *Vbi ſunt fratres mei*? Et cum de Diaconibus interpretati eſſent,qui adſtabant,ipſe de Sanctis id dixiſſe, reſpondit, qui morienti ſibi opitulatum aduenerant. Ipſiſſima verba,quæ Vranius vſurpauit in vita Sãcti Paulini. Denique,vt in eiuſdem Paulini obitu,ipſo moriente cõtremuit cubiculum,minimè nutante cætera domus parte.

*Hic Beatiſſimus Seuerus*,ait Anonymus, *prius foris vrbem iacuit in Eccleſia, quam ſuo nomine conſecrauerat. Nunc verò requieſcit in ea ipſa Eccleſia intra mœnia conſtituta,quam alij Seuerianam,alij,propter Oratorium ibi factum, Sanctum Georgium vocant*. Romæ quoque ab aliquibus denominatæ ſunt Baſilicæ ipſis etiam viuentibus,quòd ab ipſis extructæ fuiſſent. Sic Baſilicæ Liberij, & Damaſi, ipſis adhuc viuentibus,ea de cauſa dictæ ſunt. Ab Vmberto de Monte Aureo Archiepiſcopo Neapolitano, anno 1310, ex priuato loco, ſubtus altare conditum fuit,vbi nũc requieſcit. Feciſſe eum Baſilicas quatuor,ab eodem Anonymo aſſeritur,nempe prædictas duas, & Beato Martino Epiſcopo,ac Potito Martyri.

Quiſnam fuerit Seueri ſucceſſor,ab Anonymo docendi ſumus. *Vrſus nomine Archidiaconus, ac nepos eius, qui poſt tranſitum ipſius Epiſcopus eſt ordinatus*. Succeſſit ergo ei Vrſus,non Vrſicinus ille ſchiſmatis Auctor, & Romanæ Sedis violentus inuaſor, vt affinitate vocum decepti ſcripſerunt Anaſtaſius,& ex eo Platina in vita Damaſi. Sed,vt dixi,Vrſus nepos,quod Ioãnes Diaconus in Chronico, & illo antiquior Anonymus iſte tradiderunt: quoſque ſequuti ſunt Baronius,ac Binius. Porrò Vrſicinum illum,ſiue Vrſinum,non fuiſſe Epiſcopum Neapolis liquet: Tum quòd nihil eiuſmodi habeat Marcellinus tractatu de hoc ſchiſmate,alioqui, vt veriſimile eſt,nõ taciturus hanc honorificam Neapolitanæ Sedis dignitatem collatam ſuo Pſeudopontifici (nam & ipſe Vrſicini ſequax fuit) Tum etiam quia legitur hic ipſe Vrſicinus poſt ſedatum ſchiſma, quod conflauerat, relegatus in Galliam. Ac præterea,quia idem reperitur negotium faceſſiſſe Siricio,poſt decem & octo annos,hoc eſt, poſt obitum Damaſi, vt habetur ex litteris Theodoſij Imperatoris Papiniano Præfecto ſcriptis, anno Chriſti 385, quas Baronius recitat. Vnde patet,in quot diaphonias incurrant,qui Vrſum cum Vrſicino confundunt. Adde his,Vrſum poſt quatuor ſolummodo annos Epiſcopatus obijſſe ſub Damaſo, vt ex Ioannis Diaconi Chronico clarè colligitur, vbi narrat adhuc viuente Damaſo ſucceſſiſſe Vrſo Ioannem Epiſcopum. At verò Vrſicinus Siricio quoque,vti dictum eſt,obſtitit. Denique Seuerus aliquanto poſt annum Chriſti *395* exceſſit è viuis. Nam alioqui non potuiſſet Ædem Sancti Martini nomine ædificare,qui obijt eo anno. At Damaſi ſchiſma cum Vrſicino exarſit anno *367*, quo vel Maximus,vel Seuerus ipſe Sedem tenebat Neapolitanam. Quiſnam igitur tunc Neapoli locus Vrſicino?

Celebrẽ fuiſſe Seueri cultũ,etiã extra Neapolitanã diœceſim, colligo ex vetuſto quodã Kalendario M. S. præfixo Pſalterio cuidã Capuanę ciuitatis,in quo hęc legũtur. *Pridiè Kal. Maij,Seueri Epiſcopi,& Confeſſoris*. Surrẽti quoq; in eius honorem fuiſſe extructam cellam,ſeu ædiculã ſacrã, colligitur ex Leone Oſtiẽſe lib. 1. c. 59. dũ ait,Ioannẽ Ducẽ XXVII Neapolis, eã conceſſiſſe Monachis Caſſinẽſibus. Floruit is Dux anno Chriſti 933. Ex quo Leonis loco colligit Capacius lib. 1. pag. 161. & lib. 2. pag. 537 Duces Neapolitanos,aliquando etiam Surrento imperaſſe.

ADVEN-

# ADVENTVS SANCTAE MELANIAE Ac aliorum trium Diuorum Neapolim.

## CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

O Quanta Neapolis felicitas fuit. Quandoquidem eodem anno,& die, illam, quatuor inſignes nobilitate, & probitate Diui,non vnico tantùm,ſed iterato etiam hoſpitio bearunt.Hi fuere Albina, & vir eius Anonymus: Melania præterea iunior, cum Piniano marito. Mitto inter hos recenſere ſeniorem Melaniam: quippe quam, eo tempore, Origenis erroribus infuſcatam fuiſſe,Hieronymo teſte ſcimus,& ingemiſcimus. Porrò S.Melaniæ iunioris,eiuſque viri Piniani Geſta,fusè deſcribunt Palladius, & Metaphraſtes. Ex his ego,& ex Paulini epiſt.X.atque ex Hieronymi Apologia, & epiſtolis aliquot,ea quæ in rem noſtram faciunt, breuiter colligam.

Anno Chriſti CCCLXXII.Melania ſenior matrona nobiliſſima,Roma diſceſſit, abijtque in Ægyptum primùm, deinde Hieroſolymam, poſtquam Romæ,vt B.Hieronymus ſcribit,ſiccis oculis ſepeliſſet virum ſuum, ac alios filios, vno tantum ſuperſtite, quem Præfecto Vrbis educandum reliquit.Eadem poſt vigintiquinque annorum peregrinationem (proh nefas!) imbuta iam à Didymo hæreſibus Origenis, redit Romam. Specie quidem admonendæ neptis,Melaniæ iunioris,ne,quæ poſt nuptias,ſæculo abrenunciare vellet, cuiquam malæ vitæ, & prauæ fidei, incauta adhæreret.Re vera autem,vt, vna cum Rufino, & Symmiſtis ſuis, Origenis errores,nefario vaframento circumtectos, vulgatis περὶ ἀρχῶν, quos ſecum habebat,libris,Romanæ Eccleſiæ obtruderet.Anno igitur CCCXCVII.Cæſario,& Attico Coſſ.à Palæſtina diſcedẽs, ipſa licet ſexagenaria,intra dierum viginti ſpacium,Romam peruenit. Sed antea,Neapolim Campaniæ appulſam,ibique à ſuis propinquis honorificè exceptam,his verbis S.Paulinus ab eo Nolæ inuiſus,ad Seuerum ſcribit epiſt.10.*Reliqua nunc eius* Melaniæ *negotia, ac tempora tranſibo: & hoc ipſum, quo remeans nauigauit,vt curſum ipſius æmuler,transfretabo: quo citius ſermonem meum, in eius ad nos aduentu exponendo determinem. In quo,magnæ Dei gratiæ ſpectator fui. Neapolim vrbem, breui ſpatio à Nolana, qua degimus ciuitate diſtinctam,* fortè diſtantem,*aduecta eſt. Vbi filiarum, nepotumque occurſu excepta, mox Nolam ad humilitatis noſtræ hoſpitium feſtinauit, ditiſſimorum pignorum vallata comitatu. Vidimus gloriam Domini in illo matris,& filiarum itinere quidem vno, ſed longè diſpari vultu:macro illam, & viliore aſellis burico ſedentem,tota huius ſæculi pompa,qua honorati,& opulenti poterãt. Circumflui Senatores proſequebantur carrucis nutantibus, phaleratis equis, auratis pilentis. & carpentis pluribus,gemente Appia,atque fulgente. Sed ſplendoribus vanitatis,præfulgebat Chriſtianæ humilitatis gratia*. Hæc,& alia Paulinus:ignorans

certè,

certè,eam per id tempus, ſub magnæ ſanctitatis fama, Origenis erroribus confouendis ſtuduiſſe. Quam tamen ex congreſſu cum Auguſtino in Africa,& cum Hieronymo in Oriente, (vt ille epiſt.225. hic epiſt.79. aſſerunt) ad extremum reſipuiſſe,& piè in Fide Catholica deceſſiſſe, valdè probabile faciunt laudes,quibus idem Paulinus,nec non & Auguſtinus,eam etiam mortuam exornarunt.

Cœterum filios, nepoteſque Melaniæ ſeniori occurrentes, quos hic dicit Paulinus,Albinam nurum,Melaniam neptem, & huius virum Pinianum,atque Anonymum eius filium intelligo. Probabile quoque videtur, etiam alios quoſdam illi ſanguine coniunctos adfuiſſe. Voluſianum ſcilicet,Melaniæ ſenioris filium,iunioris patruum:& aliquem fortaſsè alium. Nam plurali numero vtitur Paulinus,cum paulò inferiùs ſcribit. *Illi ſericati,& pro ſuo quique ſexu,togis,aut ſtola ſolitis ſplendeſcere fiij, craſſam illam velut ſpartei ſtaminis* Melaniæ ſenioris *tunicam, & vile palliolum gaudebant manu tangere:& veſtimenta ſua velleribus,auro,& arte pretioſa pedibus eius ſubſternebãt.* Et paulò ſuperius. *Illam*, Melaniam,*circumfluis ſenatores proſequebantur.* Ergo non vnus,aut duo tantùm,ex eius genere Senatores,& Summates viri,ſed complures, Melaniæ poſt tot annorum circulos redeunti occurrerũt Neapoli,eamque Nolam proſequuti ſunt,ac poſtea Romam.

Verum,vtramque Melaniam,vna cum Albino, & Piniano, atque Anonymo Melaniæ ſenioris filio,Neapolim anno 408. remeaſſe,dicendum eſt. Quo videlicet tempore,Roma iterum diſceſſerunt, Siciliam, & Africã, ac denique Ieroſolymam petituri. Quas, & Neapoli expectare oportuit dies aliquot,donec Sicula,& Africana nauigatio pararetur. Solenne quippe erat ex Vrbe Orientem, aut Meridiem verſus nauigaturos, Neapolim petere,atque ex ſuo littore,nauem ſoluere. Vt pluribus exemplis à nobis aliàs fuit probatum.

Ex Palladio lib.8. cap.119. præterea,liquet apertiſſimè, ſanctos coniuges Pinianum, & Melaniam iuniorem, huiuſque matrem Albinam, aliquando in noſtræ Campaniæ agris,quos hic latiſſimos habebant, habitaſſe, religioſam vitam ducentes. Quod tamen, vnus Baronius negat anno 419. num.120. *Habebat autem*, inquit Palladius, *ſecum quoque* Melania *matrem Albinam,quæ ſimiliter exercetur,& ſimiliter rurius,ſeorſum diſpergit ſuas pecunias. Habitant itaque in agris,aliquando quidem Siciliæ,aliquando verò Campaniæ, cum Eunuchis quindecim,& virginibus,& ancillis. Similiter autem Pinianus quoque eius quondam maritus,nunc autem in opere virtutis adiutor vnanimis: qui exercetur cum triginta Monachis,& legit diuinas Scripturas,hortoque colendo eſt intentus, & congreſſionibus.*

Idem quoque Palladius,de agris, quos in Campania habebat Sancta Melania,ac de immenſis eius diuitijs,quas in vſum Eccleſiarum,& pauperum,ac ſine dubio, etiam earum quæ in his oris noſtris erant, diſtraxerat, ita ſcripſit. *Vigeſimo ergo ſuæ ætatis anno, mundo renunciat. Et primum quidem, omnia ſua ſerica ſuperhumeralia tegumenta,dedit altaribus. Reliqua autem ſerica indumenta, cum conſcidiſſet, res diuerſas fecit Eccleſiaſticas. Argentum autem, & aurum, cum credidiſſet cuidam Paulo Presbytero Monacho, id per mare miſit ad Orientem. Atque Ægypto quidem, & Thebaidi, decies mille nummos. Antiochiæ autem,& eius partibus,nummos decies mille, Palæſtinæ, nummos decies mille diſtribuit. Eccleſijs autem quæ ſunt in Occidente, & Monaſterijs, et Xenodochijs, & omnibus egentibus,per ſeipſam ſuppeditauit,& ſuppeditat, bis quadruplo plura.* Liberauit

*rauit autem ſeruorum, qui voluerunt, octo mille. Reliqui enim noluerunt, ſed maluerunt manere cum fratre eius. Omnes autem poſſeſsiones, quas habuit in Hiſpania, & in Gallia, & in alijs ciuitatibus, cum vendidiſſet, eas ad tres vſque nummos diſtribuit. Quæ autem habebat in Sicilia, Campania & in Africa, ſibi reliquit: vt ſuppeditare poſſet Monaſterijs, & egenis. Hæc eſt ſapientia in primis religioſæ, & quæ maritum ſenilem ſuſceperat, de pecuniæ materia Melaniæ iunioris. Hæc autem erat eius exercitatio. Poſt diem vnicum comedebat: in principio autem poſt quinque: variè ancillis ſuis ſeruiens: quas etiam ſecum vna reddidit exercitatrices. Iam verò ipſa quoque, multos ex ſuis cognatis ducens ad zelum diuinum, fecit vt ſimiliter, atque ipſa, religioſè Deum colerent. Hæc eſt vita iuuenis Melaniæ per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Hactenus ex Palladio lib. 8. Vit. Patr. Qui plura volet, Metaphraſten adeat apud Surium rom. VI. Lippeolum, cæteroſque Sanctorum Patrum Biographos.

✠

# CARTHAGINIENSIVM CONFESSORVM
# Neapolim appulſio.

## CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

QVæ omnibus Catholicis in VVandalica perſecutione cruciatis communia ſunt, primum explanabimus: deinde quæ ſingulis propria.

*Sect. I. VVandalicæ perſecutionis initium, & eiectorum numerus.*
*Sect. II. Quando Sancti Confeſſores in Campaniam per uenerint: & quænam loca inſederint.*
*Sect. III. De Sanctis Quoduultdeo, & Habetdeum.*
*Sect IV.* De S.*Gaudioſo Epiſcopo Bythinenſi, & Gelaſia Papa.*

### *VVandalicæ perſecutionis initium, & eiectorum numerus. Sect. I.*

HIſtoriam huius perſecutionis complexus eſt Sanctus Victor Vticenſis Epiſcopus, in Faſtis Eccleſiaſticis collocatus die 23. Auguſti. Scripſit autem anno Chriſti 487. feruente adhuc perſecutione, qua & ipſe ſublatus creditur. Cuius initium ex Baronio Notis ad diem 28. Octobris, figendum eſt ad annum Chriſti 439. Qui ſubdit, circa annum 440. Sanctos Epiſcopos claruiſſe confeſſione: vtpote qui maluerint ex Africa eijci, quam impietati cedere. Sed Proſper in Chronico ſtatuit initium perſecutionis, & eiectionis Epiſcoporum, anno Chriſti 437. Aetio, & Sigiuulto Coſſ. Nimirum, biennio ante captam Carthaginem, quæ capta eſt, eodem Proſpero teſte, anno Chri 487. Theodoſio 17. & Feſto Coſſ.

Impij conſilij, exponendi SS. Confeſſores fractis nauibus, atque certo naufragio, auctor fuit quidam Ariſtodemus nomine: ſeu, vt alij Codd. habent, Adamantius, qui in vita S. Caſtrenſis ſic Tyrannos affatur. *Hos ſi ignis cremauerit, puluis, qui ex eis remanſerit, terram maculabit. Si verò gladius extinxerit, cruor eorum quocumque in rure ceciderit inficiet. Nunc ergo conſilijs meis acquieſcite, & huius ſectæ hi, qui tantum exiſtunt auctores, vt etiam Imperatorum animos ad iracundiam prouocent, ità funditus perdere ſtudeamus, vt nec veſtigium eorum in terra inueniatur. Sint in paſtum marinis belluis: & tumulus eorum imputetur profundum abyſſi. Comparetur vetuſtiſſima nauis, quæ non ſolum nauigantibus vtilitatem non habeat, verum etiam nec exiguam partem, ex qua compactæ detineantur tabulæ bitumen retineat: in qua nec aliqua pars ſolaminis inueniatur, abiectis tropis, et antemnis, omni ſolatio viduata clauorum: ſic fiet vt vix per pauciora ſpatia æquoris*



*ambu-*

*ambulantes, à pelagi abſorbeantur faucibus*. Sed impij conſilij mercedem accepit, non multo poſt vindicem Dei manum ſentiens, membris ſcilicet omnibus contractus, reddituſque gibboſus, ita vt toto incuruus corpore, terræ velut inhæreret. Beatrice quoque eius vxore, altero preſſa languore. Vtriuſque autem morbi, tunc vis deſæuijt, cum ipſe perquiſito per Orbem Caſtrenſe, qui vnus fuerat ex extorribus, atque ad eius pedes prouolutus, ſibi, & vxori abſenti, media Epiſcopi oratione ſanitatem impetrauit.

Fuiſſe eiectorum numerum ferè innumerum, ſuadet primo Beda, qui in ſuo Martyrologio, teſte Molano, Notis ad diem 28 Nouembris, alios fuiſſe hoc tempore exilio mulctatos tradit, & nomina prodit: quę nimirum sũt, *Valerianus, Vrbanus*, Creſcẽs, *Habetdeũ, Euſtachius, Creſcenius, Creſcẽtianus, Felix, Hortulanus, & Florentianus.* Ad hæc, Clerus omnis Carthaginenſis, Epiſcopum ſuum Quoduultdeum ſecutus eſt: idque ex magna eius in omnes Epiſcopos Africæ auctoritate. Nihil enim eo inconſulto ipſis facere licebat, ex Canone 20. Concil. Africani. Quantus autem eſſet numerus Cleri Carthaginenſis, docet Victor lib. 3. cum de Eugenio agit. *Tunc etiam Eugenio Paſtore, iam in exilio conſtituto, vniuerſus Clerus Eccleſiæ Carthaginis cæde inediaque maceratus, ferè quingenti, vel amplius: inter quos quamplurimi erant Lectores infantuli: qui gaudentes in Domino procul exilio traduntur*. Anonymus autem Scriptor vitæ S. Caſtrenſis, quamuis duodecim tantum nominet, nempe *Roſſum, Secundinum, Priſcum, Heraclium, Benignum*, (quem fortè quod binomius eſſet, Adiutorem appellat Martyrol. Roman. Kal. Septembris) *Elpidium*, Marcum, *Agreſtum*, Canionem, *Vindemium, Caſtrenſem, & Tammarum*. Subdit tamen: *Repente ſuperueniſſe innumeram multitudinem Chriſticolarum*. Conſonat Victor. *Senatorum, atque honoratorum multitudinem, primo exilio crudelis contriuit.* Tanta ergo eorum fuit multitudo, vt vna eos nauis, qua duodecim illi Præſules impoſiti fuerant non caperet, ac proinde alias etiam *fractas naues* Beati Chriſti Confeſſores repleuerint.

## *Quando Neapolim aduenerint, & quanam loca inſederint. Sect. II.*

M*Aius cum menſis impleretur à Kalendis*, inquit Scriptor vitæ S. Caſtrenſis, *peruenerunt in Campano littore*. Feliciſſimum ergo Ver, frequens illa Sanctorum turma Neapoli noſtræ, & Campaniæ attulit. Idque contigiſſe reor anno ſalutis 437. vel 438. cum ſcilicet Noſtrianus Neapolim Epiſcopus regeret.

Vniuersè quamplurimos à Geiſerico in Italiæ Prouincijs fuiſſe crudeliſſimè vexatos, teſtatur Victor extremo libri primi. *Quæ verò in Hiſpania, Dalmatia*, Calabria, *Apulia, Sicilia, Sardinia, Brutijs, Lucania, Epiro vel Hellada geſſerit, melius ibi ipſi qui paſsi ſunt miſerabiliter, lugenda narrabunt.* Vbi aduerto, in ea Prouinciarum enumeratione, haud fuiſſe Campaniam præteritam: nomine enim Apuliæ comprehenſa videtur, cuius fines adeo longè lateque producuntur apud quoſdam Scriptores, vt & partem Samnij, & Campaniam totam comprehenderit. Sic Martyrologium Romanum ponit Orthonam Pelignorum populorum ciuitatem in Apulia. Sic Gulielm. Malesburienſ. lib. 3. de Regibus Angliæ, *Guitmundus*, inquit, *Epiſcopus Auerſanus Apuliæ*. Quid hiſce Confeſſoribus in tam diuerſas partes abactis acciderit, neſcimus.

Noſtri

Noſtri certè *peruenerunt in Campano littore*, ait Biographus Sancti Caſtrenſis,& Neapolis intelligenda eſt,iuxta Romanum Martyrologium VII & V Kal. Nouembris, & Victorem Vticenſem, cuius hæc ſunt verba lib. 1. *Quos Dominus miſeratione bonitatis ſuæ,proſpera nauigatione Neapolim Campaniæ perducere dignatus eſt ciuitatem*. Et Scriptor ille Anonymus,qui nulla facta Neapolitani littoris mentione, duodecim illos Diuos, ad loca quemque propria,quæ Chriſtus illis ſtatuit pro ſalute credentium,& ſignatè D.Caſtrenſem Sueſſam perueniſſe ait,non de primo nauis appulſu,cum videlicet Neapolitanum littus tenuerunt, iſta dixiſſe cenſendus eſt, ſed de diſtributione inter eos diuinitus poſtea facta variorum Campaniæ Oppidorum. Idque profecto ſignificare videtur,cum paulò poſt ſubdit, *exindè*, hoc eſt, ex littore vbi primum appulſi fuerant, *perrexerunt ad loca propria, quæ illis Chriſtus ſtatuit pro ſalute credētium*. De Beato Caſtrenſe,& alijs per Campaniæ loca diſperſis loquens. Nam quod ad Quoduultdeum, & Gaudioſum attinet,iſti Neapoli manſerunt,hicque domicilium fixerunt.

In Michaelis Monachi ſententiam non abeo,exiſtimantis, omnes illos duodecim,quorum S.Caſtrenſis meminit,Epiſcopos fuiſſe. Refragatur enim Romanum Martyrologium, cum Victore,dum tradunt illos è Clero Carthaginenſi fuiſſe. Neque dicendi ſunt poſt expulſionem ea dignitate fuiſſe inſignitos:quippe cum non eſſent eo tempore, tam inſignia Oppida, quæ poſſent Epiſcopum promereri. Neque traditio vlla ſit,vnde elici poſſit,Acerris,Caluio, aut cæteris finitimis locis,aliquem ex his datum Epiſcopum.Porrò honorifica illa nomina,quæ vſurpat Caſtrenſis, poſſunt etiā Diaconibus, & Presbyteris pro Catholica Fide ſede ſua pulſis conuenire. Cæterum Sanctos illos,vel ſolitudinis amore,vel plebi Dei in fide nutriēdæ, peculiaria aliqua loca ſibi ſelegiſſe, eaque beneficijs cumulaſſe, quæ poſtea eorum quoque lipſanis fortaſſe fuerunt dotata,ſuadet frequens Pagorum ab ipſis Nomenclatio. Capuæ enim,& tertio à Neapoli milliario, pagi ſunt nomine *Sancti Secundini*,appellati:vulgò,*Secondigliano*. Inter pagos Auerſæ, eſt Sanctus *Adiutor*, corruptè S.*Attoro*, S.*Priſcus* pagus eſt Capuæ,ſunt & alij alibi. Sic Tiberius Capreis,duodecim villas duodecim Deorum nominibus honeſtauit.Tacit.lib.4.Annal. Et plura ſuppetūt exēpla ſacra in Gallia,& Germania.

## *De SS.Caſtrenſi, Quoduultdeo, & Habetdeum.* *Sect.* III.

Vitam S. Caſtrenſis carmine conſcripſiſſe Laurentium Monachum Caſſinenſem,ex Petro Diacono, lib.de Viris illuſtr.Monaſt.Caſſinenſ.cap.6.refert Baronius 2.Februarij. At nos,Ioannis Altalemaniæ Calabri diligentia illam habemus.Multa ille præfatus eſt ad Ludouicum de Torres Montis Regalis Archiepiſcopum, poſtea S.R.E. Cardinalem,eo tempore,quo Sacellum magnifici operis exornauerat, in quo corpus illius honorificè condiderat, eccleſiaſticaque ſuppellectile inſtruxerat, atque Indulgentias Apoſtolica auctoritate concedi curauerat. Ex antiquiſſimis autem membranis eam edidit, quamquam mendosè ob Codicum inopiam,malens vtcumque illam ſciri,quam penitus ignorari.

Porrò Anonymus vitæ huius Auctor, quam Baronius legit (fortè ex Codice

Codice Capuano, in quo eam haberi ſcripſit Michael Monachus, qui & Scholijs eam illuſtrauit) videtur niſi fallor fuiſſe Synchronos penè ipſi Beato Caſtrenſi. Nam longiuſculè à fine profitetur ſe, quæ de B. Epiſcopi admirabili luce dixit, qua diuinitus perfuſus eſt, paulò ante obitum audiuiſſe, *à quibuſdam Sacerdotibus, qui digni huic reuelationi interfuiſſe creduntur.* Quocirca adduci haud poſſum, vt credam, adeo antiquum Scriptorem, in conſignandis ſui penè temporis Imperatoribus; tam craſſe hallucinatum, vt pro Genſerico, vel Hunnerico VVandalorum Regibus, Valentem, & Valentinianum obtruderet. Abeo equidem in Baronij ſentētiam, cui & Monachus ſubſcripſit, arbitrantis Caſtrenſem, alioſque eius Socios, non ad Valentem, qui Orienti ſolummodo præfuit, neque ad Valentinianum eius fratrem, qui tametſi Occidentem, & Africam rexit, Catholicus tamen fuit, & nullam neque in Africa, neque vſpiam alibi in Catholicos perſecutionem mouit, pertinere. Atque adeo manifeſtum, & immane metaconiſmū, non Auctori vitæ huius ego tribuerim, ſed alteri cuipiam ſciolo, caput equinum humano corpori ineptè iungenti. Et verò, qui veteres de Sanctis hiſtorias legere ſolent, non rarò eiuſmodi malè ſartos centones, ſi oculati fuerint animaduertent. Patet autem hoc vitæ initium exemptile eſſe, & nullo orationis damno tolli poſſe. Adempta itaque inſulſa, & aliena iſagoge illa, quæ vſque ad illa verba, *Horum itaque* protenditur, & mutato Imperatorum in Regum, ſiue Principum vocabulo, vel etiam non mutato, tota planè hiſtoria ſine vlla ſalebra ἀνιστορίας excurret. Neque verò eruditum Lectorem, pluralis Regum numerus morari debet. Sciet enim ex Poſſidio Calamenſi Epiſcopo in vita D. Auguſtini, non ſolum VVandalorum, ſed etiam Alanorum, atque Gothorum exercitus ex Hiſpania in Africam irrupiſſe. Quocirca vel harum gentium Reges, vel certè, Duces Imperatorum nomine Biographus iſte ſignificat. Et hæc de S. Caſtrenſi.

Quod attinet ad Sanctum Quoduultdeum, circa nomen eius, ſciendū familiare eſſe Afris ex pluribus dictionibus ſibi nòmina componere. Sic dictus quidam *Spes in Deo* in Nouell. Iulian. anteceſſor. *Seronatus, Cito natus,* leguntur apud Ennodium Ticinenſ. *Beneſeruatus, & Habetdeum,* apud Binium Notis ad Concil. Sinueſſan. tom. 1. fol. 185.

Huius tamē nomē effertur à Victore lib. 1. indeclinabile. *Epiſcopū Carthaginis Deo, & hominibus manifeſtū, nomine Quoduultdeus.* Sic Habetdeū lib. 3. *Alio autem noſtro Epiſcopo Habetdeum ſimiliter relegato.* At Auguſtinus, alijque non pauci, eiuſmodi nomina declinare malunt: quos ſequitur Martyrologium Romanum, in quo legitur die 26. Octobris. *Eodem die Sancti Quoduultdei Epiſcopi Carthaginenſis.* Apud Italos etiam id nomen legitur in Epitaphio Sancti Victorini apud Baron. 15. Aprilis. *Iubente Deo Chriſto noſtro, Sancto Martyri Victorino, Quoduultdeus de ſuo fecit.*

Meminit Quoduultdei Beda in Martyrologio 28. Octobris, & ante ipſum Auguſtinus. Fuit enim eius Cōdiaconus. Poſtea vterque Epiſcopus; ille Carthaginenſis, hic Hipponenſis. In epiſtola præfixa Operi Auguſtini contra Iulianum dudum reperto, atque Pariſijs edito anno 1617. ex manuſcript. Codd. ſtudio Claudij Menardi, hæc epigraphe præfigitur. *Domino ſinceriter dilectiſſimo fratri, & Condiacono Quoduultdeo, Auguſtinus Epiſcopus.* Eius itidem vt & Gaudioſi meminit Petrus Damianus Opuſc. 19. de abdicatione Epiſcopatus, quamquam inefficaciter. Hi enim nequaquam Epiſcopatu ſe abdicarunt, ſed expulſi ſuis ſedibus fuerunt. Diuerſus autem hic noſter

Quod-

Quoduultdeus eſt, ab eo, cuius meminit in vita S. Fulgentij Mapheus. Eius conſtantiam pluribus celebrat Victor lib. 1.

Obijt Quoduultdeus die 26. Octobris, vt eſt in Tabulis eccleſiaſticis: anno 454, iuxta Capaciũ: qui tamẽ vnde id hauſerit neſcio: ſepultuſque eſt in cœmeterio, quod poſtea Sancti Gaudioſi fuit appellatum. Habuit in Epiſcopatu ſucceſſorem Deogratias, vt ex Victore colligit Baronius ad diem 22. Martij. In vetuſto quodam Kalendario Eccleſiæ Neapolitanæ lego. *XIX. Februarij, Sancti Quoduultdei Patroni Neapolitani Epiſcopi.*

Quoduultdeo ſociant aliqui *Habetdeum*. Hunc fuiſſe Teudalenſem Epiſcopum teſtatur Victor lib. 1. Neapolim eum appulſum, & hic ſanctè defunctum, ac ſepultum opinor. Nam in Æde Sanctæ Reſtitutæ hoc extat Epitaphium. *Hic requieſcit in pace Sanctus* Abbas *Habetdeum, poſitus VII. Idib. Maias. Anthemio* III. *Coſ.* Puto ſculptorem erraſſe in Conſulatu Anthemij, & pro III reponendum eſſe II. Nam is Auguſtus nonniſi duos geſſit Conſulatus. Incidit vero ſecundus anno Chriſti 468. Illud tamen me ab opinione diſtrahit, quod Abbas hic vocetur. At verò cum Abbas Patrem ſignificet, poteſt & is titulus etiam Epiſcopo tribui. Et quia alia exempla tædet me exquirere, vnum, idque valde antiquum, & graue nunc profero ex liturgia S. Gregorij Nazianzeni pag. 44. *Memento Domine illorum, qui laborant in verbo veritatis, in rectitudine: præſertim vero Patriarchæ noſtri venerabilis Abba noſtri N.* hoc eſt, Patris noſtri Epiſcopi. Sic enim τὸ Abbas exponit Victorius Scialac Maronita eruditiſſimus, teſtaturque ſic declaratum altero græco Codice. Verum cum aduentus exulum ponatur anno Chriſti 437, mirum eſt de annoſo iſto ſene, magnæque ſanctitatis viro, tam altum ſilentium in eccleſiaſtica hiſtoria haberi. Aliorum ergo iudicia expectemus.

## *De Sancto Gaudioſo Epiſcopo Bythinenſi, & Gelaſio Papa. Sect. IV.*

FVIſſe Gaudioſi aduentum Neapolitanæ ciuitati proficuum, oſtendit inprimis ipſa ſacrarum reliquiarum per ipſius induſtriam, in eam aduectio. Nam exulum exemplo, cariora, & pretioſiora ſecum deferre voluit. Fuiſſe autem vniuersè omnium Africanorum Præſulum conſuetudinem, ex ea regione abactorum, Sanctorum lipſana ſecum ferre, etiam de ijs, qui in Sardiniam relegati ſunt, ſcripſit Baronius Annal. 6. an. 504. his verbis. *Nobilitata eſt tunc planè Inſula illa, inter Beatas tunc verè connumerãda, tot coronis Sanctorum* Epiſcoporum, *illuſtrium Cõfeſſorum, ditataque ſacris, & venerandis reliquijs, ab ipſis ſecum allatis, digna tantis vectoribus ſare-na.* At peculiariter, de his, qui Campaniæ ora attigerunt, idem tradit XXV Martij de Matrona Virgine, & Martyre, & VI Octobris de Marcello, Caſto, Æmilio, & Saturnino Martyribus. Suſpicor idem poſſe dici de Sancto Satyriano Martyre fixo in Tabulis eccleſiaſticis ad diem XVI Octobris, qui in eadem Geiſerici perſecutione teſtimonium Chriſto dedit. Erat enim olim in Regione Nidi, Ædicula Sancti Satyriani nomine dicta. Cuius memoria, & cultus ad Altare maius Cathedralis Eccleſiæ poſtea fuit tranſlatus. Suſpicor itaque, vel totum corpus, vel inſigniores reliquias huius Martyris ab exulibus confeſſoribus huc fuiſſe allatas. Si tamen eius confeſſio ante ho-

rum

rum exilium contigit. Mirandum itaque non eſt, ſub antiquis altaribus Ædicularum ſacrarum Neapolis, multoties repertos fuiſſe vrceos rubro ſanguine, ideſt exiccato Martyrum cruore plenos: vt in altari Sancti Ioannis ad Portam, & Sanctæ Mariæ Vertecælum ad Sedile Capuanum, atque alibi.

Verum pretioſum Protomartyris Stephani cruorem, à Gaudioſo huc fuiſſe aduectum, conſtans eſt omnium opinio, traditione, & veteribus monumentis roborata: cui ſubſcribit Baronius Notis ad diem 3. Auguſti. Eius porrò venerandas reliquias, primus omnium ad oras Occidentales detulit Oroſius Presbyter Hiſpanus, per ea tempora in Hieroſolymam peregrinatus. Deperdita poſtmodum eorum memoria, Luciano Presbytero diuinitus reuelatæ ſunt, vt ipſius litteræ teſtificatæ ſunt, adeo vt in eccleſiaſticis Faſtis eiuſmodi factum ſit conſignatum. Neapoli autem alterius Luciani induſtria detectus fuit. Res ad hunc modum contigit. Anno 1561. cum Altare Gualandæ familiæ dirueretur in ea Sancti Gaudioſi Eccleſia, in altera vrnarum ſub eo repertarum, phiala erat vitrea, ſanguinis, vt videbatur, plena: cuiuſnam autem Martyris eſſet, nullo extante ſcripto, ignorabatur. Tunc Canonicus Neapolitanus Lucianus nomine, qui ad reliquiarum veritatem indagandam cum Archiepiſcopo Surrentino Neapolitano Vicario, alijſque Canonicis aderat, manu phialam apprehendens, non abſque interno impulſu exclamare cæpit. *Video cælos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* Viſuſque eſt ſanguis ebullire, & liqueſcere: quo ſigno compertum eſt, Stephani eſſe ſanguinem, cuius ea fuere verba, dum lapidaretur à Iudæis. Illud porrò liqueſcentiæ miraculum, perſeuerat adhuc toti ciuitati conſpicuum.

Ædificauit præterea Neapoli Gaudioſus Monaſterium, in loco olim dicto Caput trij, fortè quod ad Septentrionem is collis poſitus ſit. Putant aliqui Monaſterium hoc, primo à Gaudioſo, poſtea ab Agnello, deindè à Virginibus inhabitatum fuiſſe, dictumque Monaſterium Gaudioſi à primo eius fundatore. At quia Ioannes Diaconus, & Ammiratus in Grimoaldo tertio Duce Beneuenti dicunt, à Stephano Epiſcopo conſtructum eſſe Monaſterium Sācti Gaudioſi, ideo rectius putauerim poſſe dici, Monaſterium quod Gaudioſus ædificauit, & poſtea Agnellus Abbas Monachorum rexit, non fuiſſe illud, quod nunc Sancti Gaudioſi dicitur, ſed, quod S. Agnelli, Firmaturque hæc opinio, nam in hoc quidem, non in illo Monialium erat, eſtque Imago, ſeu Sacellum Sanctæ Mariæ intercede pro nobis.

Obijt Gaudioſus anno Christi 453, vt Capacius colligit ex Indict. VI ſepulcro eius inſcripta, cæteris ob vetuſtatem penè diminutis characteribus. Sepultuſque eſt in cæmeterio ſubterraneo, ſuper quod nuper Eccleſia Sanctæ Mariæ Sanitatis erecta eſt. Inde poſtea ad Eccleſiam ſui nominis ſacra eius pignora tranſlata fuerunt.

Extabat olim Miſſa Sancti Gaudioſi, Oliuerij Cardinalis Carrafæ, ſeu Alexandri eius nepotis iuſſu edita, in paginis expanſis anno 1469. excuſis.

Gelaſium, cum his quoque Sanctis exulibus nonnulli coniungunt. Ij ſunt Io. de Nigraualle Bibliothecarius Apoſtolicus, in Catalogo Sanctorum Ordinis Canonicorum Regularium, & Auguſtinus Tieinenſis lib. de Chriſtianarum Religionum primordijs cap. 1. Nam volunt eum in Æde S. Ioannis maioris Inſtitutum Canonicorum Regularium diſſeminaſſe, In-

de ſu-

de ſupernè inſpiratum, Romam petijſſe, ibique Petri ſucceſſorem creatum fuiſſe. Addunt Monumenta Eccleſiarum Apuliæ, & præcipuè vita S. Laurentij Epiſcopi Sipontini M.S. & S. Rogerij Epiſcopi Cannenſis, cum anno Pontificatus ſui ſecundo, Crypta Gargani Montis illuſtri D. Michaelis Archangeli Apparitione decorata fuiſſet, illam ipſum adijſſe, eaque occaſione rurſus Neapolim inuiſiſſe: deinde Barolis Eccleſiam S. Andreæ conſecraſſe, rogatu S. Sabini Canuſini Epiſcopi.

Vtrumque tamen dubiæ mihi fidei redditur. Equidem, quamquam non ſim neſcius, Gelaſium natione Afrum fuiſſe: tamen cum ipſemet epiſt. X. ad Anaſtaſium Imperatorem, ſe ciuem Romanum natum vocet, colligitur, ſaltem diuturnum eius incolatum, & fortè à pueritia, Romæ fuiſſe. Dices, etiam Paulus Tarſenſis, ſe ciuem Romanum natum gloriatur. Act. 22. Benè, ſed cum Gelaſius ab Anaſtaſio, & cæteris Vitarum Pontificum Scriptoribus, dicatur filius Valerij, ſignum eſt, patrem quoque ipſius, Romam incoluiſſe, ibique fuiſſe cunctis cognitum. Non ergo cum Sanctis exulibus Neapolim Gelaſius aduenit.

De acceſſu verò ipſius ad Gargani Montis cryptam, cum ea Michaelis Archangeli Apparitio inciderit in ſecundum ſui Pontificatus annum, qui fuit annus Chriſti 493, mirum eſt Pontificis ex Vrbe diſceſſum, atque ad Sacrum Mõtem peregrinationẽ, à nullo eorũ temporum Scriptore, neque ab ijs, qui poſtea Pontificum Vitas ſcripſerunt, litteris fuiſſe mandata. Accedit, illum circa id temporis, cogendo Romæ Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum fuiſſe intentum: & reliquo vſque ad ſui obitum, qui fuit quarto Pontificatus anno, menſe octauo, die decima nona, incubuiſſe Pelagianis extirpandis, atque Chriſtianæ Bibliothecæ expurgationi, cæteriſque pro Eccleſiæ reformatione ſanctionibus, ob quos egregios labores in Faſtis eccleſiaſticis collocatus eſt, ad diem nonum Februarij. Habeant itaque Apuli ſuas traditiones. Nobis ipſa facti diſſonantia, & veterum Scriptorum ſilentium, ſatis ſunt.

# DE S. NOSTRIANO EPISCOPO.

## CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

PAuca de Noſtriano nobis antiquitas reliquit. Quod vnum habemus, præcipuum certè eſt. Nimirum turbarũ tempore illum Neapolitanam Eccleſiam rexiſſe. Quandoquidem, Pelagij tunc & Iuliani falſa dogmata Catholicos vexabant. Digerit bellum contra Dei gratiam ab ipſis excitatum ex Baronij Annalibus, Claudius Menardus Notis ad Auguſtinum contra Pelagium in annos ſingulos à 415 ad vſque 444, in quo Noſtrianus ſediſſe dicitur, & vltra. Teſtis eſt S. Proſper lib. de prædictionib. dimid. temporis cap. 6. tentatam à Pelagianis Campaniam, huc è Sicilia, vt reor, aduentantibus. Siquidem ipſi vt occulti degerent, & errores ſuos clam diſſeminarent, duas Inſulas ante hanc Noſtriani ætatem, videlicet anno 410 elegerunt, Rhodum in Oriente, & Siciliam in Occidente. Niſi potius velimus dicere, ab ipſomet Pelagio, venena ſuæ hæreſeos fuiſſe in Campaniam clam inſperſa, ijs maximè diebus, quibus Nolæ apud Paulinum alioſque fuit. Vtcũq; res ſe habuerit, illud certũ eſt, infeciſſe eam Prouinciam Pelagianos, ſed leuiter, præterquam certis quibuſdam locis, quæ Iulianus ille perfidus, eo veneno profundius imbuit.

Pugnauere armato calamo pro Dei gratia Proſper, & alij. Sudauit quoque Noſtriani diligentia, pro grege ſuo in Catholica fide firmando. Cuius zelus in fratrem quoque manauit. Vti enim in Hiſtoria S. Ianuarij diximus cap. 20. ſect. 6. cum de Soſio ageremus, ex Proſperi teſtimonio, ab hoc germano Noſtriani, & Horio Presbytero, alijſque Clericis Eccleſiæ Neapolitanæ, tentus, & coercitus fuit quidam Florus, qui Sancti Soſij ſibi ſanctitatem aſſumebat.

De Noſtriano Ioannes Diaconus. *Hic fecit balnea in vrbe, & alia in gyro ædificia, qui vſque hodie Noſtriani balneus dicitur.* Fuiſſe ſumptuoſa ædificia ſuadet nomen eius ædificijs, & Plateæ datus: nam de Platea Noſtriana frequens eſt mentio in antiquis Eccleſiarum Neapolis monumentis. Dices, cuiuſnam vſui balnea extruxit, ſuine an aliorum? Certè non fuiſſe inſolens viris alioqui Sanctis balnea adire, ipſum B. Io. Euangeliſtæ factum comprobat, balneum ingreſſi, indeque egreſſi, vt Cherintum ibi lauaturum aduertit. Legendus quoque Tertullian. Apologet. cap. 42. & Clem. Alex. Pædagog. lib. 3. cap. 9. Potius autem exiſtimo, aliorum beneficio id eum feciſſe. Suadet hoc Noſtrianæ Regionis nomenclatio, quaſi quod cuncta aliorum vſui fuerint dicata: alioquin enim, ſi proprio, ſat fuiſſet, illa in priuato domus ſuæ loco conſtruere.

Obijt tandem poſtquam decem, ac ſeptem annos ſediſſet, & *bonis operibus*

*ribus*

*ribus agens*, ait Diaconus, *in Domino requieuit, & ſepultus eſt in Eccleſia Beati Gaudioſi Chriſti Confeſſoris foris vrbem euntibus ad Sanctum Ianuarium Martyrem, in porticu ſita*. At poſt Io. Diaconi ætatem, in Regiònem Noſtrianam tranſlatum fuiſſe corpus eius, & propriè ad Eccleſiam Sancti Ianuarij ad Diaconiam, ipſa eius retectio Auguſto menſe anni 1612. Octauio Cardinale Aquauiua Neapolitano Archiepiſcopo demonſtrauit. Cum autem ſignatè quo die ipſe obijſſet ignoraretur, ad ſextumdecimum Auguſti, quãdo inuenta ſunt ſacra pignora fixus eſt. Sic Galeſinus VII. Id. Ianuar. teſtatur de SS. Beniamino, & Maximo Martyribus: quorum cum natalis dies ignoraretur, agi eorum feſtum cæpit eo die quo inuenta fuere eorum corpora. In Romano quoque Martyrologio feſtum S. Danielis Martyris, tertio Ianuarij, eſt feſtum Inuentionis eius. Vide Notas Baronij.

✠

# DE
# SS. POMPONIO
## EPISCOPO,
## ET
## CANDIDA IVNIORE.

### CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

GEnus Sancti Pomponij aſſerunt nonnulli fuiſſe è gente Mercuria . Dicitur enim in Inſcriptione lapidis priuilegiati præ foribus Templi Sanctæ Mariæ Maioris extantis,ipſum fuiſſe Ioanni II.conſanguinitate iunctum:qui Pontifex ab omnibus ſtatuitur,gente Mercuria prognatus . Vide Baron. ann. Chriſti 531. Quod ſi verum eſt , cogemur dicere , Pomponium ortu Romanum fuiſſe, non Neapolitanum. Ioannes enim,Romanus fuit,filius Proiecti,è Regione de Cœlio monte.Verum cum lapis ille aliqua improbabilia contineat, ſalua indulgentiæ veritate , fides ſit quoad cœtera , penes eius Inſcriptorem .

Quamquam verò eius proſapia ſit nobis ignota,certè radians virtutũ ipſius ſplendor , longè illum reddidit illuſtriorem . Teſtatur hoc,Sacrorũ eius pignorum ſub Altari collocatio . Liquor prætcrea, qui ex eis ſcatebat,vti vetus traditio, vtque ex foramine colligitur adhuc extante in arca vnde manabat.Crebra per ipſum edita miracula. Ac denique,Faſtorum Eccleſiaſticorum teſtimonium.*Prid.Id.Maij Neapoli in Cãpania Sancti Pomponij Epiſcopi.& Confeſſoris* .

De ipſo Ioannes Diaconus. *Hic fecit Baſilicam intra Vrbem Neapolim ad nomen Sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ,quæ dicitur Eccleſia maioris,grãdi opere conſtructam.* Maiorem dictam arbitror, vel comparatione aliarum ædicularum , pura Sanctæ Mariæ de Principio , Sanctæ Mariæ de Septimo cælo,& aliarum.Vel quod hic coleretur Virgo θεοτόκος,non χριστοτόκος tantum . Hoc eſt, Dei, non Chriſti tantum mater : iuxta ſacroſancti Epheſini Concilij Decreta.

Erigendæ huius Baſilicæ occaſio ex vulgi fama,ab Engenio aſſeritur fuiſſe,Dæmoniaci cuiuſdam ſpectri,Pomponij oratione,ac Beatæ Virginis reuelatione expulſionem:quod ibi,in porci ſpeciem grunnitu ſuo cunctos terrefaciendo ſe viſendum prebebat . Quaſi quod Deipara monuerit in ſomnis Pomponium , vt,quo loci, cærulei coloris pannum inueniſſet, ibi eccleſiam ſibi dicaret: eoquè modo ſpectrum illud abactum fuiſſe. Additque Engenius,in eiuſce rei memoriam,ſpectaculum à Ruſticis Neapolitanis,

nis,

nis,in ſingulos annos datum, vt in maiori Eccleſia, porculam è ſupremo tectorùm faſtigio,in rapaces infernè degentium manus proijcerent:ſimulantes Dæmonem proijcere,& conculcare. Eaque etiam de cauſa in Turri Campanaria eius Baſilicæ,ad hunc vſque diem,porculam videri exculptā. Aniles, vt exiſtimo,fabellæ, & lepidum inuentum, fouendo ludicro illo porculæ ſpectaculo,quod poſtea tanquam ridiculum, Templique veneſationi,& maieſtati indecens,merito ſublatum fuit. Ego certè miror valdè cur tanti beneficij,nulla apud antiquos ſcriptores extet memoria. At neque in picturis,quæ quandoque hiſtoriæ ſubeunt munus. Iulianæ noſtræ, diabolum appingimus,quem ſub humana effigie ipſa catenauit. Margaritæ,Draconem,quem trucidauit. Georgio puellam, ſiuè veram,ſiuè figuralem, quam liberauit. Et alijs Diuis alia. Poterat ergò Antiquitas, & Pomponio porculam ſubijcere. Aut ipſi Deiparæ,vt ab alijs,hanc eius diſcriminarent figuram. Nec me mouet porcula illa Turri Cāpanariæ inſculpta. Tum quod hæc recentior ſit tēporibus Pomponij, neq; alibi id animal inſpiciatur. Tum etiam quod caſu illam ibi affixam putem, ſicut & caſu aliæ ibi ſunt marmorea fragmenta,vt intuenti patet. Quod ſi velit quis,ex induſtria, & non caſu ibi fuiſſe inſculptam,Reſpondebo,in odium Iudæorum Neapoli tunc degentium, qui ſuillam carnem abominantur, ibi, hoc eſt,in loco ſacro Chriſtianorum fuiſſe exculptam. Habeo quidem exempla,quæ profero ex Simone Maiolo Tract. de Iudæorum perfidia fol. 814. de ſuis ſtatuis in Templis Vuitēbergæ celeberrimæ Saxoniæ Vrbis, Magdeburgi,& alibi:in odium ſcilicet Rabbinorum.

Huius item Eccleſiæ Dedicatio,Romano Pontifici tribuitur, & iure quidem. Nam,vt doctè admonet Baron.tom.8.an.591.& 598. ex epiſtolis Gelaſij,& Gregorij PP. nulli Epiſcopo licuit Eccleſias inconſulto Romano Pontifice dedicare. Pomponius autem non facultate ſolum Pontificis ſibi conſuluit,ſed etiam præſentia. Sed cuinam Pontifici tribuenda eſt?Ioanni ſecundo,ait litteratus ille lapis. Intolerando certè errore. Is enim, nunquam legitur Roma diſceſſiſſe,niſi antequam eſſet Pontifex:nempe,cū Diaconus Romanæ Eccleſiæ Conſtantinopolim petijt apocriſarius Papæ: vt notat Manlius de præſtantia Baſilicæ Vaticanæ man. ſcr. apud nos,fol. 9. Ad hæc,vixit Pomponius, vti Io. Diaconus aſſerit, *temporibus Hormiſdæ Papæ,& Ioannis,Felicis,& Bonifacij Beatorum Apoſtolicorum:nec non & Anaſtaſij,& Iuſtini Imperatorum.* Atqui,non Ioannes ſecundus,ſed primus ſucceſſit Hormiſdæ:ergo ab hoc dicendum eſt fuiſſe eccleſiam dicatam. Tertium enim Ioannem,nullo negotio excludimus : licet enim Neapolim aduenerit,occaſione placandi Narſetis, diu tamen poſt Epiſcopi noſtri tempora fuit. Dicata ergo fuit à primo Ioanne,circiter Chriſti annum 525. Pontificatus ſui ſecundo. Quando ſcilicet, Theodorici Regis iuſſu, ipſe coactus Conſtantinopolim petere,Neapoli tranſijt cum Cardinalium, & Epiſcoporum,vt credibile eſt, comitatu. Quibus adiungendi ſunt quatuor illi Senatores,Importunus,Theodorus;Agapitus,Exconſules,& Agapitus alter Senator,& Patricius. Nam de Boetio,& Symmacho eius genero, res eſt dubia,cum nonnulli,eorum necem à Theodorico perpetratam ponant, dum Ioannes Conſtantinopoli ageret: Alij vero,dum Rauennæ in carcere detineretur.

Hic Ioannes è Rauennate carcere Epiſtolam ſcripſit ad Epiſcopos Italiæ,quæ extat tom.2. Conciliorum,& tom.1.epiſtolar. Pontifical.ijs cō-

ıra Theodoricum pro Catholicæ fidei defenſione roborandis. Ad Pomponij ætatem eam ſpectare dicendum eſt: cum ſcripta ſit anno Chriſti 526. Pomponius autem ad vſque Iuſtini tempora Præſulatum ſuum deduxit, qui imperauit ab anno 518, vſque ad annũ 527. Eum autem vigili cura inſudaſſe, gregi ſuo contra Theodoricum Arianum Hexacionitam firmando, credendum eſt: cum præſertim Theodoricus Neapoli tunc dominaretur: vbi & ſtatua illi erecta erat, quæ poſteà in mortis ſuæ præſagium corruit, teſte Capacio, forte ex Procopio, lib. 1. Hiſtor. Neapol. fol. 295.

Tandem fuiſſe hanc Baſilicam in magna olim veneratione, ex oblatis ingentis pretij muneribus à principibus viris colligitur. Quorum intermortua memoria, vtcumque reuiuiſcit ex vetuſtis aliquot ſcripturis publica auctoritate exaratis. Dionyſius enim Sarnẽſis, Iudex, & Notarius Apoſtolicus, in actis Viſitationis à Nicolao Archiepiſcopo Neapolitano anno Chriſti 1423 ritè celebratis, ſic ſcripſit. *Margarita Neapolis Regina, Baſilicæ Sanctæ Mariæ Maioris Thuribula aliquot donauit. Rex item Ladislaus, duo argentea candelabra, & Crucem, cum inſerta Crucis ipſius particula, quam inclyta Maria Sueua, Federici Auguſti ſoror, ſibi dono dederat. Præterea Ioanna Regina huius nominis ſecunda, atque* N. *Duciſſa Sueſſæ, duas pluuiales veſtes eidem Baſilicæ obtulerunt, ſingulæ ſingulas*. Hanc Baſilicam incolunt nunc Religioſiſſimi Patres Clerici Minores.

Hæc de Sancto Pomponio Epiſcopo.

Non poſt longa temporum ſpacia, nempe anno Chriſti DXC Gregorij Magni Papæ anno primo, & Mauricij Imperatoris VII Candida Iunior, nobili proſapia, & inſigni pietate clariſſima, patriam Neapolim ſanctorum operum luce nobilitauit.

Fuiſſe eam nobili ſtirpe prognatam, Lectionarium de Vita, & Miraculis eius manifeſtè tradit. Nam Lect. 1. vocat eam, *Mulierem ex nobili proſapia ortam*: & Lect. 2. *Matronam*. Fuiſſe autem ex antiquiſſima, & nobiliſſima familia Brancatia, traditio eſt. Quæ ſi vera eſt, his coniecturis fulciri poteſt. Quod in Eccleſia contigua regioni, in qua cenſenda ſunt habuiſſe domicilia, qui ex ea erant familia, vnde poſtea in proximum Sedile Nidi aſcripti fuere, ſepulta ſit. Quod primum à Candida ad cœlum tranſlata beneficium mortalibus exhibitum, in Philippum Brancatium paralyſi laborantem fuerit collatum, vt habet Lect. 3. Lectionarij. Quod frequẽter ex ea familia, Rectores fuerint Eccleſiæ Sancti Andreæ, in quà ipſa tumulata. Et quod Aloyſius Brancatius anno 1370, domos aliquas coemerit ad Eccleſiæ illius bonum, certè pietatis ergo in gentilem ſuam ibi iacentem. Id nupera teſtatur Inſcriptio in Sacello eius in Eccleſia Sancti Angeli ad Sedile Nidi, à Raynaldo Cardinale Brancacio circiter annum Domini 1384 erecta, adaucta poſtea noſocomio, anno 1426, quæ eſt huiuſmodi. *Sacellum Sanctæ Candidæ Neapolitanæ ex familia Brancatia*: quod Sacellum erectum fuit occaſione oſſiculorum ex eius corpore acceptorum.

Fuit Candida coniugata, vixitque, præſtãti fide, & pietate, imperante Mauritio. Deceſſit quinquegenaria, filio, & coniuge ſuperſtitibus, Prid. Non. Septembr. vti Eccleſiaſticæ habent tabulæ, ann. 590.

Sepultaque fuit, vt iam dictum eſt, in Eccleſia Sancti Andreæ. Inſcriptionem ſepulcralem eius habes apud Baron. tomo 9. anno Chriſti 715 occaſione Theodimi Subdiaconi. In qua Eccleſia fuiſſe olim Monaſterium Sacrarum Virginum aſſerit Eugenius. Sed Ioannes Diaconus cui innititur,

tur,

tur, nihil de hac re. Id tantùm habet, fuiſſe ibi Monaſterium, quod *Cella noua* dicebatur. De monialibus autem nihil expreſſit.

Liquorem ex eius corpore aliquando manaſſe, indicat Lectionarium Lect. 3. his verbis. *Igitur poſt multa curricula temporum, quidam liquor de eodem marmoreo ſepulcro, in quo corpus eiuſdem Beatæ Candidæ repoſitum fuerat, exibat, qualem Religioſi Chriſtiani colligentes, loca dolentia, vel infirma, humanorum corporum, in nomine Domini vngebant, ſanique fiebant à quocunque languore detinebantur.*

Crebra autem per eam patrata miracula, hiſce verbis complectitur Lectionar. Lect. 6. *Licet cuncta, quæ Deus operari dignatus eſt propter merita famulæ ſuæ Candidæ, in ſcriptura redigi nequeant*, &c. Et in fine. *Hæc & multa alia Omnipotens Deus per merita famulæ ſuæ Candidæ, dignatus eſt operari: atque puro mentis affectu eum dignè petentibus largiri, vſque in præſentem diem.*

✠

# DE S. AGNELLO ABBATE.

## CAPVT VIGESIMVM NONVM.

TVtelaris noſtræ Ciuitatis Agnelli vitam ſcripſiſſe dicitur Petrus Subdiaconus, qui vixit anno 890. Extat præterea liber miraculorum eius. Ac tandem Regius, & ex eo Bzouius tomo 1. Hiſtor. Eccleſiaſt. anno 596. prolixius ille pro ſuo more intertextis concionibus, cōpendioſius iſte, geſta ipſius nobis tradiderunt. Nos Genus ipſius, ac Vitæ Inſtitutum inueſtigabimus. Ac præterea eius cultum, & venerationem: cum priuatis, publiciſque, ab eo acceptis beneficijs.

Luderica Qui è ~~Carminiano~~ ſunt familia nobiles Montani Sedilis, gloriantur gentilem habere Agnellum. At ego altius eius genus extollo. Quanquam enim Neapoli ipſe ortus fuerit ex ſterili matre Ioanna, Syracuſis tamen in Sicilia oriundus fuit, atque ex D. Luciæ Virginis, & Martyris familia. Scripſit hoc olim Regius, & nuper Octauius Caietanus in Idea Operis de Sāctis Sicilię. Quibus ego ſubijcio, Luciā ex Archimedis proſapia fuiſſe. Et hunc ex Regia Ieronis ſtirpe. Dauid quippe Riualtius recens Operum Archimedis explanator, in Præfatione qua texit Archimedis vitam pagina ſecūda, tradit ex Ieronis proſapia genitū Archimedē ex Plutarchi auctoritate in Marcello. Ex cuius Archimedis ſtirpē, Luciā. Quod teſtimonio Alexandri Baſilopolis viri doctiſſimi, qui tunc parabat vitas aliquot Sanctorum ex vulgari græco idiomate in latinum vertere, confirmat. Ex quibus conficitur, Agnellum quoque ex Regia Ieronis ſtirpe fuiſſe prognatum.

Quoad verò vitę eius Inſtitutum, Pennot. lib. 2. Chron. Canon. Regul. cap. 29. vult ipſum ex Canonicorum Regularium Ordine fuiſſe. Bzouius verò in Hiſtor. ſecutus Regium, facit illum Ordinis D. Benedicti. A Trithemio fortè id hauſit Regius, de quo plures Ordini ſuo aſcribente, vide quæ ſcripſit Baron. Annal. 6. an. 494. illis verbis. *Non fœcundis, ſed ſterilibus ſupponi aliena ſoboles conſueuit*, & Tomcus in ſua ſacra Columba. At ego exiſtimo illum Báſiliani inſtituti Monachum fuiſſe. Deceſſit enim anno 590, vt ex eius ſepulcri inſcriptione patet. Præfuitque Abbas, ei Monaſterio, quod à Gaudioſo Bithinenſi Epiſcopo erectum fuerat, qui Neapolim appulit anno 438, vt vidimus, deceſſitque anno 453, antequam Benedictus naſceretur. Porrò per ea, & poſteriora tempora, multa Neapoli vigebant Monaſteria ſub D. Baſilij Regula. Nempe Gazarenſe in plaga maris. SS. Nicandri, & Marciani: S. Sebaſtiani: SS. Baſilij, & Anaſtaſij Perſę in regione Amelia: S. Demetrij in regione Albina: S. Spiritus, ſeu Spiridionis: S. Gregorij Armeni in regione Noſtriana: S. Mariæ de Agnone: S. Samonæ: SS. Quiri-

ci,

ci,& Iulittæ: & fortè alia. Nec potuit dici Monaſterium S. Gaudioſi tam citò ad Benedictinum Ordinem tranſlatum fuiſſe: id enim, vt in alijs quoque, ſenſim, & ferè poſt Agnelli tempora factum fuit. Licet etiam ex quadam pictura id coniectari. Anno 1630, Aprili mẽſe, cum in Eccleſia ſub Agnelli inuocatione, paries quidam antiquiſſimis picturis ornatus detectus fuiſſet, eo accurri: iudicauique, pone illum fuiſſe vetuſtæ Eccleſiæ S. Agnelli in Vico frigido aram maximam. Id enim oſtendebat icon Agnelli ad dexteram Deiparæ poſita, &, quæ ad Læuam, Myrenſis Nicolai: contra procul dubio ponenda, ſi Agnellus non fuiſſet eius ædis Princeps Diuus, &, vt Paulini verba vſurpem, *Dominadius*. In ea icone obſeruaui pallium eius, coloris ſpadicei, non autem nigri: interiorem tamen veſtem, ſiue ea tunica eſſet, ſiue colobium, coloris nigri. Ex quibus certo arbitrari mihi licuit, Baſilianum extitiſſe hunc noſtrum Diuum, indutum, vt hodie Baſiliani Orientales induti viſuntur. Nam, ſiue eius genus ſpectemus, è Sicilia fuit, ſuo æuo Græcanica: ſiue natale ſolùm, Neapolis fuit, quæ non minus græcis vocabulis, & ritibus addicta fuiſſe perhibetur. Vetuſtatem redolebant imagines, pictæ fortaſſe ante quingentos annos, videlicet, paulò poſt, Sancti Nicolai corpus è Lyciæ Metropoli Myra, Barium tranſlatum.

In eo Monaſterio, virtutum radijs explenduit Agnellus. Totus enim vitæ illius curſus, primordijs ſuis, ac nomini fuit conſentaneus. In illis quippè, futuræ sãctitatis ſpecimen, ac in Deiparã deuotionis dediſſe videtur: cũ viginti vix dierũ natus, in tenella illa ætatula, Virginẽ, cuius ope à ſterili editus fuerat, angelica ſalutatione ſalutare conſueuit. Candorẽ autem vitæ ipſius, agni poſt eius mortem demonſtrarunt: in viſione illa, cuidam Monacho nomine Ioanne ciui Romano facta. *Stabat enim*, inquit, vita ipſius ad quinque veterum Codicum veritatem compoſita, quæ apud nos extat M.S. *ſuper altare Sanctæ Dei genitricis Mariæ, veſte indutus fulgida, quaſi miſſarum ſolemnia celebrans. Stabant autem, & quatuor Agni niue candidiores, iuxtà quatuor cornua altaris quaſi obſequium Sancto prebentes* In hoc etiam Monaſterio obijt anno 590. XIX: Kal. Ianuar. poſtridie feſti Sanctæ Luciæ Virginis gentilis ſuæ.

Porrò inſignia eius beneficia erga Neapolitanam ciuitatem, eiuſque ciues exhibita, narrat abundè liber miraculorum eius, qui multorum manibus teritur. Ob quæ, Patroni Neapolitani titulum promeritus creditur: ſicuti in Actis Viſitationis Eccleſiæ S. Agnelli an. 1418 celebratæ: & in Chronico Rogerij Pappanſonij eodem anno ſcripto. Sed & ante hæc tempora patrocinium illi prebitum fuiſſe, in inſigni illa Sarracenorum victoria anno 788, indicat Capacius illis verbis lib. 1. fol. 133. *Anello in patrocinium ſuſcepto, inſignia Neapolitana eſſe tributa.* Verum ipſemet Agnellus inuitaſſe videtur Neapolitanos, ad ſui patrocinium implorandum. Quandoquidem dum eius funus in Eccleſia curaretur, ſuper eam, ſeptem cœleſtes irides apparuerunt: ſuper quas Beata Virgo eminebat: & pone illam, B. Agnellus manu ſuper ciuitatem extenſa, velut patrocinium promittens. De exhibito item patrocinio, Tabulæ Eccleſiaſticæ ſic loquuntur: *Qui obſeſſam vrbem ſapè viſus eſt, crucis vexillo ab hoſtibus liberare.* Quocirca, aptari ipſi poſſunt, quæ Auguſtinus lib. de cura pro mortuis cap. 16. de S. Felice dixit. *Non enim ſolis beneficiorum effectibus, verum etiam ipſis hominum aſpectibus, Confeſſorem apparuiſſe Felicem* Agnellum, *ciuibus, vel inquilinis piè à ſe dilectis, cum à Barbaris*, Sarracenis, *Nola*, Neapolis *oppugnaretur, audiuimus non in-*

*certis rumoribus, ſed teſtibus certis.* Neque à pietate alienum eſt, Agnello noſtro aptare carmina Ioannis Geometræ, quæ ipſe Hymn. 4. in Deiparam panxit, ex verſione Federici Morelli Profeſſoris, & Interpretis Regij, quæ ſunt huiuſmodi.

*Salue, quæ* qui *facis, vt belli victoria detur*
*Fortibus armigeris, munere virgineo.*
*Salue præſidium vrbanum. Tu mænibus hoſtes*
*Artes, & moles concutis horrificas.*
*Salue, quæ* qui *tetras deles in virtute cateruas,* Sarracenorum
*Dum pœnas repetis, naufragiumque cies.*

Celebratam olim, Agnelli corporis, ad Eccleſiam, vbi nunc iacet, Tranſlationem, elicio ex Kalendario quodam antiquo Eccleſiæ Neapolitanæ Miſſali præfixo, apud me M. S. extante in pergameno: vbi die tertio Iunij habetur, *Tranſlatio Sancti Agnelli.* De antiquiore tẽpore, teſtimonium non habeo. Id porrò Kalendarium, non ante Innocentium IV. ſcriptum exiſtimo, cũ in eo legatur, Gregorio, & Hieronymo datus titulus Doctoris. Qui cur nõ & Ambroſio, & Auguſtino quoq; ibi detur, diuinare nõ poſſum, niſi dicamus librarij fuiſſe obliuionem. Innocentius autem fuit, qui ſanxit quatuor Doctores Eccleſiæ celebrandos. Ante verò Ioann. XXII. Pontificatum, ſcriptum exiſtimo: quia non habet S. Thomam de Aquino, quem ipſe inter cælites retulit.

Quotannis, die illi ſacro, Eccleſiã eius ſolenniter adire ſolet Archiepiſcopalis Vicarius, comitantibus Clero, & aliquot Religioſorũ cœtibus, nec non & Electo, vt vocant, fideliſſimi Populi Neapolitani. In memoriã, inquit Imperatus, ad cap. 13. Priuilegior. Populi Neapolitani, ſanitatis Athanaſio ſecundo, Duci, & Epiſcopo Neapolitano morbo iliaco laboranti, intercesſione Beati Agnelli collatæ. Sed in vita huius Diui, de qua ſupra, habetur quidem Athanaſium beneficij memorem, altare ipſius holoſerico panno operuiſſe, eiuſque Eccleſiam ſingulis annis viſitare conſueuiſſe. At de inſtituta proceſſione, nihil. Et certè haud poterat impenſo in eum eſſe affectu Neapolitanus populus, vt pro ipſius ſoſpitate publicas circuitiones inſtitueret, quem eius æui Scriptor Herempertus, & poſteri nonnulli, periurum, fœdifragum, ambitioſum, diſcordiarum inter proximas vrbes diſſeminatorem, ſanguinis humani ſitientem, Pontifici refractarium, Sarracenorum amicum appellant, alijſque multis conuicijs honeſtant. Dicendum ergo, à populis in ſuum Tutelarem Patronum, inſtitutam eam Proceſſionem: vti & aliam, Dominica Paſſionis, ad ſuum Principem Patronum Ianuarium.

Fuit cuiuſdam opinatio, eruditi certè viri, ac de Neapolitanis antiquitatibus benemeriti, ſubſtitutam eam proceſſionem in locum curſus lampadici, ſiue lampadiferi, de quo plura in interprete Ariſtophanis in Auibus, Philoſtrat. prohem. ad icones, Harpocratione in Lexico, & alijs, quem gentiles, Athenienſes imitatos, Neapoli quoque inſtituiſſe, probat ex Lycophrone Capac. lib. 1. fol. 160. Quod ex eo colle, vbi nunc Diui Agnelli Templum eſt extructum, curſus inceperit, ad vſque Eccleſiam Virgini de Agnone, corrupto vocabulo pro *Agone* terminatus. Ea enim via, vna erat ex tribus tantum tunc Neapoli ſtratis. Sed quàm infirmæ ſint eæ opinationes, nemo non videt. Nec enim conſtat, cereis accenſis, ſi pro lampadibus fuiſſent ſubſtituti, proceſſiſſe populum ad Diui Eccleſiam.

Neque

Neque,tempore, quo Sanctus vixit, lampadico illo curſu exercebatur Neapolitana iuuentus.Eccleſiam autem Sanctæ Mariæ de Agnone,non ab agone,ſed ab angue,ibi,potenti Deiparæ manu trucidato, dictam eſſe, teſtatur Giſmondus eius extructor anno 833.in litterato lapide, qui ad Diui Gaudioſi,quo Moniales,cũ cuncta Eccleſiæ illius ſacra ſuppellectile commigrauerunt,proſtat. Firmum ergo ſit,inſtitutam Proceſſionem, ob inſignia Tutelaris huius Diui,in ciuitatem ſuam beneficia.

# DE SANCTA VIRGINE
# PATRITIA.

## CAPVT TRIGESIMVM.

SVnt,qui aſſerunt à neſcio quo græco auctore, Sanctæ Patritiæ vitam fuiſſe conſcriptam. Vtinam autem ad noſtras manus, venerandæ antiquitatis ea ſcriptio perucniſſet. Certè à puriſſimo fonte diduceremus ipſius geſta. Quando, vel Villanum, non admodum fidum Scriptorem, vel recentiores, vti ſunt Regius, Summontius, Manſus, & ille, qui appellari vult Cleãtes Torbirius, ſequi debemus. At ego certè, nolo inter illos numerari, de quibus Seneca, lib. de vita beata cap. 1. *Qui antecedentium gregem ſequuntur, pergentes, non qua eundum eſt, ſed qua itur.* Quod ſi Græco illo carcmus, altero non ſumus deſtituti. Hic eſt, Leo ille Monachus Monaſterij Sanctorum Nicandri, & Martiani, in quod beata illa ſocietas Patritiæ commigrauit. Habemus ab ipſo conſcriptam Vitam apud Nos M.S. Hæc inde nobis inueſtiganda.

*Sect. I. Sancta Patritia Genus.*
*Sect. II. Educatio.*
*Sect. III. Patrij ſoli derelictio, & Romana Peregrinatio.*
*Sect. IV. Tranſitus, Sepultura, & Miracula.*
*Sect. V. Obiter Martyrium SS. Nicandri, & Marciani narratur.*

### *Sancta Patritia Genus.*
### *Sect. I.*

QVod olim D. Ambroſius ad Theodoſium dixit: *Pro Rege, non contra Regem ſcribimus*, id mihi quoque de Patritiæ genere ſcripturo, vſurpandum eſt. *Pro Patritia, non contra Patritiam ſcribimus.* Scio quippe, Villanum primum fuiſſe aſſertorem, Patritiam neptem fuiſſe Magni Conſtantini, à Conſtante, tertio eius filio ortam. Cum tamen, qui accuratè Conſtantini genealogiam narrarũt, nempe Baronius, & Pighius in Speculo Sanctorum Principum, huius neptis haud meminerint. Dignæ certè, cuius memoria non obliteraretur, ſi ſcientiæ quoddam monſtrum fuit, & vt ipſi volunt, Lactantij Firmiani, Nazarij Rhetoris, & fortè etiam Sancti Athanaſij Alexandrini diſcipula. Quòd ſi Conſtantis fuit fi-

lia, cur fatentur ſui matris ſe nomen ignorare ? Ego quidem, quænam illa fuerit, haud ignoro, cum ex Ammiano Marcellino illam reſciuerim. Is quidem extremo libri ſecundi dicit, fuiſſe Olympiam filiam Ablaudij Præfecti Prætorio. Ecce eius verba, de Arſace Rege Armeniæ loquentis, cui Conſtans, cognatam ſuam Olympiam neptui tradidit. *Qui crebrò adiurans, animam prius poſſe amittere, quam ſententiam, muneratus cum Comitibus, quos duxerat, rediјt ad regnum, nihil auſus poſtea temerare promiſſorum, obligatus gratiarum multiplici nexu Conſtantio: inter quas, illud potius excellebat, quod Olympiada Ablaudij filiam Præfecti quondam Prætorio, ei copulauerat coniugem, ſponſam patris ſui Conſtantis.*

Videamus modo, quàm ſint inter ſe diſſona, quæ narrantur firmandę huic cum Conſtantino Magno coniunctioni. In primis Leo Monachus, ſic narrationem ſuam exorſus eſt. *Tempore, quo Conſtantinus, qui & Conſtans appellatus eſt, Conſtantinopolitanum regebat imperium.* Porrò nunquam Magnus ille Imperator, eo nomine legitur apud hiſtoricos appellatus. Sicut è contra, vt paulò infra docebo, Conſtans reperitur aliquando, Conſtantinus appellatus. Ad hæc, vis ſcire Lector, qualenam fuerit huius, qui pater Patritiæ fingitur, ingeniũ? Erga Catholicos Catholicus, vt ipſe optimè affectus, vt non ſit credibile, in eas filiam adegiſſe anguſtias, niſi à ſancto ſeruandæ virginitatis propoſito mutaretur, coacta ſit clancularia fuga, animæ ſuæ conſultum ire. Nonne Athanaſij, cuius ille fuerat acerrimus defenſor, & preces, & minæ ſalutares illum in officio continuiſſent ? Quod ſi aues periodos vitæ eius noſſe, ſcito Conſtantinum patrem, iuxtà veriorẽ Chronologiam, obijſſe anno Chriſti 337. & hunc de quo loquimur eius filium, anno 350. Cum vix vigeſimum ſeptimum expleſſet annum. Ergo quatuordennis erat, cum Pater ſuus vita defunctus fuit. Intermedium verò tempus à patris obitu ad ſuum, annorum ſcilicet tredecim, expeditionibus contra Dacos, Gothos, & Sarmatas impendit.

Ex Monaſterio item SS. Nicandri, & Marciani, cuius & Abbatem ſe fuiſſe, conteſtatur Leo ille, de quo ſupra, aliqua mihi ſuboritur ſuſpicio. Nemo enim negat, Baſiliani inſtituti illud fuiſſe: commigrantes enim alio, Monachi, græco eos ritu diuina perſoluiſſe traditur. Compertum eſt autem, non ante annum 328. & 34?. ſub regula conſtrictos diſperſos illos Monachos ſeorſim ſub Antoniano inſtituto viuentes, quando Athanaſij opera Romam profecti, id fieri cepit. Iudicet nunc Lector æqui arbiter, num breui temporis ſpatio, tot potuerint ædificari Monaſteria ſub Baſilij regula, quæ etiam Neapoli extructa, exercuerint ad Abbatis electionem, atque adeo ad ſubditorum numerum: eo maximè tempore, quando non adeo frequens erat Eccleſiarum, & Monaſteriorum ædificatio. Coniectura eſt, non tamen prorſus contemnenda.

Neapolim appulſa Patritia, viſitaſſe dicitur à Regio, Eccleſiam Sancti Georgij. Fortè quod putarit ab auo Conſtantino ædificatam. Quod falſum eſſe, probatum eſt à nobis ſupra Capite XXI. Sect. VI. Ridiculum porro eſt, quod idem aſſerit, eam veneratam fuiſſe Eccleſiam Sanctæ Mariæ Maioris, quæ tamen à Pomponio poſt ducentos ſaltem annos extructa fuit.

Vt poſſit Patritia de Conſtantij morte, Romæ cælitus, magna ſcilicet Dei gratia admoneri, quinquagintannali itinere faciunt vagantem, propoſiti ſui executionem remoratam. Tempora ſic ſupputari poſſunt. Cum

ipſius nuptiæ,vt volunt à Senatoris filio expeterentur, ergo duodenis ſaltem eſſe debebat.Conſtantij mors,incidit in annum Chriſti 361.A diſceſſu Conſtantinopolitano,Neapolim tantùm petijt,ac Romam, locum prætereanullum:ergo quinquaginta fluxerunt anni. Inter quos,ſi Aglay Matronam,atque adeo maturæ iam ætatis,cuius tutelæ commiſſa fuit, defunctam quis diceret, à ſcopo fortè non aberraret.

Quàm verò ſit à veritate alienum, ipſam ſub Helenæ auiæ inſtitutione profeciſſe,dicemus Sectione ſequenti.

Adde,ab his Patritiæ Biographis,Ducis Neapolitani fieri mentionē, ad quem acceſſere pro carrucis.Porrò Duces poſt Conſtantinum M. eſſe ceperunt.Vt ex vera ſerie Ducum Neapolis patet.Dixi,veram, quia Marcellum illum,quem de ſuo capite ſomniauit Villanus,nemo eſt paulò eruditior,qui velit recipere.Et Capacius ipſe,qui eum omittere noluit, fatetur nihilominus lib.1.cap.11. Iuſtiniano Imperatore cœpiſſe Ducum in Italia dignitatem.Addit Capacius,à Longino datos Duces,Correctoribus ſublatis.At ex lapidibus Siculis oſtendit Gualter.fol.43.ad Tabulas Siculas,ſub Conſtantino quoqne habuiſſe Siciliam Correctores.Ergo non adhuc ſublati iudices.Quòd ſi aliquando, ſub Conſtantino Duces inuenies, ſcito,illos fuiſſe Magiſtros militum.Vnis Athenis Ducem dedit, ſed Magni titulo decoratum.Quaſi dicas,non communi titulo : vti ex Nicephoro Gregor. oſtendit Meurſius de Archontibus lib.1.cap.9. Et, ſi ſub Seuero Epiſcopo, Ducem Neapolis legimus, quem adijt prætenſus balneatoris debitor,poſſum dicere,ipſum fuiſſe Ducem limitaneum, quales pluribus in locis datos,ex Codice Præfecturarum docet VVolphangus Lazius lib. 2.cap.19.Præſidibus datos in ſocietatem laboris,cuſtodiæque,non iuri dicundo.Sed qualiſcunq; fuerit is Dux Seueri tempore, ſat mihi eſt, id poſt Conſtantini tempora eueniſſe.

Vide,Lector,in quantas ſe tricas conijciant, qui Patritiam, Conſtantini Magni neptem faciunt.Nos,quid ad iſta? Reuerenti in ipſam affectu, imperiali illam ſplendore cum veritate tamen ornantes, Conſtantis Imperatoris dicimus neptem,imperium anno Chriſti 642.adepti, Viri, religione Monothelitæ, atque adeo Catholicis infenſiſſimi, vt mirari nemo debeat,ſi filiam,virginitatem vouentem,coegerit fuga ſibi conſulere.Eius præclara geſta, ex Hiſtoricis omnibus, breui compendio complexus eſt Leuinus Hulſius in Romanor.Imperat.Numiſmatibus,vt ſit immenſi preconij Patritiam,*bonam etiam inter malos fuiſſe*,ſicut de Iobo dicebat Gregor. 1.moral.cap.1.*Pyrrhum Patriarcham Conſtantinopolitanum priuauit, & quendam Paulum Romanæ Sedis aduerſarium in eius locum ſubrogauit, cuius conſilio Martinum Pontificem Romanum ſibi aduerſantem,captum, in Cherſoneſum relegatum mori coegit.A Saracenis apud Rhodum victus aufugit, pacemque ad biennium ab illis impetrauit.Conſtantino filio imperij conſorte facto,Conſtantinopolique relicto, ipſe aduerſus Longobardos,in Italiam cum exercitu profectus, victus ab eis, Romam profugit, & quidquid antiqui operis ſignorum ex auro, ære, aut marmore in ea fuit, quod oculos delectare potuit,id omnia ſecum inde ſuſtulit,& ad naues ferri iuſſit,pluſque ornamentorum,paucisſimis diebus detraxit quam Barbari per ducentos quinquaginta octo annos.Vrbe ſpoliata,in Siciliam traijciens, cum ſextum ibi annum ageret, & auarè,crudeliterque tributum exigeret,ac molliter, ac libidinosè viueret, à miniſtris ſuis in balneis interfectus eſt.* Hactenus Hulſius.

Huius ergo Conſtantis potuit eſſe neptis Patritia.Habuit enim ipſe vxorem,

vxorem,treſque ex ea liberos.Huius,inquam,hoc eſt, infelicis, noxijque caudicis,germen lætum & ſalutare. Quid verò miremur,ex impio Conſtãte,piiſſimam hanc virginem Chriſti prodijſſe, cum ſimiliter ſciamus, ex Domitiani genere prodijſſe Beatam Domitillam vxorem Flauij Clemẽtis Conſulis.Et à Diocletiano,tot eius affines ſanctos,de quibus Baronius anno 294.Et,ſi recentiora quæramus, ex impij Manfredi proſapia, Eliſabetham Luſitaniæ ſanctiſſimam Reginam, nuper à Sanctiſſimo Domino noſtro Vrbano Papa VIII. Sanctarum Catalogo adſcriptam.

Porrò hunc Conſtantem,multi Conſtántinum appellant. Ipſe inprimis Leo Monachus. *Tempore quo Conſtantinus,qui & Conſtans eſt appellatus.* Martyrologium M.S.Pulſanenſis Eccleſiæ,apud Nos,in Bibliotheca Sanctorum Apoſtolorum IV.Id.Nouembris. *Natale B Martini Papæ, qui ob Catholicam fidem ab Imperatore Conſtantino hæretico ab Eccleſia raptus,& perductus Conſtantinopolim,relegatuſque ad inſulam Cherſonenſem,ibidem vitam finiuit.* Sic etiam vocatur à Luithprando in Vitaliano. Et in Bibliotheca Floriacenſi, in Antiquitatibus Viennenſibus pag. 39. Et,quod maius eſt,ab ipſo etiam Martino.Lege eius epiſtolas apud Baron.& collectorem epiſtolarum Decretalium.Vt proinde colligi poſſit,vulgatius,& frequentius eius nomen, fuiſſe Conſtantini. Appellandi autem eum *Magnum*,occaſionem fortaſsè dedit,gloriabunda,per Græcos,titulorum largitio: qua denique factum eſt,vt omnes fermè Imperatores,titulo *Magni* fuerint abundè donati. Vnde legimus in Neapolitanis Diplomatibus, apud Capacium, & alios noſtros Scriptores, *Baſilium Magnum,Conſtantinum Magnum.Leonem Magnum.* Qui certè ſolo titulo,& non reapſe fuerunt Magni. Villanus itaque fortè legit,in Vita aliqua S.Patritiæ, eam fuiſſe ortam à Conſtante, ſiue Conſtantino Magno,& inde hallucinatus eſt,tituli ſplendore.Et inconſideratè ſcripſit,fuiſſe neptem Conſtantini Magni:illius,ſcilicet, qui verè Magnus fuit.Hæc de Patritiæ natalibus,coniectancè ſaltem dicta ſint.

## *Educatio.*
## *Sect. II.*

Athanaſius certè,ſi eius fuiſſet inſtitutor, nequaquam eius laudes ſilentio contegiſſet.Nonne ſicut Syncleticæ vitam ſcripſit (quæ tamen ingemiſcẽte Baronio ad V.Ianuarij, deperijt) vt eadem ratione,cum in Antonio,cuius vitam ſcripſerat, haberent quid viri imitarentur,ſic in Syneletica quid fœminæ,eodem pacto in Patritia alumna ſua, appoſuiſſet Reginis ſanctitatis eximiæ exemplum.

De Nazario,neſcio quid dicam.Incompertum namq; mihi eſt,quandiù ille à recitato Conſtantino Magno panegyrico fuerit ſuperſtes. In illo enim,Cæſares filios, quorum tunc quinquennalia celebrabantur, dicit, *in annis pubeſcentibus.* Si ergo diutius ille vixit, potuit Conſtans, ſuſceptam matrimonij beneficio prolem,Nazarij eruditioni ſubdere.

Intolerandum autem eſt,quod de Lactantio aſſeritur. Docuit quidem ille publicè Rethoricam Nicomediæ anno 302. Sed ſub Maximiano, & Diocletiano. Conſtans occiſus fuit anno 350. ætatis ſuæ annorum 27. ergo natus erat anno Chriſtiano 323. Hieronymi teſtimonio in catalogo Scriptorum, Lactantius *in extrema ſenectute, Magiſter Cæſaris Criſpi filij Con-*

*ſtanti-*

*ſtantini in Gallia fuit, qui poſtea à patre interfectus fuit.* Criſpi interfectio incidit in annum Chriſti 324. Ergo ne potuit Lactantius, Magiſter eſſe filiæ, quam pater anniculus in lucem edidiſſet?

Omnem porrò excedit fidem, quod de Elena aſſeritur, quam bonus hiſtoricus Cleantes dicit, nepti huic cariſſimæ, Chriſti clauum, teſtamento ſuo legaſſe. Obijt Elena anno Chriſti 330. Conſtans verò anno. 350. ergo ſeptennis erat, cum Elena inter mortales eſſe deſijt. Quam ergo filiam, hic pater tunc potuit habere?

## *Patrij ſolij derelictio, & Romana Peregrinatio.*
## Sect. *III.*

PEriclitante virginitate, intuta apud ſuos Patricia, fuga ſibi cõſuluit, quam, Aglay nutricis præcipuè ſuaſu, Eunuchorum, virginumque ſtipata comitatu, maturauit, nauique conſcenſa arripuit. Auſpice Deo fuiſſe arreptam, eo ſigno patuit, quod inſequentes illam patris iuſſu imperatoriæ triremes, propinquæ licet ipſi, & ſatis proximæ, eam tamen non viderunt. *Ἀορασίας* aliquam hic ſuſpicor, quam nos Latini *Auidentiam* dicere poſſumus. Ea tutata fuit olim domus Lot, Geneſ. 19. Ac rurſus à perſecutoribus ſuis Gregorius Thaumathurgus. Rem narrat Nyſſenus Gregorius in eius Vita. *Cum in Montem acceſſiſſent eius perſecutores, per omnem partem ſcrutantes, nam magno illo viro conſpecti fuerunt, recta ad illum currentes. Ille autem cum iuſſiſſet ei, qui erat cum ipſo, vt ſtaret, certa & ſolida in Deum fiducia, & ei ſuam crederet ſalutem, manus tendens ad orationem, & nec etiam ſi propè fuerint inimici, metu excutiatur fides, præcepti exemplum ſe præbuit Diacono, fixo, & ſtabili oculo, cœlum intuens, extenſis manibus, recta figura. Illi autem cum ad eos accurriſſent, & omnem locum diligenter inſpexiſſent, affirmabant quæſitores ſe neminem vidiſſe, niſi ſolas duas arbores, a ſe inuicem parum diſtantes.* Eundem fauorem indulſiſſe Deus videtur B. Ermanno, ſeu Ioſepho (id ei nomen Beatiſſima Virgo poſtea indidit, cum eũ ſibi ſponſum delegit) quẽ diuinis intẽtum in contemplationis dulcedine, præſentem præſentes ſæpiſſimè non videbant. Lege vitam ipſius à Io. Chryſoſtomo Vander Præmonſtratenſi ſcriptam cap. 50. & 61. Redeamus ad Parritiam. Pergit illa, ſed exorta tempeſtate, triremes Conſtantinopolim remeant, ipſa Neapolim petit. Inuiſit ſacra loca deuoto corde, liberali manu. Inter cætera, Baſilianum, SS. Nicandri, & Marciani Monaſterium, in cuius pariete digito Π græcam literam ſignata duriſſimo ſaxo, molliter exceptam, nominis ſui capitalem, ſiue vt Leo tradit, ſalutiferæ Crucis ſignum, prædicitque illuc fore ſui corpuſculi ſepulturam, Monachis alio commigraturis. Inde Romam, Apoſtolorum limina, cæterorumquè Martyrum veneratura ſepulcra. Aſpirante Deo votis ſuis, Templi Principis Apoſtolorum fores ipſi ingreſſuræ nullo reſerante, ex ſe patuerunt. Ibi quoque ſacro virginitatis velo per Papæ manus contecta fuit. Ex Vrbe rurſus Conſtantinopolim petit, vnde iterum Neapolim non locupletè tantùm ſuppellectile auri, & argenti onuſta, ſed ſacra etiam reliquiarum ſarcina, tanta vectrice digniſſima. Sed cùm Hieroſolymitanum iter meditaretur, turbato mari, cogitur Neapolim appellere.

Si Patritia Conſtantis fuit filia, Neapolitanum littus tenuit ſub Gra-

tioſo

tioſo Epiſcopo, aut Euſebio, vel fortè Leontio, ſiue Adeodato. Hi enim Præſules per ea tempora Neapolitanæ Eccleſiæ præfuerunt. Vide Io. Diacon. Chronicon.

In Caſtrum Lucullanum è naui deſcendit. Hoc eſt caſtrum illud, Megarim dictum à Plinio. Fortè quod Græci ex Megara venientes, ibi habitarint, vel Megara Herculis vxor. Alijs Myagra inſula dicitur ob difficiles inde elapſus. Lucullanũ dictũ eſt, quod Lucullus per ſeruos ſuos à cõſiſtẽte illud abſcindi fecerit. Vel ob piſcinas multas ab eo ibi extructas. Caſtrum oui, vulgatius nunc dicitur ob oui formam. Non enim Villani fabulæ de ouo ibi à Virgilio incluſo, abſque ineptiæ nota poſſumus aſſentiri. Inſula quoque maior, dicta eſt: & Sancti Saluatoris, ob Ædem ei ab Athanaſio Epiſcopo ædificatam. Plura de hoc Lucullano Caſtro apud Capacium. Nos ſacris tantummodo intenti, dicimus, fuiſſe hanc inſulam, Templis abundantem. Nam, præter memoratum Sancti Saluatoris, fuit & aliud Diui Seuerini. Oratorium item Sancti Archangeli, Baſilica Sancti Petri, Eccleſia Sancti Pauli, Eccleſia Sanctæ Barbaræ, Eccleſia Sanctorum Sergij, & Bacchi. Vt ex epiſtolis Sancti Gregorij, & Neapolitanis Diplomatibus colligit Capacius loco citato.

## *Tranſitus, Sepultura, & Miracula.*
## *Sect. IV.*

Vix Lucullæum caſtrum ingreſſa eſt, & ægrotare cæpit. Intelligẽs autem decretorium, & ſupremum diem iam aduentaſſe, munita Eccleſiæ præſidijs, læta obdormiuit in Domino. Vnus Villanus vult eam in naui obijſſe. Leo, & cæteri, quo diximus modo. Ædes omnes, illico ſuauiſſimus peruaſit odor. Interea Aglay inops conſilij, vbinam corpuſculo ſanctiſſimæ alumnæ ſuæ ſepulturam daret, ab Angelo in ſomnis animoſior redditur, & inſtruitur. Rem ſic narrat Leo. *Præ nimia anguſtia obdormiuit, cumque obdormiſſet, vidit in ſomnis Angelum Domini dicentem ei: Surge, & vade, ingredere ciuitatem, & dic Duci ciuitatis. Hæc dixit mihi Angelus Domini, vt des mihi duos tauros indomitos, & carrucam, vt imponam ſuper eam ſanctum corpus. Cumque dati fuerint tibi, veni, & leua ſanctum corpus, & pone ſuper carrucam, & dimitte eos abire vbi voluerint: & vbi ſteterit carruca, in ipſo loco ſepelito ſanctum corpus. Cumque euigilaſſet à ſomno, ſurrexit velociter, & abijt in ciuitatem ad Ducem, & proſternens ſe ad pedes eius cum lacrymis, dixit omnia, quæ ab Angelo ſibi per viſionem narrata ſunt. Dux verò cum hæc audiſſet, gaudio repletus eſt: & benedicens Dominum, iuſſit ei fieri quod petijt. Cumque dati fuiſſent tauri illi, tunc omnis populus congregati ſunt cum cereis, & oblationibus, & aromatibus tollentes ſanctum corpus, & ponentes illud in carruca, cum hymnis, & confeſſionibus, benedicentes Dominum: & ſequebantur tauros illos, vt viderent, ſi verum eſſet, quod Angelus loquutus eſt ad Aglay. Tunc tauri illi abierunt per mediam ciuitatem, & perduxerunt in Monaſterium SS. Nicandri, & Marciani, in locum vbi Sanctiſſima Patricia, vt diximus, ſignum ſanctæ Crucis fecerat.*

Habemus in ſacra hiſtoria, non ſemel, eiuſmodi ſepulturas Sanctorũ. Narrat VValfridus Strabo in vita Sancti Galli cap. 32. curato ipſius funere, Epiſcopum effrænibus equis feretrum impoſuiſſe, perrecturis quo Dominus vellet. Qui in neutram partem declinantes, recto itinere peruene-

runt ad cellam Viri Dei, vbi depoſitum fuit feretrum, & ſepulturæ tradi-
tum SS. Virginum, ac Martyrum Floræ, & Lucillæ ſacra lipſana Aretium
deducebantur. Subſtitit tamen iumentum illa deſcrens, vlterius non pro-
grediens. Attonitis miniſtris, Epiſcopus obuiam fit Sanctis, factaque ora-
tione, iumentum abire ſinit, certò ſciens eum locum à Sanctis electum, vbi
iumentum conſiſteret. Conſtitit itaque illud, in loco per duo ferè millia
paſſuum ab Aretij vrbe diſſito, vbi Baſilica in earum honote erecta fuit.
Narrantur hæc à Sancto Petro Damiano in Vita prædictarum Sanctarum.

Cum corpus Sancti Remigij, è priſtino in digniorem locum eſſet tranſ-
ferendum, dimoueri loco nunquam potuit, ſed noctu mirabiliter, ex ſe eo
conceſſit, vt Hincmarus tradit, apud Bozium de ſignis Eccleſiæ Dei lib. 15.
cap. 7. De Zenobio Florentino Epiſcopo, quid ſimile narrat Ioãnes Archi-
presbyter Aretinus in eius vitacap. 20.

Similiter & B. Patritiæ corpus à tauris in Monaſterio SS. MM. Nicã-
dri, & Marciani depoſitũ fuit. Ibi quoq; nõ multò poſt Aglay nutricis, quæ
in oratione proſtrata obdormiuit in Domino, & aliarũ oſſa, tumulata fue-
re. Eſt is locus in poſtica parte Tẽpli Dioſcurorũ: quãuis Faleus dicat ibi
fuiſſe mœnia Palæpolis. Inde commigrantes Monachi, locũ propè mœnia
ciuitatis, vbi poſtea Eccleſia Sãcti Sebaſtiani ædificata eſt, conſecuri ſunt.

Patrara ſunt Beatæ Patritiæ interceſſione multa miracula, olei præci-
puè inunctione, quod de cicidelo ſuper tumulum eius pendente, aufere-
batur. *Cicidelum* vocauit Leo, lamparam: Gregor. tamen Turonenſ. lib. 4.
Hiſtor. cap. 31. *cicindelem* dixit. Iſidor. lib. 20. etymolog. cap. 10. *cinc̄delam*:
& Fulbert. Carnotenſ. epiſt. 68. cicindelam. Aquarum item eruptio in ari-
do illo, & ſaxeo ſolo, meritis ipſius tributa fuit.

Præclariſſimũ autem illud fuit, quòd cẽteſimo à Beatæ tranſitu anno
contigiſſe dicitur. Excitus enim, fama miraculorum ipſius Romanus qui-
dam, generis nobilitate, ac diuitijs præpollens, quem malus genius obſe-
derat, veneraturus eius ſepulchrum, opemque ipſius imploraturus, Nea-
polim petijt, & ad Patritianum Templum acceſſit. Acceſſit, & valido
Beatæ imperio exagitatus dœmon, iniuſta poſſeſſione deceſſit. Pluſculos
ille dies ibi in gratiarum actione moratus, cum poſtridie reditum ad Vr-
bem meditaretur, aditum ad Beatæ ſepulcrum ſuſpicione vacuũ, tanquam
pernox ibi oraturus, facilè obtinuit: Aliud tamen callida cogitatione ma-
chinatus, vt aliquid .ſ. è ſacro illo corpuſculo poſſet auferre, amuletũ ſuũ,
nè denuo fieret mali hoſpitis inquilinus. Vel fortè, vt in Vrbe Orbis prin-
cipe, liberatrici ſuæ Baſilicam excitaret: Verius, permiſſu Dei, gloriam Vir-
ginis ſuæ manifeſtiorẽ teſtimonio exaltaturi. Intempeſtæ itaque noctis ſi-
lentio, lapide illo, ſub quo beata pignora tegebantur, audacter eleuato,
Virginis dentem abſcidit, ſacro furto lætiſſimus. Et ecce profluus è gingi-
uis ſanguis ac viuidus, furacem manum, ac loculum purpurat. Obriguit il-
le, motus, & ambulationis impos: quoad illuceſcente die, accurrentibus
Virginibus, Sacerdotibus, innumeroque populo, ſuffurati theſauri re-
ſtitutione, fuit motui quoque reſtitutus. Profluum poſtea ſanguinem
Virgines, binis vitreis vaſculis religioſè concluſerunt.

Hic eſt mirificus ille cruor, qui è regione euulſi dentis appoſitus, ad
hunc vſque diem liqueſcere videtur, ſpumeſcere, & ebullire. Cumque per
aliquot annos negata fuiſſet ſacrorum pignorum præſentiæ, ea liqueſcen-
tia, reddita poſtea fuit vberior, & fœnore multiplicato. Quandoquidem, ad

capitis

capitis quoque aſpectum,&,cum, inciuento ſacrificio, Deo in Beatæ honorem litatur,& ſingulis ſextis ferijs ſub horam nonam, manifeſtè cernitur experimentoque indubio,nihil hic naturam poſſe, ſed Dei nutu,potētiaque totum effici.

Fuit olim Patritia in omnibus Neapolis Eccleſijs culta. Vt ex Miſſa pater Oliuerij Cardinalis iuſſu edita. Demum,cum die vigeſimanona Septembris, anni Iubilæi 1625. inter tutelares Neapolitanæ Ciuitatis relatus fuiſſet noſter Beatus Andreas Auellinus,die 28. Octobris inſequentis,electa quoque fuit in tutelarem Neapolitanam noſtra Patritia.

## *Obiter Martyrium SS. Nicandri, & Marciani narratur. Sect. V.*

HActenus Patritiæ Geſta narrauimus. De Sanctorum nunc Nicandri,& Marciani agonibus dicturi,permittente te,id facimus,Bone Lector,dabis enim veniam breui huic excurſiunculæ. Quanquam putem,id non eſſe vltra ſepta tranſilire, aut extra chorum ſaltare. Colebantur ſiquidem ij Chriſti athletæ in eo Monaſterio, quod poſtea à noua habitatrice Patricia,Patricianum dictum eſt. Nullus ergo hic ambigendi locus, quin narratio iſta grata futura ſit Patritiæ beneficæ in beneficos.Simulque ſecum honoris decora ij recipiant: ac memorata candida ipſius pro iuſtitiæ meritis accepta corona,memoretur,& purpurea, qua ipſi pro agone martyrij fuere donati. Nacti ſumus eorum Martyrium ex Cod.M.S.Longobardico Monaſterij S. Ioannis Baptiſtæ Capuanæ ciuitatis,quod hic damus.

*Glorioſa* SS. *Martyrum Nicandri, & Marciani certamina, qualiter aduerſus* Diabolum,*armis cæleſtibus dimicarunt,ad hortationem fidelium, veritatis ſtilo promenda ſunt. Hi itaque relicta ſæculi huius malitia,& æternitatis amore totius mundi gloriam contemnentes,ad cæleſtem militiam, Chriſti gratia ſe contulerunt. Maximus igitur Præſes,cui iniunctum à ſacrilegis Impp.erat,perſequi Chriſtianos,audiens de Beatis Nicandro,& Marciano,quod detrectantes militiam, Chriſtum colerent,& Dijs ſacrificare contemnerent, ſtatim eos veluti nefaria perpetrantes, ſuis fecit aſpectibus præſentari. Quibus ita dixit:Si non ignoratis* Nicander,*&* Marciane, *Imperatorum præcepta,quibus vos* Dijs *iubent ſacrificare,accedite,& imperata complete. Ad hæc* Nicander.*Volentibus,inquit,ſacrificare hæc præceptio conſtituta eſt: nos autem Chriſtiani ſumus, & huiuſcemodi præcepto teneri non poſſumus. Maximus dixit. Quare,vel veſtræ merita non accipitis dignitatis?Nicander dixit:*Quin *pecunia impiorum,contagium ſunt viris Deum colere cupientibus.*Maximus *dixit. Iure tantum Deos,Nicander,honorato.*Nicander *dixit,Quomodo poteſt homo* Chriſtianus,*lapides, & ligna colere,Deo relicto immortali,qui omnia fecit ex nihilo?* Eum *& nos vtique colimus,qui & me,& omnes in ſe ſperantes poterit conſeruare.Vxor verò* Sancti *Nicandri nomine* Daria, *præſens virum proprium, verbis huiuſmodi animabat.Caue* Domine *ne id facias,Caue* Domine,*ne Dominum noſtrum* Chriſtum *neges.* Intuere *cœlum,& in eo ipſum videbis, cui fidem, & conſcientiam ſeruas: ipſe enim eſt tuus adiutor. Ad quam* Maximus, Malum, *inquit,caput mulieris, Cur virum tuum mori deſideras? Illa verò,Vt viuat,inquit,apud Deum,& nunquam moriatur* Et *Maximus.Non,inquit,ita eſt,ſed quia robuſtiori viro copulari deſideras: ideo hunc hac vita citius priuari feſtinas. Illa verò:ſi ſuſpicaris, ait, hoc me animo cogitare, atque id*

*me eſſe facturam, primam me propter Chriſtum occidito: ſi tamen id etiam de mulieribus tibi mandatum eſt. Tum Maximus:* De mulieribus *quidem, hoc mihi non eſt iniunctum, neque equidem faciam quod cupis, veruntamen eris in carcere. Deducta igitur illa in carcerem,* Maximus *ita dicere cœpit ad* Nicandrum. *Noli ad verba tuæ vxoris attendere, neque alicuius huiuſcemodi perſuaſionem audire, ne citò luce priueris: ſed ſi vis accipere interuallum, in eo deliberato, vtrum melius ſit viuere, quam mori. Et ad eum* Nicander. *Spatium quod te daturum promiſiſti, iam putato completum: ac me deliberaſſe cognoſce, vt nihil aliud cupiam præ ſalute. Præſes verò eleuata voce dicebat, Gratias Deo: & Nicander etiam dicebat, Gratias Deo: Putabat enim Præſes, Chriſti Martyrem de hac vita, atque de huiuſcemodi ſalute dixiſſe: &, quod ſacrificaturum eum putaret, nimium lætabatur. Itaque gaudens cum Leucone Conſiliario ſuo incedebat.* Nicander *verò actus in ſpiritu, cœpit Deo gratias agere, atque cum voce orare clariſſima, vt à labe, atque à tentatione huius ſæculi liberaretur. Quod cum* Maximus *cognouiſſet, ita dixit ad eum. Quomodo qui mane te viuere velle dixiſti, nunc iterum deſideras mori?* Nicander *ait: Ego æternam vitam opto viuere, non autem huius ſæculi temporalem, & propterea in corpus meum tibi poteſtatem feci. Fac igitur quod vis: ego Chriſtianus ſum. Tunc Præſes ad Marcianum. Quid tu Marciane?* Marcianus *dixit. Eadem, quæ commilito meus, etiam ego affirmo. Et Præſes. Ergo ſimul etiam in carcerem ambo trudemini, pœnam ſine dubio ſubituri. In carcerem verò miſſi, poſt viginti dies, iterum ad Præſidem adducuntur. Ad quos Præſes: ſufficit, inquit, vobis* Nicander, *& Marciane tempus ad monendum, vt imperatoribus ſtatutis parere velitis. Ad quem* Marcianus. *Multitudo, inquit, verborum tuorum, neque nos à fide* Chriſti *faciet recedere, neque negare* Deum: *præſentem enim videmus, &, quo vocat, cognoſcimus. Noli ergo nos retinere. Hodie enim fides noſtra in Chriſto completur: ſed mitte citò, vt videamus Crucifixum, quem vos ore nefario maledicere non dubitatis, quem nos veneramur, & colimus. Ad quem Præſes. Ecce pro deſiderio, inquit, veſtro morti trademini. Tunc* Marcianus. *Per ſalutem te, inquit, petimus Imperatorum, vt nos citius mittas; neque enim ſuppliciorum formidine, id te, vt facias, adiuramus: ſed vt citò noſtro deſiderio potiamur. Tunc Maximus: Mihi non contradicitis, inquit: Neque enim vos perſequor ego, ſed Imperatorum præcepta. Vnde alienus ſum, ac mundus à veſtro ſanguine. Si autem ſcitis vos bene ituros, gratulor vobis: veſtrum deſiderium compleatur. Hæc dicens, ſententiam in eos pronunciauit capitalem. Sancti verò Chriſti Martyres, quaſi vna voce lingua dixerunt. Pax tecum Præſes humane. Ibant ergo gaudentes, & benedicentes Deum. Et* Nicandrum *quidem ſequebatur vxor eius, ac Papianus frater Martyris Paſicratis, filium* Nicandri *portans infantem, atque ei gratulans de ſalute. Marcianum verò ſequebantur cognati, atque vxor eius veſte conſciſſa, quæ talia profundebat. Hæc, inquit, ſunt Marciane, quæ tibi dicebam in carcere, id timens, atque id plorans. Væ miſerere, nihil reſpondes? miſerator eſto mei* Domine, *aſpice filium tuum dulciſſimum, conuertere ad nos: noli nos ſpernere. Quid feſtinas? quo intendis? Cur nos odiſti? veluti ouis ad victimam es ſublatus. Marcianus verò conuertit ſe, atque eam acerbius intuetur dicens. Quandiu* Sathanas *mentem tuam, atque animum obcæcauit? Separa te à nobis. Concede mihi vt martyrium* Domino *perficiam. Zoticus verò quidam* Chriſtianus, *manum eius ſuſtentans dicebat. Bono animo eſto Domine frater: bonum certamen luctatus es: nobis verò infirmis, vnde talis fides? Veniant tibi in mente promiſſiones, quas Dominus polliceri dignatus eſt: quas nunc nobis reddet. Verè vos perfecti Chriſtiani, & beati eſtis. Vxor verò eius ſe ingerebat plorans, atque eum retrotrahens. Tum Marcianus ad Zoticum tene, inquit, vxorem meam: quam Zoticus Martyre dimiſſo continuit. Poſtquam verò ad locum venit, circumſpexit* Marcianus, *& de multitudine Zoticum ad ſe vocauit,*

atque

*atque edixit, ut uxorem ſuam ad eum adduceret: quæ cum fuiſſet adducta, oſculata eſt eam, & dixit. Recede in Domino, non potes enim me martyrium celebrantem aſpicere, mente tua ſemel à maligno ſurrepta. Infantem verò oſculatus, & cœlum intuens dixit. Domine Deus omnipotens, tibi ſit huius cura. Tunc Martyres ſe ſe inuicem amplectuntur, atque oſculantur, & paulisper à ſeſe, perficiendi cauſa martyrij diſceſſerunt. Marcianus verò circumſpexit, & vidit uxorem Nicandri, quòd præ multitudine, ad eum accedere non poſſet. Manu itaque ei porrecta, eam ad virum ſuum adduxit. Ad quem Nicander, Dominus, inquit, tecum: illa verò iuxta eum conſiſtens dicebat: bone Domine, bono animo eſto: oſtende tuum certamen: decem annos in patria ſine te feci, ac momentis omnibus à Domino, vt te viderem optabam: nunc verò vidi, & gratulor ad vitam proficiſcenti. Ecce nunc clarius exclamabo, & glorìabor, uxor martyris conſtituta: bono animo eſto Domine, ac redde martyrium Deo, vt & me etiam de morte perpetua liberares. Poſt hæc, percuſſor, orarijs, oculis Martyrum circumdatis, iniecto gladio finem eis dedit martyrij. Requieuerunt autem Chriſti Martyres Nicander, & Marcianus, quintodecimo Kalendarum Iuliarum, regnante Domino Ieſu Chriſto, cui eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.*

# DE S. LAVRENTIO

## Et alijs Epiſcopis.

### CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

ABruptè narrationem de Laurentio inſtituit Io. Diaconus, his propemodum verbis. *Fuis autem temporibus Ioannis Papæ.* Hinc tamen haud dixerim, acephalam eſſe ſcriptionem: Nam eodem prorſus modo loquitur in Timaſio, Reduce, Cæſario, Gratioſo, Euſebio, & alijs. Forte, cum nomine, quod in Epigraphe præponebat, ſcriptionem connectebat. Certè Ioannis huius Epiſcopi ſanctitatem minimè ſubticuit. Nam in Sergio, qui poſt eum ſedit, vocat illum *Beatum*. Quin & tacitè indicat, peſtilentiam, quæ huius ætate Neapolitanam ciuitatem populabatur, eius orationibus deſæuijſſe, quibus vti bonus paſtor, cum ſuo grege incumbebat. *Quando*, inquit, *multi ad inſulas, cladem fugientes, relinquebant domos abſq; habitatoribus, & filij cadauera inſepulta parentum. At, ſi quem fortè charitatis pietas perſtringebat, vt proximum ſepelire vellet, remanebat ipſe inſepultus. Adueſperaſcente die, qui ſuperſtites exiſtebant, viciſſim ſibi pacis oſcula tribuebant, inuicem ſe commendantes, ſuaque ſcelera mutuò confitentes, perdita ſpe deueniendi ad alterum diem. Ingraueſcente autem tali peſtilentia, vt de die in diem penè omnes conſumarentur, metu, ac tremore concuſſi, cum omni inſtantia, qui relinquebantur, ex medullis vociferãtes, Domino ieiunia, & orationes offerebant, & ſua quiſque delicta plangebat. Talibus igitur inuitantes operibus, plaga mortis, Domino annuente expulſa eſt.* Probabile eſt, luem iſtam, aduocato Sancti Sebaſtiani patrocinio fuiſſe extinctam, exemplo eorum, quæ Agathone Pontifice, paulò ante ea tempora Romæ contigerant. Narrantur à Paulo Diacono lib. 6. Hiſtor. Longobard. cap. 5. & Anaſtaſio in Agathone. Inter cætera, apparebant viſibiliter, bonus, & malus Angelus noctu per ciuitatem pergentes: & quoties ex iuſſu boni, malus venabulo, quod in manu ferre videbatur, oſtium alicuius domus percuteret, tot die ſequenti de eadem domo interibant. Ac facta cuidam reuelatione, non prius ceſſaturam peſtem, quàm in Baſilica Sancti Petri ad Vincula, altare Sancto Sebaſtiano erigeretur, eo erecto, peſtem protinus ceſſaſſe. Vt proinde coniectari liceat, Sancti Sebaſtiani Eccleſiam, & Monaſterium à poſterioribus Regibus, huius forte beneficij memoria excitis, tot latifundijs, & priuilegijs fuiſſe cumulata.

Laurentium ſpiritu prophetiæ fuiſſe ditatum, & Epiſcopatum prædixiſſe Sergio, qui poſt eum immediatè ſedit, ſcribit Capac. lib. 1. in Stephano Duce XI. his verbis: *Sergij huius dignitas Epiſcopalis, à B Laurentio Epiſcopo prædeceſſore prædicta fuit.* Vnde id hauſerit, neſcio. Sergij enim electio ex voto fuit à Ioanne Magiſtro militum concepto, dum aduerſus Romoaldum Caſtri Cumani iniuſtum inuaſorem, expeditionem moliretur. De quo iſta Io. Diac. *Si Domino annuente, proſperè recepto Caſtro reuenero, poſt deceſſum Pontificis, ſi vſque vixero, iſtum Sergium Presbyterum, Epiſcopum ordinabo.* Quod & 

*factum*

*factum eſt. Nam adierunt, ipſumque Caſtrum receperunt, atque ipſum ſtabilientes, incolumes omnes ſunt reuerſi. Cumque propria morte, B.Laurentius Epiſcopus de hac luce ſubtractus fuiſſet, Sergiũ elegerunt Pontificem, & prædictũ votum completũ eſt.*

Cum rexiſſet Laurentius Neapolitanam Eccleſiam annos XV. & mẽſes ſex, ad cœlites tranſmigrauit: ſepultuſque fuit in Oratorio ab eius nomine nuncupato, quod in æde D.Ianuarij extra mœnia fuiſſe dicitur. Indicant id Acta S.Athanaſij. Quando autem in Metropolitanam Eccleſiam, in qua & eius imago in pariete depicta videtur, fuerit tranſlatum, & ſimul cum Athanaſij ſacris cineribus collocatum, incertum eſt.

Ædem S.Laurentij, quæ olim in Metropolitana Eccleſia dicitur extitiſſe, huic Laurentio fuiſſe dicatam, aſſerit Engenius. Qui, vt in tempore, quo ſedit hic Epiſcopus hallucinatus eſt, facit enim illum præfuiſſe ſub Ioanne X. circa annum nongenteſimum quartum decimum, cum obierit diù ante, nempe initio Pontificatus Gregorij II. ita & in Eccleſia eius nominis. Conſtat enim, ante tempora Laurentij Epiſcopi, fuiſſe Eccleſiam aliquam D.Laurentio Martyri dicatam. Ioãnes enim Diaconus, in Ioanne Mediocri, qui diù ante Laurentium noſtrum vixit, ſic ſcribit; *Fecit & Baſilicam B.Laurentij Leuitæ, & Martyris mirifica conſtructione digeſtã: vbi etiam, quaſi ad lineam, omne ſtratum ex marmorum cruſtis ordinatum, placabile omnium oculis videtur.* Ne vacilles lector, audito nomine *Baſilicæ*: nam, vt latè oſtendi ſupra cap.15.ſect.4. confunduntur apud Diaconum hæ voces, *Baſilica*, & *Cappella*. Hanc verò Cappellam, eandem puto eſſe, quæ propè Stephaniam poſita, dicta eſt, S.*Laurentij ad Fontes*, vbi Andreas Conſul à Contardo occiſus eſt. Vti ex vetuſtis fragmentis Neapolitanis ſe collegiſſe teſtatur Capac.lib.1.& à Io.Diac. in Io.Scriba memoratur. Neque Platinæ teſtimoniũ, cui innititur, Engenio ſuffragatur. Solũ.n. aſſerit, Innocẽtium IV. in Eccleſia S.Laurẽtij ſepultũ, Leuitæ ne, an Epiſcopi, minimè diſtinguẽs.

Hæc pauca de Laurentio ad nos peruenerunt, deſtitutos ope Codd. antiquorum. Quam monumentorum Eccleſiæ Neapolitanæ iacturam, vtinam in vno Laurentio paſſi eſſemus. In alijs etiam Epiſcopis id accidiſſe, dolemus, & ingemiſcimus. *Marciani* ſanctitatem, vix pauca aliqua Kalendaria nobis exhibent: & ſacra ædicula ad leuam Epiſcopij excitata, etiamnum extans. *Victorem* quoque præclara, vt par eſt credere, pro ſuo grege patrantem, præter Hiſtoricos aliquos, Kalendaria, Ritualia, & Breuiaria, memorato tantum Sancti titulo, nulla alia Acta, nobis exhibent. *Stephanum*, niſi S.Patritius Pruſæ Epiſcopus, & Martyr, qui Neapoli fuit, anno Chriſtiano 499. in Mœneis Græcis à Radero tranſlatis, ſanctiſſimum appellaſſet, nemo noſtrum, Sanctum fuiſſe ſciuiſſet. De Iuliano Epiſcopo, qui ſeptimo vixit ſæculo, teſtantur nonnulli, ſe vidiſſe in pariete Archiepiſcopalis Ædis, antequam nouo tectorio incruſtaretur, effigiem eius capite radiato, cum honorifica inſcriptione Sancti titulo. Cæteri præterea nihil. Certè, quid, aut iucũdius, aut glorioſius Patriæ noſtræ Neapoli euenire potuiſſet, quàm ſuos ciues videre, vt Paulin. ait Natal. S.Felicis.

*Progeniem Deo per non numerabile ſemen,*
*Aequantes his Aſtra Poli, his telluris arenam?*

Quid item vtilius, quàm eiuſmodi permultis coronari turribus, & propugnaculis: ac ſuorum filiorum frequentiore ſuffragio communiri.

*Reddere qui facilem nobis orando Parentem*
*Cœlicolum poſſint, terriſque auertere fulmen?*

Sperãdum, quod licet ignoti nobis, adhuc tamen, res noſtras apud Deum, cui adſtant, tueantur, ac foueant.

# DE S. GAVDIOSO CIVE NEAPOLITANO, ET EPISCOPO SALERNITANO.

## CAPVT TRIGESIMVM SECVNDVM.

QVod Salernitani habuiſſe Gaudioſum Epiſcopum gloriantur, iure id faciunt: fuit enim inſignis animarum rector. Quod autem habere precioſum eius corpus aſſerant, id ex vulgi tantùm fama, & inani traditione dictitant. Neapolitanus fuit Gaudioſus, meritoque ciuem ſuum ſibi reſtituendum, priſci illi Neapolitani curarunt. Diſplicerent iſta Gaſpari Muſcæ Salernitano Presbytero, ſi viueret. In Catalogo enim Præſulum Salernitanorum ſic ſcribit. *Corpus Gaudioſi, Salerni requieſcit in inferiori crypta eiuſdem Salernitanæ Eccleſiæ, non autem Neapoli, vt falsò nonnulli putant. Nam Gaudioſus ille, cuius corpus Neapoli aſſeruatur, Africanus fuit Epiſcopus, & ob Vandalorum perſecutionem in Campaniam venit, & in Monaſterio apud eam vrbem ſancto fine quieuit, & eius mors in conſpectu Domini pretioſa, celebratur à Romana Eccleſia V. Kal. Nouembris. Quomodo verò fuerit glorioſum eius corpus Neapolim translatum, neſcimus: ſed dicant ij, qui noſtra aduerſantur veritati. Gaudioſus verò noſter, Salerni Epiſcopatum geſsit, vitamque ibidem cum egiſſet, in Domino mortuus eſt. Et hæc ne finxiſſe videamur, non obſcuro doctiſsimi viri Cæſaris Baronij in Notis ad Romanum Martyrologium in menſe Octobris, teſtimonio roborantur.*

Laudo Muſcæ in patriam affectum. Sed (parcant mihi eius manes) in Catalogo illo, nonnulla eius ſphalmata obſeruaui. Vt, cum in Bonito dicit, de eo in Eccleſiaſticis Tabulis agi: cum nulla in textu Martyrologij de eo fiat mentio, ſed tantùm in Notis Baronianis ad diem IXX. Octobris, occaſione Eucterij Epiſcopi. In Rodiperto quoque fallitur, figens obitum Arechis ad annum 780. figendum verò ad ann. 788. vt figit Britannus in Annalibus de geſtis Caroli Magni, qui eius præceptor fuit, & per hos ipſos annos viuebat, & ſcribebat. Vide in quarto tomo Hiſtoriæ Germanorum. In Ractulo, diuiſionem inter Radelchin, & Sichenolphum, acceptam fert Ludouico Imperatori: Lothario, iuxtà Sigonium, & Gordonum tribuendam. In Teupo, malè ſupputat principatus: nam anno 853. non Radelchis, vt ipſe ſcribit, ſed Sichinulphus principabatur. Vide ſeriem Principum Salernitanorum præfixam quatuor Chronologis à me olim editis. Præterea in Landemario, ſcribit eum dum adhuc viueret, teſtamento cauiſſe, quo habitu indutus ſepeliri vellet, nempè Monachi. Cum tamen ipſe verè monachatum ſit profeſſus, vti Leo Oſtienſis aſſerit, lib. 1. cap. 41. & lib. 2.

lib.2.cap.50.Tædet me,alios eius lapſus hiſtoricos obſeruare.Nunc quiſnam falſitatis arguendus ſit,aperiam.

Neſciebat Muſca,duos nos Neapoli habere Gaudioſos, Africanum, & Neapolitanum.Scripſit autem Baronius 26.Octobris. *Confuſa eſſe Acta de his duobus Gaudioſis,dum quod eſt alterius,tribuitur alteri,& aliquando ex duobus efficitur vnus:vt in Actis alterius,quæ extãt,Neapoli legimus*. Sed Baronius cẽſendus eſt,Acta tantum legiſſe,nõ Lectionaria.Extant ea apud nos M.S. In quorũ altero,recentiori quidem,& fortaſſe à Baronio lecto, non commiſceri, neque per oſcitantiam Acta Salernitani cum Bitinenſis Actibus, hæc ſuadent.Primò,quia Scriptor,eſt admodum antiquus, ac prope ea tẽpora,quibus trãſlatum ait Neapolim,corpus B. Gaudioſi Salernitani Epiſcopi. Secundo,quia multa adducuntur,neque per affectatam ſtropham cõmunicabilia.Adducitur enim,trãſlationis tempus, nẽpè ſub Grimoaldo Principe,qui viuebat anno 800.In primo lectionario lect.8.In ſecũdo lect. 32.Ætas Epiſcopi,nimirũ quinquaginta annorũ.In primo lect.7.Impetrãtis nomẽ,& Dignitas, *Milo quidã nomine* In primo lect.8. *Milus homo vtique Deo charus*:In ſecundo lect. 22. Locus & Ædes ad quam tranſlatus,ac tumulatus fuit,nempe,in vertice cuiuſdam mõtis. Vtrumque lectionibus citatis.

Denique & miracula ab eo Neapoli patrata: & Eccleſia Sancti Saluatoris ad Aſpectum,ſiue Proſpectum,in occiſi ibi ab eo draconis,ac tempeſtatis amotæ memoriam excitata,non parum fidei,apud æquos,ſinceroſque Lectores,eiuſmodi Narrationi,ſiue Lectionario conciliant.Præſertim ſi conſideretur,Lectionaria vetera,nonniſi valdè examinata,& probata,ad Eccleſiæ publicum vſum fuiſſe admiſſa.Neque enim adeo vęcordes,& ſtupidi fuiſſe cenſendi ſunt antiqui illi Præſules,& Eccleſiaſtici viri,Gaudioſo Salernitano Epiſcopo,non admodum multis ſæculis,vti nos ſumus, poſteriores,vt pro Bitinenſi,Salernitanum & ipſi acceperint,& Neapolitanis colendum,ac celebrandum publicè propoſuerint,& per tot ſæcula,erroris huius ſuſtinendi anſam præbuerint.

Accedit his Sannazarij teſtimonium Hymno duplici de hoc Sancto Gaudioſo:

*Gaudete cœtus virginum;*
*Plenas habentes lampadas:*
*Sponſus ſacras ad nuptias*
*Venit repente:ſurgite,*
*Venit ſerenus Lucifer,*
*Nocturna pellens ſidera:*
*Optata lux ſolennibus*
*Adeſt dicata gaudijs,*
*Lux clara,qua fugans nigram*
*Mundi ſator caliginem.*
*Veſtri latere gloriam*
*Patris,diù non paſſus eſt;*
*Quæ Gaudioſi ſegmina,*
*Tot inreperta ſæculis,*
*Suis videnda ciuibus;*
*Diues retexit vrnula.*
*O ter beate,& amplius*
*Lapis puſille,qui tuo*

*Tanti verendum Præſulis*
*Sinu recondis puluerem.*
*Præſul ſed ò beatior,*
*Clara decus Neapolis,*
*Tuæ benignus patriæ*
*Fer Gaudioſe gaudia.*
*Adſit fides, & veritas,*
*Adſit probata caſtitas:*
*Morbos, famem, pericula*
*Tuis repelle manibus.*
*Ergo tibi ſit gloria*
*Inſeparata Trinitas,*
*Verbum, Paterque, & Spiritus,*
*Qui condidiſtis omnia.*

De eodem ad Veſperas.

*Audiat ſurgens pariter, cadenſque*
*Sol ſuas laudes, meritoſque honores;*
*Vrbis ò noſtra columen, tuæque*
*Gloria gentis.*
*Audiat cælum, mare, terra, & aer,*
*Annuos ritus tibi dum nouamus,*
*Dum damus flammis adolenda ſacris,*
*Thura per aras.*
*Huc ades feſta redimite fronde,*
*Cælitum plauſus, choreaſque linquens,*
*Et tuam ſedem tua Gaudioſe*
*Oſſa reuiſe:*
*Oſſa, quæ longa tumuli ſub vmbra*
*Abdita, ignaras latuere gentes.*
*Nocte mox pulſa redeunt apertas*
*Lucis in auras.*
*Hic dies nobis celeber, precamur,*
*Lætlor ſemper redeat, nec vllos*
*Hoſtium motus ferat: aut maligni*
*Sideris actus.*
*Da tuis longam venerande pacem*
*Ciuibus, da perpetuos honores,*
*Da bonam mentem, ſuperiq; plenos*
*Luminis hauſtus.*
*Iuſta poſcentes animos benignus*
*Adiuua, iniuſtos moderare ſenſus.*
*Sentiat per te patuiſſe caſtis*
*Aethera votis.*
*Laus tibi c&li Pater, atque princeps*
*Omnium Rector ſimul, & Creator*
*Quem fides veri ſtudioſa, trinum*
*Credit, & vnum.*

Arbi-

Arbitror autem Sannazarium hæc panxiſſe, occaſione aliqua recenti, inuentionis corporis Sancti Gaudioſi Salernitani. Id enim ſignificat illud. *Veſtri latere gloriam Patris diu non paſſus eſt.* Et iterum, *quæ Gaudioſi ſegmina, tot irreperta ſæculis, ſuis videnda ciuibus, Diues retexit vrnula.* Ac item. *Oſſa quæ longa tumuli ſub vmbra, &c.* Sed cum incerta ſit hæc oſſium Gaudioſi Salernitani detectio, Sannazarij teſtimonio, haud validè innitor. Quod tamen, pro eius patria Neapoli aſſerenda, validiſſimum arbitror, vt mox dicam.

Neque, quod in ijs Lectionarijs narratur, nempe, Gaudioſum manum quam fœmina oſculata fuerat, aliquid humanum fortaſſe paſſum, ſibi amputaſſe, quæ ab Angelo fuit illi poſtea reſtituta, adeo incredibile eſt, vt exemplis firmari non poſſit. Id Leo Primus Pontifex Maximus feciſſe legitur, licet Baronius anno Chriſti 461. exiſtimet illam eſſe garrularũ fabellam vetularum. Id, imò maius aliquid profectò egiſſe dicendus eſt, adoleſcens ille: qui quod matrem pede percuſſerat, adeo poſt tantum crimen, B. Antonio Patauino detectum indoluit, vt ſecuri ſibi noxium pedem exſecuerit. Vtcumque ſit, opinio de illius caſtimoniæ puritate, & Angelico patrocinio, fidem his apud vulgum excitauit: eiuſque narratio, licet non ita veritati conſona, cæterorum fidem, quibus certa perſonarum, locorum, ac temporum aſſertio ſuffragatur, infringere non debet.

His de vera apud Nos corporis eius exiſtẽtia firmatis, geſta eius breuiter ſunt commemoranda.

Fuiſſe patria Neapolitanum, teſtatur Sannazarius Hymno primo,

*—— Gaudioſi ſegmina,*
*Tot irreperta ſeculis,*
*Suis videnda ciuibus,*
*Diues retexit vrnula.*

Et paulò poſt. *Præſul ſed ô beatior,*
*Clara decus Neapolis,*
*Tuæ benignus patriæ,*
*Fer Gaudioſe gaudia.*

Et Hymno ſecundo. *Vrbis ô noſtra columen, tuæq;*
*gloriæ gentis,*
*Da tuis longam venerande pacem*
*Ciuibus ——*

Id etiam arguit, quod è vita migranti, vnà cum B. Bonoſo, alijſque Diuis eius prædeceſſoribus, etiam Ianuarius, & Agrippinus apparuiſſe leguntur. Vtique: nam quem Bonoſus, & Salernitani Diui, tanquam Salernitanum Epiſcopum inuiſere dignati ſunt, eidem proſecto vt Neapolitano ciui, Ianuarium, & Agrippinum Neapolitanos apparuiſſe, decens fuit.

Eius porrò genus, quàm fuerit inſigne, indicant verba illa Lectionarij. Nam aliquando appellatur *Glorioſiſſimus Parthenopenſi ortundus ciuitate: potentum, digniſſimorum, ac religioſiſſimæ proſapiæ dignam, ac nobilem ducens originem.* Lect. 1. Item ibidem dicitur, *Cum eſſet de genere Principum.* Et Lect. 3. *Multis obſtrictus ſuorum parentum precibus, vt ſicuti ſibi condignum erat, incederet, ſcilicet cum pompa equorum, & copia ſtrenua.* Fortè filius, vel nepos fuit Theophilacti illius Ducis Neapolitani, qui bello Saracenico occubuit.

Clericali militiæ aſcriptum in Eccleſia Sanctæ Mariæ, aſſerunt Lectionaria. Eam autem, non aliam intelligo, quam quæ *Maior* dicta eſt, à Pomponio erecta, & Ioanne Papa dicata. Virtutum autem radij, quibus

Gaudioſus explenduit, ipſis eius geſtis à ſcriptoribus eius vitæ exaratis fiunt conſpicui. Nempe, leproſi mundatione, cæci illuminatione, ægrotorũ ſanatione, & multis his ſimilibus. Vt inre in Salernitanæ Eccleſia regimẽ, quamuis inuitus, & fuga ſibi conſulens, fuerit aſcitus. Vide Biographos.

Porrò dies natalis, ſiue emortualis Gaudioſi, incertus, ſecundum me videtur. Lectionaria dicunt, illum ſucceſſiſſe Bonoſo. Ex ijſdem habetur, miniſtraſſe clericum Neapoli in Eccleſia Sanctæ Mariæ, quam, vt dixi, non aliam arbitrari licet illis priſcis temporibus, quam Aedem Sanctæ Mariæ Maioris à Pomponio erectam. Muſca ſtatuit primum Salerni Epiſcopum S. Bonoſum, & poſt eum alios quinque, & poſt hos anno Chriſti 500. Laudentium Epiſcopum qui interfuit Concilio Romano ſub Symmacho Pontifice. Sed facile eſt aduertere, Muſcam, non habuiſſe rationem temporis in ſuis illis Epiſcopis recenſendis: ſed ante omnes alios, poſuiſſe Diuos: mox ſubieciſſe Laudentium, cæteroſque, qui Diui non fuerunt. Exiſtimo itaque, Bonoſum, cui ſucceſſit Gaudioſus, floruiſſe Neapoli, ac Salerni, multis annis poſt Gaudentium. Cum enim Pomponius ædificauerit ædẽ illam, cui inſeruiuit Gaudioſus, poſt annum Chriſti 500. veriſimile eſt, diu poſt annum 500. vixiſſe Gaudioſum, atque adeo, etiam Bonoſum eius prædeceſſorem, fuiſſe Salerni Epiſcopum poſt Gaudentium. Si coniecturis autem in re incomperta vti liceat, coniectari licet, Gaudioſum, non multo ante Grimoaldi Salernitani Ducis tempora deceſſiſſe. Ab ipſo enim, Neapolitanus Dux, huius ciuis ſui corpus petijt, & obtinuit. Ergo non multæ præceſſerant ætates, aut ſæcula: atque adeo, vigente adhuc eius memoria, iuſtæ petitioni factum fuit ſatis. Scio, poſſe id etiam dilucidari ex magna illa annonæ caritate, quæ eo tempore Neapolitanam ciuitatem inuaſit: Et ex bello inter Salernitanos, & Samnites. Sed hæc ſatis pro nunc ſint.

TRANS-

# TRANSLATIO SS. MM.

# EVTICETIS, ET ACVTII NEAPOLIM.

## CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM.

E Puteolana ciuitate Barbarorum incurſionibus diruta, & Prætorio Falcidij (qui fortè locus, idem eſt ac ille, vbi poſtea, Monaſteriũ Falcidij extructum eſt, de quo Gregorius Papa lib. 8. epiſt. 39.) vbi primum horum Martyrum corpora tumulata fuerant, ea Neapolim in Stephaniæ Baſilicam tranſtulit Stephanus eius nominis ſecundus, per errorem ſupra cap. XX. Sect. VI. tertius appellatus Adriano Pontifice Maximo, circiter annum Domini 773. Tranſlationis huius Acta à Raynerio quodam, qui fortè illi interfuit, aut certè non longè ab eo tempore vixit, ſcripta, apud Nos M.S. exrantia, publici nunc iuris facimus. Ad obſequium præcipuè horum Sanctorum, hic ſub Ara maxima Principis Templi quieſcentium, ſed & ad Stephani quoque Neapolitani Epiſcopi memoriam ſeruandam, cuius in Eccleſiam ſuam beneficia, nulla ſunt obliuione delenda. Quàm fuerit ille in eam munificus, tetigimus ex parte ſupra cap. primo, Sect. IX. Plura dixerat ex Io. Diac. Capac. lib. 1. dum de eius Ducatu ageret, fuit enim Dux, & Epiſcopus Neapolis. Addamus, & Raynerium.

In hac autem Raynerij narratione, character ſermonis, tritum illud cacoethes rithmicæ locutionis habet: quod ingenioſè, vt ætas illa putabat, Iſocolis efficiebant, verſibuſque malè tornatis. Ob humilem tamen, ac rudem ſcribendi ſtylum, non eſſe Sanctorum vitas contemnendas, ſapiens quiſque mecum iudicabit. Latent enim quandoque ſub vilibus illis verborum integumentis, res litteris, memoriaque digniſſimæ. Atque ex incompti ſermonis fuligine, ſcintillæ plerumque emicant venerandæ antiquitatis, aut priſci ſermonis. Scio apud aliquos Sanctorum Biographos, malè audire Surium, vtpote Breuiatorem ſuo palato conſulentem, alios tamen integræ lectionis guſtu priuantem. Hæc obiter dicta volo. Nunc hiſtoriam ſubiungo.

*Pauciſſimis dilatis poſt mortem Martyrum* Eutycetis, *& Acutij annis*, fortè ſæculis. *Conſtantinus Caballinus ſuam cupiens exercere tyrannidem*, Romanæ *Vrbis indigenis crudeliter imperaturus aduenit:* Cuius rei *gratia, vita pariter, & Regno renuncians, ſe viuentem tartareas pœnas pati eiulando clamauit. Eodemque tempore* Domnus *Stephanus iunior Romanæ* Cathedræ *reſidens, offenſam* Deſiderij Longobar*dorum Regis veritus, Carolum pijſſimum* Imperatorem *adijt. Stephanus verò* Neapo*litanæ Sedis Antiſtes, inter cætera Eccleſiæ ſua collata ornamenta, non paruo labore ſtuduit præfatorum Sanctorum Martyrum Eutycetis, & Acutij transferre venerabilea corpora. Et, vt Vrbs, quæ pro innumeris annorum curriculis mentionem temporalis amiſerat ſuæ nouitatis, nitens mœnibus ædificiorum, ac Sanctorum corporum reliquijs*

*inſi*

*inſignis, horum etiam lætaretur adiuuari præſidijs, hæc quoque Sanctorum corpuſcula ſauorali admodum laude proſequentium ciuium, ac mirifica pompa iubilantium Clericorum, alterius ablato vertice, in Stephania delata gratanter aſylum, integri marmoris biſidum intromittuntur Sarcophagum. quod penitus imo telluris ſolo defoſſo ſubterraneo domus dolatis artificum manu lapidibus, ſeui pro merito recepit veſtigio: cuius claustri prominens pulchritudine decentis faſtigium, columbis ambitum purpureis, ſculptarum vario ſchemate figurarum, inſignitum argenteum baiulat, quod vulgò ciborium dicitur, nitens pyraterium. Sub cuius vmbraculo altare ſimiliter ſtatuitur, argenteis vndique redimitum tabulis: quod mundi Saluatoris gratia, & vocabulo ſimul dedicatum, multorum corporali ſolamine Sanctorum, ſe gaudet eſſe refertum. Penes autem pſallentium Deo agminum, ſedem quibuſdam lapideis cocleis lector ſcandens, argenteo per gyrum Antiſtitis ſtudio ambiri ſe cernit analogio. Et vt Sanctorum corpuſculis ſatis deſerret, ædes eodem ignea flamma combuſta, præfati Præſulis eſt reparata induſtria. Sed hæc ſupremæ magnificentiæ munera, quæ perenni dignitatis excepta reuerentia, ſic Sanctorum militum labores, ac dono præſentialibus faſcibus recompenſant, quæ dignis laudibus lingua prædicet? Meritò etiam pro humanis obſequijs ſpiritibus Angelicis, eos, ſi fas eſt, dixerim præcellentiores, quibus ſubtilitate vigentis naturæ proculdubio ſunt inferiores. Denique dum ferè vbique terrarum, ſtupendis extolluntur laudis præconijs, dum altè ſugibus potiuntur gaudijs, Angelorum autem dulcis ſolennitas ſolummodo viget in cælis, Sanctorum hominum profectò minores ſunt meritis.*

*Pro ſtudijs quorum, munuſculo dantur honorum,*
*Moribus ardenti, fideique calore calenti.*
*Supplicibus donis hit iungi poſce Patronis,*
*Terrea qui ſpernis, & cælica pectore cernis.*
*Dic iſtis Sanctis, dic ſuagita voce precantis,*
*Pro meritis dignis, ignoſcite quæſo malignis:*
*Et veniam detis mihi, quem peccare videtis;*
*Vt merear ſiſti vobiſcum vernula Chriſti.*
*Perfruar, vt cæli modulamine mente fideli:*
*In terra natus, ſed ad æthera flamine latus:*
*Laudis habebo ſonum, vitale recepero donum,*
*Nullus vbi fletus, ſed lætus ad omnia eſtus.*

*Nec reor, immeritò tantum theſaurum Puteolanos incolas perdidiſſe, & nobilium ædium ſtructuris labefactis, vrbem penè vacuam, profugis colonis permanſiſſe, ablatumque ab ea famulorum Dei eximium corporaliter patrocinium, præfatam Neapolim ſibi vendicaſſe: quoniam quidem, quos peruerſa non pænitet actionis, vltio quandoque afficit temporalis: & dignè pœnitentibus, aderit etiam præmium mundanæ felicitatis, quod promerentibus Sanctorum loculis, Neapolites adeptus eſt ciuis, quorum pretioſiſſimus inibi ſegitur cinis.*

*Hoc quædam eximiæ nobilitatis experta eſt mulier, Eruſcuna nomine, cum nimio capitis, & ſtomachi laboraret ægritudine: Quæ non fruſtrà, velut multi aſtruūt, Eruſuta eſt nuncupata parentibus. Eriſis ſiquidem Dorica locutione, aurum dicitur: & quoniam contemplationi ſupernæ claritatis feruore inhiabat piæ deuotionis, Aurea meruit nuncupari, ex ipſius officio actionis. Quam cum intolerabilis capitis dolor, fumo vndique cerebri latera ambiente, inceſſanter afficiendo, requieſcere nec ad modicum ſineret, igneo tandem calore diſſolutus humor, vomitus execrabiles, & penè letiferos generauit. Taliter itaque, viribus ferè omnibus deſtituta, necnon ſemiuiua, nihil amplius quàm de morte (triſtibus medicis) cogitans, patrem ſpiritualem ad ſe accerſi-*

ri de-

*ri deprecans, ei qualis, & quantus eſſet languor, ſeriatim indicat. Qui ſolito more, ſalubria adminiſtrans cæleſtium pigmentorum medicamina. Eia, inquit, de Sanctorum Martyrum Eutycetis, & Acutij corporibus, à me ſibi exhibitas ſuſcipe deuotè particulas, quas reuerenter reconde, necnon & orationibus, & vigilijs inſiſtas, Miſſarumque peractis ſolennijs, capiti imponas, & ab eis, tui languoris procuidubio deſideratam nimis accipies medelam. Cuius exhortationibus credula mulier, adimplere, quæ iuſſerat nihil diſtulit: ac per hoc exemplo quanta foret Sanctorum virtus, recepta ſanitate, didicit. Vndè nos ſupplices huiuſmodi petamus, pura mentis intentione Patronos, vt nos liberent ab omni hoſtili incurſione, quorum meritis prædicta mulier ſalua facta eſt à propria ægritudine, opitulante Ieſu Chriſto noſtro Saluatore, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Hactenus Raynerius. In cuius narratione, cum cætera pateant, *analogij* tantum vox aliquanto obſcurior, explicanda eſt. Ex Vualafrido Strabo, de rebus eccleſiaſt. cap. 6. Analogium, pulpitum eſt: *Quòd in eo Verbum Dei legatur, & annumeretur. Logos enim græcè, verbum vel ratio dicitur.* Stephanus item de Sacramento Altaris cap. 4. *Officium, ait, acolythorum eſt, ante Diaconum ferre cereum accenſum, cum ceroferario vſque ad analogium, & tenere debent, dum legitur euangelium..*

# DE S. IOANNE AQVAROLIO, SEV SCRIBA:

## CAPVT TRIGESIMVM QVARTVM.

QVod Sanctus hic Præſul, Aquarolius dictus ſit, vel de Aquarolis, fortè ex familiæ cognomine, vel habitationis loco, id nuncupationis adeptus eſt. At, quòd Scriba ſit appellatus, dicerem, Scribæ publico officio illum functum, pro nota cunctis eius probitate. Lego enim apud Cornelium Nepotem in Eumenio. *Apud Græcos*, græciſſauit autem Neapolis per multum temporis, vt ſæpius dictum eſt, *nemo ad id officium*, Scribæ, *admittitur, niſi honeſto loco, fide, & induſtria cognita*. At cum Io. Diaconus aſſerat, illum *ſic ſcribere nouiſſe, vt ex officio cognomẽ acceperit, & ab omnibus Ioãnes Scriba vocaretur*: & *Codices manu propria vtiles, & plures conſcripſiſſe*: quod & apud Ioannem Ceimiliarcham, eius quoq; vitæ Scriptorem legimus, cogor opinari propriè à ſcribendi aſſiduitate, & characterum elegantia, tale illum cognomen fuiſſe ſortitum. Scribendi certè artem profitebantur antiqui: vnde & *Antiquaria* ars dicta eſt: & Scriptores, *Antiquarij* nuncupati, l. 2. C. Theodoſ. de ſtudijs liberalibus Vrbis Romæ, & l. 10. de proximis ſacr. ſcrin. Socr. lib. 2. Hiſt. cap. 26. *Quinquaginta membranaceos Codices benè confectos, & ad vſum habiles, ab artificibus antiquarijs, & perfectè artem ſcientibus, ſcribi præcipias*. Adde Caſſiod. de diuin. lection. cap. 15. & 30. quo loci ſcitè antiquarios deſcribit. Et verò fuerit alijs delectationis opus, pulchros effingere characteres, vti Theodoſio Imperatori, qui exinde *Calligraphi* cognomine fuit appellatus: Ac poſterioribus ſæculis Paulo Diacono, de quo Leo Oſtienſ. lib. 1. Chronic. Caſſinenſ. cap. 17. ſcribit, fuiſſe eum à ſententia truncationis manus liberatum, cui damnatus fuerat ob appoſita illi in Carolum M. ſcelera, deferueſcente einſdem Imperatoris ira, illis verbis. *Si ei manus abſcindimus, vbi tam elegantem ſcriptorem inuenire poterimus*? Et recentioribus temporibus, duobus Ciuitatis noſtræ luminibus, Ioanni Põtano, & Iacobo Sannazario, quorum M.S. lucubrationes, de Prudentia, ac de Partu Virginis autographæ, extant apud Nos charactere concinno, & veluti pennicillo depicta, conſcripta. Sed Ioanni noſtro, *infimis parentibus procreato*, vt Diaconus ait, *& qui pauperem cucurrit pueritiam*, neceſſitatis fuit opus, & quærendi ſibi victus ſtimulus. Alium quoque inuenio ſic appellatum. Is fuit Robertus Scriba Canonicus Regularis S. Auguſtini in Angliæ Monaſterio Bridlingtonenſi, inſignis ſacrarum ſcripturarum interpres, & Scriptor. Qui floruit anno Chriſti 1180. Vide Pitſæum de Scriptoribus Anglicis, Ætate duodecima. Sed Ioannes noſter præſtat cæteris, quod nul-

lo præ-

lo præceptore eam artem conſequutus eſt, vtque Ceimiliarcha loquitur, *ſine indice didicit*.

In virtutum ſtadio procurrens Ioannes, tandem Neapolis Epiſcopus eligitur. Res ad hunc modum peracta eſt. Peſſimus ille Neapolis Conſul Bonus, occiſo Stephano Duce, *contra ſanctam Eccleſiam*, verba ſunt Io. Diaconi in Tiberio Epiſcopo, *multa cœpit mala peragere. Cui cum Antiſtes Tiberius, inquantum virium erat, obſiſtere non dubitaret, eligens terreni magis, quàm cœleſtis iram incurrere iudicis, et fugiter examen commonabatur diuinum. Sed ille antiqui aſpidis cauda, aurem cordis obturans a ibus, quia ſpernebat monita ſalutis, inſuper, vt funes peccatorum, ad ſuum prolongaret interitum, lectorum verboſitates magis attendebat. Quid moror? Ad vltimum iniecit in eum manus, & comprehendit eum, atque carceralibus tenebris religatum, arcto pane, & aqua macerabat.* Hæ Tiberij calamitates, ad languorem vſque Ioannem afflixere. Sed neque hic malorum finis. Nam Bonus, conuocatis pluries Clericis, toto niſu, noui ad Præſulis electionem eos coegit. Qui vnanimi voto in Ioannem conſenſerunt abſentem, & obſiſtentem, nè, ſcilicet, viuo adhuc Epiſcopo, videretur Sedis Epiſcopalis inuaſor. Infremuit magis Conſul, ac iugulari Tiberium iuſſit, omneſque Epiſcopij ſeruos, cum cœteris bonis, fiſco addici. Imminentem hãc Eccleſiæ cladem, vt vitaret Ioannes, coactus eſt Epiſcopi munus aſſumere, re prius cum ipſo Tiberio communicata, ſeruata, vt potuit, Apoſtolicæ Sedi reuerentia, & eluſo minaci Conſulis imperio. Anno poſtea cum dimidio elapſo, moritur Bonus, ſuccedente ſibi Leone filio, qui à ſocero ſuo Andrea pulſus fuit. Hic Andreas in Tiberium mitis, *Leuauit eum*, ait Diaconus *de lacu miſeriæ, & tenebrarum, & ſub cuſtodia poſuit in cubiculo ante Eccleſiã Sancti Ianuarij Martyris*. Bella deinde ſecuta ſunt inter ipſum, & Sichardum Beneuentanum Principem, Aduocatio Sarracenorum, Contardi aduentus à Lothario miſſi, Sichardi occiſio, & Andreæ Conſulis, & Contardi cum vxore, & familia trucidatio, quæ ab eodem narrantur. His peractis, vltimus Tiberij dies aduenit. Qui pridie quam moreretur, reſidens in Pontificali Cathedra, ſic gregem ſuum alloquitur. *Scitis fratres chariſſimi, quia peccatorum mole depreſſus, iuſto iudicio hominibus abſque miſericordia traditus ſum. Sed Dominus, qui deducit ad inferos tribulationis, & reducit, quique cum tentatione prouentum facit ad ſuſtinendum, permiſit præſentem filium meum Dominum Ioannem, noſtram ingredi ſedem, quatenus haberem maximæ tribulationis ſolatium. Ideoque nolumus veſtram latere charitatem quia de tanta, quam erga me impendit humanitate, etiam ſi omnibus membris loquerer, nullatenus illi gratias referre valerem. Tamen quia magis miſericordia mea conſolationis, quàm præſumptione motus, viuo me Epiſcopatum aſſumpſit, nulla immineat illi, neq; à Romana Sede, nec ab alijs hominibus condemnatio. Huius etenim profeſsionis quam ſponte pro illo feci, coram Deo, & omnibus poteſtatibus, veritatis teſtes vos habere decreuimus.* Hæc Diaconus. Qui ſubdit, mortuo Tiberio, miſiſſe Sergium apocriſarios ſuos ad Apoſtolicam Sedem, pro Ioannis electi inthronizatione: & Gregorium Papam nõ prius eum Pontificali infula decoraſſe, quam per Ducis iuſiurandum, & cunctorum atteſtationem ſibi conſtitiſſet, Ioannem non voluntate, aut inuaſione, ſed neceſſitate compulſum, id onus accepiſſe, pro Tiberio, non contra Tiberium affectum.

Qualem ſe in Epiſcopatu geſſerit Ioannes, ex Diacono docebimur. *Perfectus Epiſcopus, quãtum, & qualem ſe exhibebat, nulla carnis lingua poterit enarrare. Nam, omnia ſe faciebat omnibus, vt omnes lucrifaceret. Nulli vnquam malum*

*pro malo reddebat.* Neminem *niſi pro ſuis criminibus increpabat. Quē mœrentem non conſolatus eſt? Cum quo infirmante, non eſt infirmatus?* Sic *præerat cunctis, vt ipſe magis videretur ſubiectus. Hic fuit ſecundum Apoſtolum Pontifex, vt etiam teſtimonium foris haberet.* Non *enim niſi pius, niſi iuſtus, niſi ſanctus per omnia dicebatur.* Similia habet Ceimiliarcha. De ornatu Eccleſiæ loquens, *Ad ſanctum Chriſma conficiendum fecit vnam deauratam ampullam, in cuius labijs, nomen ſuum deſcripſit. Acquiſiuit autem thimiamateria ex auro fabrefactis operis: ſimilique labore, auream operatus eſt crucem. Codices verò manu propria, vtiles, & plures deſcripſit.* De pietate verò in prædeceſſores ſuos Epiſcopos ſubdit. *Corpora quoque prædeceſſorum, de ſepulcris, in quibus iacuerant, leuauit, & in Eccleſiam Stephaniā ſigillatim collocans aptauit vnicuique arcuatum tumulum, ac deſuper, eorum effigies depinxit.*

Obitum denique S. Ioannis, aliter Diaconus, aliter Ceimiliarcha deſcribit. Et ille quidem ſic: *Dominus Ioannes Epiſcopus, vir totius ſanctitatis, ſenſit ſibi diem adeſſe ſolutionis, quo ſui nominis gratiam ſuſciperet. Gaudebat enim, quod breui temporis ſpatio diſſolutus finem daret ſuo certamini, & multò melius eſſe cum Chriſto in perpetuum. Septem quoque dierum vi infirmitatis detentus, ſedulus in oratione excubans, gratias referebat Domino. Quibus tranſactis requieuit in pace.* Hic verò ſic: *Ante diem tertium, quam de hoc mundo ad Dominum migraret, audientibus cunctis ſuis Clericis, qui adſtabant, retulit ſe vidiſſe Sanctum Paulinum angelica dignitate veſtitum, atque ornatum, totum niueum, totumque ſydereum, atque odore roſeo redolentem, fauum etiam candidiſſimum mellis in manu tenentem, ac dicentem ſibi. Frater Ioannes, quid hìc facis? Solue vincula tædiorum tuorum, & iam veni ad nos. Hæc enim eſca, quam in manu teneo, apud nos ſatis abundat. Et cum hæc dixiſſet, complexus eſt eum, & immiſit in os eius partem faui præfati, cuius dulcedine, atque odore, ita S. Ioannes concupiſſe ſe dixit, vt ſi ſibi in ipſa reuelatione perſiſtere poſſibile fuiſſet, ab eius veſtigijs nullatenus receſſiſſet. Nam excitatus à ſomno, eadem die in quinta feria, iuxtà conſuetudinem ſuam remuneratis omnibus de familia Clericis, atque pauperibus, ſanus Dominicam cœnam celebrauit. Sexta feria, videlicet Paraſceue, orationi vacauit. Sabbatho autem, ſexta hora diei, ad Eccleſiam lætus proceſſit: aſcenſoque tribunali, populum ſalutauit, reſalutatus autem à populo, orationem dedit. Collecta verò oratione, ſuper altare beatum ſpiritum exhalauit.* Explicat ea verba Baron. Notis ad diem 22. Iunij. Sed de Tribunali, nihil. Tu lector aduerte, non iudicialem aliquem locum hìc deſcribi, ſed eum, qui ad concionandum eſſet aptus. Sicut 2. Machab. 13. dicitur *Lyſias Tribunal aſcendiſſe*, & Plinius in Panegyr. Traiani, *tribunal virtdi ceſpite extructum* dicit. Inde ſuggeſtus ſacer, ex quo ad populum Præſulés verba faciebant, ſic eſt appellatus. Legēdus Chryſoſtomus hom. 19. ad Popul. Antiochen. & clarius Orat. de B. Philogonio, qui ex cauſarum patrono Epiſcopus factus fuit: quem dicit, *à tribunali ad tribunal fuiſſe euectum*.

Euocatum fuiſſe Ioannem à B. Paulino ad cœleſtia regna, vti ex Ceimiliarcha narratum eſt, ex Tabulis Eccleſiaſticis confirmatur: in quibus ad diem vigeſimum ſecundum Iunij habetur. *Neapoli in Campania Sancti Ioannis Epiſcopi, quem B. Paulinus Epiſcopus ad cæleſtia Regna vocauit.* Idem legitur in Appendice Vitæ S. Paulini ab Vranio ſcriptæ. Quæ certè, Vranij ipſius eſſe non poteſt, cum eius meminerit Paulinus epiſtola decimaſeptima. Sed recentioris auctoris comperitur eſſe, cum obitum Ioannis noſtri narret, qui vixit multò poſt Paulini tempora. Et Ioanne Diacono antiquioris, quippe cum Diaconus, quæ de Ioanne hoc dicuntur, perperam Ioāni pri-

mo

pro Epiſcopo contigiſſe dicat. Coniuncta eſt igitur Anonymi auctoris narratio cum Vranio, filo orationis nequaquam interrupto. Lectionarij namque forma, quæ ex vitæ narratione conſurgebat, ſic requirebat, vt ex pluribus auctoribus lectio tanquam vnius ſolũmodo cõtinuaretur. Rarò enim Actorum Scriptor, aut Hiſtoriæ auctor, nominabatur in publicis Eccleſiæ officijs. Vnde ob id periere vocabula auctorum, qui ſacras hiſtorias ſcripſerunt, cunctaque eorum notitia, magno Actorum detrimento interijt.

Similem beatum vitæ exitum ad Altare, ſortitus eſt S. Caſſius Narnienſis Epiſcopus: de quo Martyrolog. Rom. die 29. Iunij, ex Gregorij Papæ Dialogis. *Natalitio Apoſtolorum die, quo ſingulis annis Romam venire cõſueuerat, cum miſſarum ſolennia celebraſſet, & corpus Dominicum, pacemque omnibus dediſſet, migrauit ad Dominum.* Nec non & S. Felix Nolanus. Ado de ipſo, die 14. Ianuarij. *Dominica die, myſterijs confectis, data pace omnibus, ſe in pauimentum oraturus proiecit: moxque B. viri anima de carnis ergaſtulo egreſſa, poſt grauia tormenta, quæ patienter tulerat pro Chriſto felicia regna ipſe verè felix conſcendit.* Vtque ex noſtris aliqua etiam promamus, eodem mortis genere obijt Paulus Secundus, Epiſcopus Neapolitanus, qui vixit circa annũ Domini 757. de quo Io. Diaconus: *Dominico die ſancta Paſcha, miſſarum ſolennijs penè completis, cunctos oſculatus eſt Clericos & omni populo exhortato, ſpiritu migrauit ad cælum.* Recens eſt exemplum B. Andreæ Auellini Clerici Regularis Tutelaris Neapolitani, à cunctis Vitæ eius Scriptoribus narratum, & in Actis Canonizationis eius ritè probatum. Hic cum incruento ſacrificio, conſueto illo verſiculo, *Introibo ad Altare Dei* initium daret, apoplexia correptus, intrante poſtea veſpera eiuſdem diei, ad optata cœli gaudia tranſijt. In cuius imaginem ſacris veſtibus refulgentem, quæ prima omnium typis excuſa fuit, iſtud ego pangebam diſtichon.

Æternum intrabo Cœli iam Altare beatus
Andreas dixit: Dixit, & introijt.

Hoc tandem in Ioannis laudem addendum, ipſum olim inuocatum cum Athanaſio eius diſcipulo, in antiquis litanijs Capuani Monaſterij Sãcti Ioannis Baptiſtæ, quæ extant in M. S. Codice orationum, litteris Longobardicis exarato.

# GESTA S. ATHANASII EPISCOPI.

## CAPVT TRIGESIMVM QVINTVM.

IOannes Eccleſiæ Neapolitanæ Diaconus, Chronico ſuo de Epiſcopis Neapolitanis finem facit, Epiſcopi huius præclara geſta narrando. Habemus quoq; eius Vitam, ab Anonymo quodam ſcriptam, atq; ad duo vetuſtiſſima exemplaria caſtigatam. Fuſius autem alius quidam res eius eſt proſequutus: ex quo multa collegit Baron. tom. X. Annal. ann. 872. Hunc ego, cum ſacrum Caſſini Montem adijſſem, ex M.S. quodam Codice illius Bibliothecæ, fideliter exſcripſi. Eius initium eſt. *Glorioſus, & laudabilis vitæ curſus*. Putat autem Baron. eam narrationem, à Petro Diacono Caſſinenſi fuiſſe ſcriptam. Fortè ex eo, quia in Codice Caſſinenſi, in quo Petri Opera recenſentur, ſcripta reperiatur. At verò, vel fallitur Baron. vel duo ſunt Petri, Vitæ Athanaſij Scriptores, quod nemo adhuc dixit. Potius ad Petri diligentiam id referendum, in Codice illo eam adglutinantis, vtpote ad Caſinum, in quo corpus eius tumulatum fuerat, attinentem. A nullo autem Caſſinenſium Monachorum eam eſſe ſcriptam, ſuadet ſilentium de ſacri illius Cœnobij laudibus, cuius cum ſæpè incidat memoria, auctor, non vt de proprio, ſed veluti de alieno Monaſterio loquitur. Multo minus adduci poſſum, vt credam Petrum ipſius Scriptorem fuiſſe. Cum lib. 4. Chronic. Caſſinenſ. cap. 56. & lib. de Viris illuſtribus Monaſt. Caſſin. cap. 45. Catalogum texens, Hymnorum, Vitarum, & Homeliarum, cæterorumque Operum à ſe conſcriptorum, de hac Athanaſij vita, nihil dicat. Exiſtimo itaque, ipſam à Synchrono certè ipſius ſcriptam, id eliciens ex extremis prologi verbis. *Opifici omnium gratias immortales referendo qui noſtris temporibus, antiqua miracula perpetrare dignatus eſt*. Ac rurſus in Narratione. *Noſtris nuper temporibus*. Et intra quinquēnium ab eius morte. Nulla enim hìc mentio habetur de Tranſlatione corporis eius Neapolim, quæ poſt tale tempus contigit. Probabile autem eſt, Scriptorem hunc, patria Neapolitanum fuiſſe, nā frequens eſt pronuſque maximè in huius Vrbis laudibus narrandis. Vt autem Baronio morē geramus, & ab alio antiquo Scriptore hūc ſecernamus, Petrum nos quoq; illum appellabimus. Ex quo hęc propemodum nobis narranda proponimus.

*Sect. I. Sancti Athanaſij Ortus, Indoles, Educatio.*
*Sect. II. Eius in Neapolitanum Præſulem Electio: & Eccleſiæ Neapolitanæ ſtatus ipſo Epiſcopo, ante Sergij Ducis Tyrannidem.*

# Caput Trigeſimum quintum.

*Sect. III. Prima Romana profectio.*

*Sect. IV.* Impia *impij Sergij contra Athanaſium auunculum perſecutio, & infelix eius obitus.*

*Sect V. Sancti Epiſcopi ſupremus dies,* Tumulatio, *Tranſlatio, Cultus.*

## *Sancti Athanaſij Ortus, Indoles, Educatio.*
### *Sect.* I.

ATHanaſius Ducis filius, frater, & auunculus inuitat nos, vt de Neapolitanis Ducibus agamus. At præſtitit hoc egregiè Capacius lib. 1. cap. 11. & 12. Quod ſi & alios legere placeat, adire quis poterit Bulenger. de Imper. Aleman. de pariet. Lateran. Andream Knichium, & alios.

Patrem habuit Sergium de proſapia procerum, multis apud Cæſares honoribus cumulatum. Matrē Doſam, principali, & ipſam proſapia ſatam. Quem cum aluo geſtaret, imitata Samuelis matrem, Deo dicauit. Vtque faceret Magni Alexandrini Athanaſij imitatorem, ſuo voluit nomine appellari. Vigebat quippe Neapoli, Athanaſij illius cultus: eo quod bis ille Romam petens, hac tranſiſſet. Vndè, vt reor, ipſemet Fortunatum Epiſcopum, ad Concilium Sardicenſe, quod ipſe à Iulio Papa obtinuerat indicendum, ſecum exegerit. Sicut autem Protaſius Mediolanenſis Epiſcopus, *in Concilio Sardicenſi*, vt habent Faſti Romani, die 24. Nouembris, *cauſam Athanaſij defendit*, idem & Fortunatum feciſſe credendū eſt: imo & Neapolitanis ſuis, inuictum pectoris eius robur pro Catholicæ fidei defenſione concelebraſſe; vt inde in illum poſtea increuerit deuotio. Scimus namq; in eius honorem Eccleſiam fuiſſe erectam in Vico, qui dicebatur Alexandrinorum, quod ibi Alexandrini huc commeantes, degerent. Qui Vicus erat inter Nili, & Portus regionem, & fortè etiã alias. Parētibus fuit turba filiorum. Ex quorum vni, illis adhuc viuentibus, Gregorio nomine, dignitas Magiſtri militum collata fuit. Alter Athanaſius iſte, qui ortus dicitur *decima Indictione*, hoc eſt anno 832. *Regnante Michaele & Theophilo, Romana Eccleſia Præſidente Gregorio, quando votum ſuum parentes facto firmauerunt, prout decreuerant, Clericum eum facientes*. Vbi aduerte, hæc duo nequaquam eſſe coniungenda. Indictio enim X. non ad Clericatum pertinet, ſed ad natiuitatem Athanaſij: Eo enim anno 832. non Michael Balbus, & Theophilus, ſed Theophilus ſolus, mortuo ante tres annos Michaele, regnabat. Factus autem fuit Clericus circa annum 838. quo regnabant Michael Porphyrogenitus Cæſar, & Theophilus Auguſtus eius pater.

Septimus illi fluebat annus, cum Clericali militiæ fuit adſcriptus, atque Eccleſiæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, vt eccleſiaſticis imbueretur miniſterijs, traditus. Eam porro fuiſſe Eccleſiam Sanctæ Mariæ Maioris, quaſi antonomaſticos dictam Eccleſiam Sanctæ Mariæ Virginis, facilè mihi perſuadeo: quoniam Ioannis Epiſcopi diſciplinæ tunc tradi nō potuerit, nam hoc anno, quo obijt prædeceſſor eius Tiberius, fuit Ipſe à Gregorio quarto legitimus Epiſcopus factus. Poſt ſeptem continuos an-

nos, videns Ioannes illum in ſpiritu efferueſcentem, ſeptimum in Neapolitana Eccleſia Leuitam ordinauit. Erant enim Neapoli, ſicut & in alijs quoque primoribus Eccleſijs, ordinati Diaconi ſeptem, qui Epiſcopum cuſtodirent, dum Euangelicæ prædicationis officio fungeretur. Sicut Gregorius, ſeptimus Leuita in adiutorium Pelagij Papæ aſcriptus dicitur, à Gregorio Turonenſ. lib. 10. Hiſtor. c. 1.

## *Eius in Neapolitanum Præſulem electio: & Eccleſiæ Neapolitanæ ſtatus, ipſo Epiſcopo, ante Sergij Ducis tyrannidem.* *Sect.* II.

ANno Chriſti 850 inquit Baron. *creatur* Neapolitanus *Epiſcopus: qui Romam veniens, a Leone Papa* quarto *conſecratur Idib. Martij, ante Altare Sancti Gregorij.* Et Petrus Caſſinenſis, *Expleto igitur in leuitici officio, anno vno, duobuſque menſibus prædictus vir Ioannes bonæ memoriæ, honeſtiſſimæ vitæ Præſul, & Deo ſatis charus, diem clauſit extremum. Moxque ab vniuerſo Clero, omnique plebe ſimulque a Ducibus genitore ſcilicet & germano communi voto, & conſilio, electus eſt ad Pontificale decus Et proficiſcens Romam, conſecratus eſt à venerabili Papa Leone, Idibus Martij, ad Altare Sancti Gregorij. Reuerſuſque, à cunctis ciuibus, magno gaudio exceptus eſt: eo quod talem meruerint ſuſcipere paſtorem, & patrem qui nutritorem ſuum imitaretur moribus, & factis.*

Quantarum virtutum in Epiſcopatu fuerit promus Athanaſius, longo complectitur ſermone Petrus. Perdius quippe fuiſſe dicitur ab eo, & pernox in oratione. Studijs incubuiſſe Græcarum, pariter, & Latinarum litterarum, parentis, ac fratris imitatione, vtraſque optimè callentium. Acerrimus fuiſſe ſui corporis hoſtis, quod & abſtinentia macerabat, cilicio vexabat, flagris extenuabat, grauique plumbi onere, ad ſpiritus obedientiam trahebat. Liberalis in pauperes, quorum inopiæ ſubleuandæ, hoſpitalem domum, ſupra gradus atrij Maioris Eccleſiæ crexerat. Erga Dei cultum religioſiſſimus: in Eccleſia etenim Sancti Saluatoris, Collegium Hebdomadariorum inſtituit: Eccleſiæ Stephaniæ ſacram ſuppellectilem aureis vaſis, & argenteis inſtruxit, varijſque Eccleſijs Clericos, & Manſionarios addixit: ac item Monachos in Lucullano palantes, ſub Abbatis regimine concluſit. Captiuorum quoque prædicatur redemptor. Concludit denique Petrus narrationem ſuam his verbis. *Quo viriliter agonizante, tam in diuinis quàm in mundanis, adeo aucta eſt,* Ciuitas Neapolitana, *vt nulli Eccleſię in Campania inferior in aliquo cerneretur.* Nec illud de eo ſubticet, *quòd in Dei timore, & orationi tam intentus, & peruigil extitit, vt anachoretis, noſtris certè diebus, omnibus ſit præferendus.*

Libet autem nunc, pulcram Neapolitanæ Eccleſiæ faciem Athanaſio Epiſcopo, & antequam impij Sergij labefactata eſſet tyrannide, ex eodem Petro Caſſinenſi deſcribere. Is itaque narrata ciuitatis ſtructura, munitionibus, ac turribus, ſubdit. *Nam interdum binas Præſulum geſtat ſedes, ad inſtar duorum teſtamentorum, qui eam gubernant, & reliquum, vt capite reguntur artus diuerſi.* Subſiſte paululum, Lector, nam Codex, quo vſus eſt Baronius, deprauatus videtur. Emendo ſic, ex vetuſtiſſimis Codicib. M. S. *Nam introrſum, binas Præſulum geſtat ſedes.* Facit ea lectio mirificè ad Petri ſenſum: exteriori enim Neapolis facie, in ædificijs, turribus, mœnibuſque patente, deſcripta,

ad

ad interiora ſermonem conuertit,quaſi diceret. Vt quid in exterioribus, conſpicienti cuique manifeſtis immoror? Ad alia ſtylum conuerto,& interiora,quæ maius illi decus afferunt. *Introrſum binas geſtat Præſulum ſedes.*

Cum legis,duos ibi fuiſſe Præſules,caue ne putes, vnius vrbis fuiſſe duos æquales Epiſcopos. *Vnus Chriſtus,& vnus Epiſcopus* clamauerunt aliquando Patres in Cõcilijs.Etiam à Baronio id aſſeritur,dum ſubdit. *Quod duplex populus cõtineretur in ea,nempè Latinus, & Græcus, qui ſeorſum ſuo' quiſque ſub capite tamen vno,peragerent ſacros ritus.* Ac tacitè à Petro id innuitur,ſiue *introrſum*, ſiue *interdum* legas,exemplo *artuum diuerſorum,ſub vno tamen capite rectorum.* Quare verba illa Petri ſuperius adducta, ſic diſpungenda ſunt. *Qui eam gubernat,regit & reliquum.* Hoc eſt,Latinus, qui Ciuitatem gubernat,regit & reliquum,alterum ſcilicet græcum Epiſcopum.Quaſi Græcus, Vicarius eſſet Latini Epiſcopi, prout de eo videtur loqui Concil.Lateranenſe ſub Innoc.III.Viget hodie in Archiepiſcopatu Meſſanenſi,Dignitas Protopapæ, qui veluti Archiepiſcopi ſubſtitutus, Græcis præeſt. Certè Græcanicã fuiſſe Neapolim ſexcenties in hoc Opere diximus:& ex Inſcriptionibus,atque vocabulis,dignitatibus, imò & ſubſcriptionibus obſeruatu facilè eſt. Quandoquidem,multoties idiomate quidem latino ſubſcribebant,charactere tamen græco:vt habes,apud Capac.libro 1. in Ioanne Duce XXVII.Qui plura de græco Clero deſiderat,Capacium adeat lib. 1. fol.57.Franciſcum Antonium Purpuram I.C.Neapolitanum,Epiſcopum nunc Montis Marani,in Reſponſo pro Monachis Baſilianis, in cauſa præcedentiæ cum Monachis Caſſinenſibus, & Engenium in Eccleſia S.Georgij,& Sanctæ Mariæ in Coſmedin. Aliquando autem, verè duos Epiſcopos in eadem Ciuitate fuiſſe legimus.Vide Baronium Notis ad diem primum Februarij,docentem in eadem Antiochia, Ignatium à Petro, Euodium à Paulo fuiſſe ordinatum: ex diſſidio nempe orto inter eos, qui ex circumciſione,& qui ex gentilitate cõuerſi erant. Poſtea verò,conuenientibus vtriſque in vnum lapidem angularem,vno tantum remanente. Vide cum latius.

Pergit Petrus,in Eccleſiæ Neapolitanæ laudem. *Reperiuntur planè in ea Templa priſco conſtituta ædificio:quoniam non ſolùm à Conſtantino piiſſimo Principe Auguſtorum Chriſtianiſſimo.ſed plures ante annos,Chriſtiana ibi religio floruit. Siquidem Beatiſſimus Petrus Apoſtolorum Princeps, Aſprem ſanctiſſimum inibi ordinauit Epiſcopum.* Quibus verbis,innuere videtur Petrus, etiam ante Conſtantini tempora,fuiſſe Neapoli extructas Eccleſias. At obſtat Romanum Breuiariũ, vbi de Cõſtãtino ſic legimus in Syluestri feſtiuitate. *Itaq; auctore Syluestro multas Baſilicas ædificauit,quas ſacris imaginibus, doniſque, ac muneribus magnificentiſſimis exornauit:facultate etiam data Chriſtianis quod antea negatum erat,publicè Templa extruendi.* Senſus ergo verborum Petri hic eſt:Exciri Neapolim ad Templorum religioſam extructionem, ob auitam fidem,in qua ab ipſo Apoſtolorum Principe firmata fuit.

Sequitur: *Iam & Beati illius Agrippini Eccleſia hactenus demonſtratur, qui quintus à ſupradicto Aſpren Epiſcopus ordinatus eſt,quique Patronus,& defenſor eſt iſtius Ciuitatis.Beatiſſimumque Ianuarium Chriſti Martyrem, poſtea Neapolites meruerunt habere Tutorem.* Intellige aliquo protectionis ſigno poſtea demõſtrato:Cum alioqui longè antea conſtet Ianuarij patrocinium. Vt dixi in Hiſtoria S.Ianuarij Sect.XXI.

Rurſus: *In qua laici ſimul cum Clericis aſſiduè Græcè latinèque communi prece com-*

*ce pſallunt Deo,debitumque perſoluunt iugiter officium.* Hoc Romæ,& alibi factũ. Ideoque ſabbathum quatuor temporum,dictum eſt ſabbathum duodecim lectionum ab Amalario lib.2.c.1.

De pietate erga pauperes,hæc idem Petrus. *In qua etiam indigenæ, & inquilini,non circumeundo domos, in peregrinorum habitu, ſtipem publicè expetunt, ſed,quo loco commorantur,omnia neceſſaria quæ deſiderantur, abundantiſsimè percipiunt. Et iuxta præceptum Dominicum,præfatæ vrbis accolæ, potius Lazaros quæritant,vt exhibeant largius,affluentiuſque quibus indigent.* Alludit ad Diaconias, Quæ etiam *Ptochia* dictæ ſunt. Eſt autem *Ptochia* Domus mendicorum. Vide, quæ ſupra dixi de Eccleſia Sancti Ianuarij ad Diaconiam Cap.XX. Sect.XXII.

Obſignat tandem Petrus,Neapolitanæ Ciuitatis laudes, inſigni hoc elogio. *Ciuitas hæc,ciuitas Miſericordiæ eſt & Pietatis Hincinde vallata omni bonitate. Quæ ergo meruit tot,taleſque habere patronos apud Deum in exorando, meritò huiuſmodi debuit protectione tutari, vt in bonis exuberet operibus, & à cunctis exiſtat aduerſarijs illæſa.* Hactenus Petrus de Neapolitanæ Eccleſiæ decore.

## *Prima Romana profectio.* *Sect.* III.

ANno ſexageſimo primo ſupra octingẽteſimũ,qui fuit Nicolai Papæ quartus, celebrata fuit Synodus Lateranenſis in cauſa Ioannis Epiſcopi Rauennatis. Cuius abominanda ſcelera, ex Anaſtaſio narrabimus,in Vita Nicolai. *Multi Rauennatum, qui à Ioanne eiuſdem Vrbis Archiepiſcopo,in rebus,& iuris ſui proprietatibus, incommoda ſuſtinebant,ad hũc Beatiſsimum Papam,vt à tantis oppreſsionibus eruerentur, veniebant. Quorum piè clamores audiens ipſum Legatis ſuis,& litteris ſæpius Archiepiſcopum, quatenus talibus cederet actibus,commonuit. Sed ille mente confuſa,monita ſŷ Patris contemnens, peiora in prioribus addere,minimè contemnebat. Quanto autem benigna inſpectio Summi Præſulis,illum vt reſipiſceret,admonebat, eo magis ad deteriora ſe diuertebat, & ſuper iniquitatem, iniquitatem addere non deſinebat.* Nam *quoſdam temerè excommunicabat.quoſdam autem à viſitatione Sedis Apoſtolicæ auertebat:& quorundam res ſine legali iudicio occupabat:nec non & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ plurima prædia auferebat. Miſſos illius ſpernebat,& gloriam Beati Petri Apoſtoli quantum in ſe erat, euacuabat Præcepta etiam iuris Sancti Petri, ſi apud quoſcunque inueniebat, frangebat,& ad ius Sancti Apollinaris transferebat. Nam Presbyteros,& Diaconos,non ſolum ſibi ſubiectos.ſed etiam per Aemiliam conſtitutos, ad Apoſtolicam ſedem pertinentes,ſine canonico iudicio deponebat:& alios carceri, alios autem fœtidis ergaſtulis retrudi faciebat:alios crimen quod non fecerant,confiteri cogebat. Conſtituta præterea eccleſiaſtica,abſque Sedis Apoſtolicæ conſenſu deprimebat, & vocatus à Pontifice Romano,ſe ad Synodum non debere occurrere iactitabat. Nec mirum,cum poſtea iſta feceriti,qui cautiones,& indiculos,quæ ſolita ſunt ab Archiepiſcopis Rauennatibus, in Scrinio fieri,initio conſecrationis ſuæ more Felicis deceſſoris ſui falſauit: & quædam barbara ſcripta,quædam verò falſa compoſuit.* Hæc Anaſtaſius. Neceſſe ergo fuit,huic refractario deprimendo,Concilium cogere. Ad quod accitus fuit Athanaſius. Sciebat quippè Nicolaus inuictũ intrepidæ mentis Athanaſij vigorem,indefeſſæ,inſuperabilis,flecti,necdum deijci neſciæ. Et bono quidem fructu fuiſſe eius aduocationem,euentus docuit, reſipiſcente refractario

tario Ioanne. Vti latius idem Anaſtaſius narrat.

Cum verò Petrus Caſſinenſis,& ex ipſo Baronius,aſſerant,ſtatutum Athanaſio à Nicolao Pontifice tertium locum in ſedendo, fuerit ne is locus à dextera,an à ſiniſtra Pontificis,hæreo. Nam ſi honorarius ille locus fuit(vt certè debuit eſſe,quandoquidem iniuſſum quoque illi fuit, vt cautiones à Ioanne cōtextas,in Synodo legeret)in ſiniſtro potius loco eū collocatum arbitror. Quoniam in magno Nicœno Concilio,ad dexteram ſediſſe legimus Euſtachiū Epiſcopum Antiochenſem, ad ſiniſtram verò Legatos Apoſtolicæ Sedis. Sic in Concil.Chalcedon. Act.1. ad læuam reſident Legati Leonis Papæ cum Epiſcopis Conſtantinopolis,& Antiochiæ, & ad dexteram,Hieroſolymitani. In Trullo,à ſiniſtris ſedent Legati Sedis Apoſtolicæ, & à dextris Epiſcopus Conſtantinopolitanus cum Antiocheno,& Legato Alexandrini.Sed hanc dexteræ,aut ſiniſtræ dignitatem, criticis relinquamus decernēdam.Lipſius quidem,pro dextera pugnat acerrimè lib.2.Elector. c.2. Noſtro certè Athanaſio magnus fuit honor exhibitus,quòd tertio ſignatus ſit loco. Et hoc ex Petri teſtimonio.

## *Impia impij Sergij contra auunculum Athanaſium perſecutio, & infelix eius obitus. Sect. IV.*

SAncti Athanaſij,quem cuncti extollebāt, vt ſingulare exemplar virtutis, vnus Sergius, defuncti Gregorij fratris filius, omni parte vitæ ſuæ deteſtabilis,exhauſto rubore,& reuerentia,perpetuus fuit oſor, & perſecutor. Dabat huic,ſanctus ſenex,ſalutis monita,ſed ſurdo,imò & refractario. Qui,vt vxoti ſuæ in Præſulis odium armatæ faceret ſatis,quantus quantus fuit,totus in eum exarſit. Ac primum,callido vaframento,in domum cum fratribus quaſi ad conſilium accitum, Epiſcopalibus infulis exutum, dulciſſimoque Clericorum ſolatio adempto, teterrimo carceri mācipauit. Indoluit ciuitas tota ad tam immune facinus: & præcipuè Clerici Larini pariter,& Græci,necnon,& Monachi. Inter quos, velut ſidus eminebat Antonius,decrepita ætate venerandus,ieiunijs maceratus, fractus viribus,ita vt aliena manu ad incedendum egeret, & tantùmnon in limine mortis conſtiturus. Hic turba lugentium comitatus,Sergium ſic alloquitur. *Dic mihi,omnium contemptor,quid eſt hoc,quod feciſti? Hoc ergo pro infando ſcelere,noueris non ſolummodo te periturum,cunctumque genus tuum, ſed etiam tota vrbs,quæ Athanaſij adhuc oratione gubernata eſt,ſine dubio deſolabitur, paſtore decedente.* Motus fuit aliquantulum Sergius his verbis tertio auditis. Sed non promotus, nihil interea de Epiſcopi ſtatuens libertate. Quare,inito conſilio,Sacerdotes,decreuerunt,denudāda eſſe Altaria,& in ipſum, anathematis fulgur vibrandum.

Subſiſte hic pauliſper,Lector,&,cum Altarium denudationem audis, cogita mecum,an ex veteri id fuerit ritu. Aliquoties enim, ſancti viri, magna cauſa, nec niſi diuino impellente ſpiritu, excitabant Sanctos cœlites ad vindictam. Nempè,cum potentiores aliqui,bona Eccleſiæ diripuiſſent, ipſi,fruſtra tentatis alijs remedijs,ſanctos illos, quorum erant ablata bona excitabant ad vindictam, denudando ipſorum Altaria, luminaria extinguendo,& Eccleſiaſtica officia ſubtrahendo, delinquentibus haud impu-

nè abeuntibus. Plura exempla vindictæ cælitus immiſſæ narrat Gregotius Turonenſis de Gloria Martyrum lib. 1. cap. 79. & de gloria Confeſſorum cap. 71. Quæ cum aliqui ad priuatas iniurias vindicandas vſurparent, Patres Concilij Toletani XIII. cap. 7. ſancito Canone vetuerunt. Quod ſi pro bonis Eccleſiæ id factitabant, maiore iure pro paſtore id eos feciſſe credendum.

Sed redeamus ad Sergium. Dimiſit certè Epiſcopum, dimiſſionis tamen illico pœnitens, populi intuitus lætitiam. Alieno itaque bono maceratus, omnem cum illo prohibuit allocutionem. Videns autem Athanaſius gregem ſuum amiſſo verbo Dei precone lamentabundè plorantem, ſpontè ſua, ſignato, & cum anathemate, Eccleſiæ theſauro, Neapoli receſſit, ac in Saluatoris Inſulam ſeceſſit. Sæuijt magis eo receſſu Dux. Cumque ab eius pectore omnis exulaſſet religio, vide, quid ab Epiſcopo petat, tanquã pacis fœdus. *Si vult vt non eum perſequar, reiecto Clericorum regimine, Monachimum indumentum aſſumat. Mihique Eccleſiam ad ordinandum, ſponte relinquat. Clericos verò, quos ſecum detulit, illicò remittat.* Sed quid ad ipſum Vir Dei? *Sponſam, quam Deo donante ſuſcepi, nulli viuenti viuens, volenſque relinquam. Nec ordinandi licentiam, me ſuperſtite, alicui dabo. Monachi ſchema illo viuente, non accipiam: Scortum eſt enim, primam relinquendo coniugem, alteri ſociari. Eos autem, qui me, charitatis cauſa ſequuti ſunt, non tradam, nec reÿciam. Vnum autem ab illo peto, vt liceat mihi in tuto loco manere, quouſque* Dominus *duritiam cordis ſui emolliat.* Tantùm autem abeſt, vt reſipuerit, vt & exercitum Neapolitanorum, ac Sarracenorum coegerit, & nouendiali aggreſsione, Inſulam obſederit, impediendo Pontificis abſceſſu. Sed fruſtrà. Nam Ludouicus Imperator, qui tunc Beneuenti morabatur, omnium cõſcius, miſſo Marino Amalphiæ Præfecto, ipſum adorſus, copias ſuas partim occidit, partim cœpit, aut fugauit. Et Epiſcopum, Beneuentum detulit. Aduentaſſe Marinum, *cum viginti ſagenis*, ait Petrus. *Sagenas* genus nauium interpretatur Baronius. Quod ſi verum eſt, *Samenas*, ſcribendum fuit. A varijs quippe Prouincijs, varia naues nominã ſortiebantur. Et *Samenæ* dictæ, quod primum in Samo Inſula, iuſſu Policratis Regis ædificatæ ſint, quarum formam Plutarchus in Pericle deſcribit. Vti & aliarum nauiũ nomina à locis dictarũ apud Thucydidem, frequentiſſima ſunt exempla. Qua forma hodie quoque *Maſſiliana* vulgo *Marſiliana* dicuntur, quæ à Maſſilia commeant.

Deluſus, erepto ſibi Epiſcopo, Sergius, Epiſcopij gazophilacium inuadit; theſaurum inter fœcem illã hominum, quorum opera, in nefandis ſuis ſceleribus vtebatur, diuidit: Eccleſias deuaſtat, Deique Sacerdotes fuſtigat, atque ad ludibrium raſitat, nudoſque per ciuitatem circumducit.

*Hæc cum ad Hadriani* Papæ *notitiam deueniſſent*, inquit Petrus, *direxit vnã epiſtolam anteſato Iudici, & aliam* Clero, *& populo Neapolitano, mandans vt ſuum Pontificem omnino reciperent: ſin autem, anathematis vinculo innodarentur. Qui iuſtitiam Apoſtolicam pro nihilo computantes, nec Pontificem recipere, nec excommunicationem ſeruare voluerunt. Poſt hæc, Anaſtaſius Sedis Apoſtolicæ Bibliothecarius, vnà cum Cæſario Abbate, ex parte Apoſtolici, & Imperatoris,* Neapolim *venientes, eandem ciuitatem anathemate innodauere.* Fodicabat pium Athanaſij pectus, gregis ſui cura, anathemate innodati. Cumque Surrenti eſſet cum Stephano fratre, nec à lacrymis, & ſingultibus momento vllo temperaret, decreuit Romam petere, reconciliando Neapolitanis Pontifici. Ibi tentata fuit eius mors, medio veneno, per Sergij, emiſſarios, diuina tamen gratia illæſi. Di-

miſſus

miſſus ab Adriano, ad Ludouicum Imperatorem tunc in Sabinis morantem venit. Iterum Romam regreſſus, Neapolim, ſedi ſuæ reſtituendus, proficiſcitur. In medio tamen itinere, vt mox dicemus, vitæ præſenti ſubtractus.

Libet nunc, infelicem vitæ exitum ipſius Sergij narrare. Exciti tandem Neapolitani, atque Papæ comminationibus perculſi, facinoroſi Ducis inſaniam diutius perferre nolentes, eiecto Sergio, Athanaſij iunioris eius fratris opera, qui Epiſcopus erat, eũdem Ducem creauerunt. Hic, ſibi potiùs quàm fratri conſulens, cuius, vt Leo Oſtienſis ait, videbatur vindex à Deo electus, in eodem loco, vbi virum Dei intruſerat, eum cepit, ac paulò poſt excœcauit, & Romam ad Pontificem miſit. Erat is Ioannes VIII. qui epiſt. 66. ad Athanaſium, probum tunc Epiſcopum, & nondum cum Saracenis fœderatum ſcribens, vocat Sergium, *ſecundum Holoſernem*. Et in epiſt. 67. ad populum Neapolitanum, *Hominem peccati*, *Dei inimicum*, *Populi ſui tyrannum*, *ac Romanæ Eccleſiæ perduellem*, his eum ſpecioſis titulis cohoneſtans. Athanaſiũ non eſſe accuſandũ, quod indecẽs Epiſcopo factũ laudauerit, his Baronij verbis ad annum Chriſti 877. euincam. *Et ita quidem Pontifex, indecens Epiſcopo factum, Moſis exemplo laudauit, qui Leuitas, à cęde fratrum, & filiorum reuertentes, laudauit dicens: conſecraſtis manus veſtras Domino, vnuſquiſque in filio & fratre ſuo, vt detur vobis benedictio. Quantumlibet enim debeat eſſe Chriſti ſacerdotium incruentum, cuius eſt & ſacrificium incruentum: Et Epiſcopi, percuſſores eſſe non debere ab Apoſtolo admoneantur: tamen, qui ſpiritu oris ſui interfecit Ananiam, & Sapphiram Petrus, iſta tunc ſcribere docuit ſucceſſorem: atque probare ab alio iuſtè factum, quod ipſum ſcirent, impellente ſpiritu perpetraſſe. Zelus purgat facinus: quo exæſus Dominus Redemptor noſter mitis, & humilis corde, percuſſor eſt factus. Et Petrus eodem exæſtuans, occiſor euaſit. Eodemque ardens Paulus, excæcator. Zelus igitur non aufert, nec polluit ſacerdotium: ſed (quod prædicatur in Phinee) reddit illud perpetuum, & illuſtrius.* Hæc Baronius. Ac de Sergio, ſatis.

## *Sancti Athanaſij ſupremus dies*; Tumulatio, Tranſlatio, *Cultus*. *Sect. V.*

CVm Neapolim reuerteretur, ſedi ſuæ reſtituendus, *profectus, ad Ciuitatem Nerulanam deuenit*, inquit Petrus, *in qua tertio Kal. Iulij celebrauit diem Apoſtolorum. Peracta miſſa, cœpit febribus anhelare, & perfractus ab eadem infirmitate, Deo dignus, & clarus Athanaſius è carnea ſubtractus eſt fæce, & ſuo Creatori nouiſſimum reddidit ſpiritum in Oratorio Sancti Quirici, quod biſſenis millibus, à Monaſterio Sancti Benedicti in Caſſino diſtat, Idibus Iulij, Indictione quinta, regnante Baſilio* Imperatore *Conſtantinopolitano*. Pergit poſtea, tempora vitæ ipſius diſtribuere, hoc pacto. *Præfatus autem venerabilis vir, vixit ante Epiſcopatum decem & octo annis.* Nulla enim erat, corrupto illo tempore, eccleſiaſticorum Canonum obſeruantia. Idque, laxata eccleſiaſtica diſciplina permittebat. *In Epiſcopatu ſedit annos vigintiduos: & in anguſtijs huius ſæculi fuit menſibus viginti cum vno.* Ergo primus ſupra quadrageſimum annum illi exceſſerat, cùm mortalitatem exuit. Quòd ſi hic noſter Athanaſius, idem eſt cum Surrentino, qui contra Sarracenos viſus eſt, & illic ſenex deſcribitur, & caluus, ærumnis quas paſſus eſt, ſpecies illa tribuenda

 eſt,

eſt, quæ canos accelerauerunt. Sed de hoc paulò poſt.

Ad Montem Caſinum delatus, flentibus omnibus, ſed exultantibus Angelis, conditus fuit in Eccleſia Principis Apoſtolorum, quæ ab Arechiſio Rege conſtructa eſt, & iungitur Baſilicæ Sancti Benedicti. In narratione miraculorum eius, quam Nos habemus M. S. ex apparitione cuidam cœco ad ſepulchrum eius oranti, deſcribitur fuiſſe, *crine criſpante, ſtatura procerus, vultu Angelicus.*

Poſt quinquennium, Neapolim eius pretioſa pignora tranſlata ſunt. Cuius tranſlationis Acta, hìc ſubnectere placuit.

*In dicto autem Caſinenſi Monaſterio, erat homo notus multis, præteritis annis cæcus. Hic quidem in Eccleſia, vbi ſanctiſſimi viri corpus iacebat, orare conſueuerat. Qui dum omnino priuatus lumine, per Eccleſiam palpans incederet, deueniretque ad Viri Dei ſepulchrum, ſicut ſæpius accidit, tenebris inuolutus, labente pede, cecidit ſuper ipſius Sancti ſepulchrum: ſtatimque depulſis tenebris perfectiſſimè lumen recepit. Quo miraculo vniuerſi gaudentes, benedicebant Dominum, qui glorificat Sanctos ſuos. Cumque ſanctitatis, & virtutis ipſius fama, longè, latèque diſcurreret, alius Athanaſius Neapolitanus Præſul, ſucceſſor huius Sancti, ſecundum verò carnem filius Gregorij Ducis, fratris videlicet ipſius Sancti Athanaſij, anno quinto poſt mortem patrui, ac prædeceſſoris ſui, ſolennes nuncios cum locello, & alijs neceſſarijs Abbati Monaſterij, & Conuentui Sancti Benedicti direxit, vt commendatum Sancti Præſulis corpus redderent in Eccleſia ſedis propriæ collocandum. Indecens eſſe, dicentes, vt à propria ſede exul ſit mortuus, à qua viuus eiectus fuit, operante hoſte antiquo. Sed Abbas, & Monachi primitus reſpuerunt. Poſtea verò petitionem ipſorum iuſtam cernentes, dixerũt: Dei voluntas fiat & veſtra petitio impleatur. Pars tamen corporis Sancti remaneat apud nos. At Nuncij reſponderunt. Sicut integer vobis recommendatus eſt, ſic auxiliante Deo, habebit ipſum integrum ſua ſedes. Quieſcentibus autem nocte ibidem, ac ſoporatis fatigatione itineris, apparuit Vir Sanctus vni de nuncijs principaliori, & vt mos eſt in ſcholis, tres ferulas, blandiens illi intulit, monens, vt ſocios excitaret, atque iniunctum opus vigilanter perficerent. Tunc aſcenderunt cum cœtu venerabili Monachorum Montis Caſini verticem, fodienteſque aperuerunt ſepulchrum, & inuenerunt Viri Dei corpus integrum, quaſi tunc fuiſſet ſepultum, nullam habens in veſtibus, & corpore corruptionem: vt nec capillus de capite, & pilus decidiſſet de barba: tãtiſque fragrans odoribus, vt omnes admiratione replerentur, & gaudio. Cunctique proſtrati certatim Dei laudabant magnalia. Sanum autem, & integrum poſt adſtantium deoſculationem deuotam, humeris leuantes corpuſculum, deſcenderunt de monte cum turba venerabili Sanctorum Monachorum totius illius Sancti Collegij, ac Clericorum, & ſecularium Caſtrorum, Villarumque vicinarum. Qui omnes veniebant, & deoſculabantur locellum deuotiſſimè, & ſic gaudentes reuertebantur. Dicti itaque nuncij cum corpore recedentes eo die, applicuerunt Atellas, & apud Sanctum Elpidium ſubſtiterunt. Occurrit autem eis Præſul venerabilis nepos eius, cum Sacerdotum, & Monachorum collegio copioſo, luminaribus accenſis, & itinere toto pſallentibus. Cum peruenirent ad Villam, quæ dicitur Grummis, obuiauit ei homo vexatus à Dæmone, qui ſtatim liberatus, Deo gratias egit. Tota Neapolis ciuitas populoſa, ſancto corpori obuiam exijt, ſeque ſolo, ſancto corpori proſternentes cum fletu acclamabant, Patrem, Nutritorem atque Paſtorem pupillorum, atque orphanorum, Tutorem viduarum, atque mœrentium Conſolatorem. Et poſt lacrymabiles voces, expulſo mœrore, Deo gratias agentes, eo quod ipſum meruerunt habere Aduocatum propitium ante Deum. Dum autem ad Eccleſiam Sancti Ianuarij portaretur, mulier grauiſſimo capitis dolore detenta, quæ etiam auditum perdiderat à multis temporibus, iuuarique nullatenus valẽs,*

*caput*

*caput ſub locello inclinans, ſtatim depulſo dolore, recuperauit, quem à multis perdiderat annis auditum. Multè olij à diuerſis infirmitatibus, eius interuenientibus meritis ſunt curati. Tandem expletis miſſarum ſolennijs, depoſitoque locello iuxta altare in Oratorio Sancti Confeſſoris Christi Laurentij, eiuſdem ſedis Antiſtitis, iuxta ſanctiſſimi Ioannis Anteceſſoris, & Nutritoris ipſius antrum, diligentiſsimè condiderunt primo Kal. Auguſti. Regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor, & gloria in ſecula ſæculorum Amen.*

Colitur hìc Sanctus Præſul, & alibi. Caſini nempe, vbi obijt, & vnde brachio ibi relicto (quamuis id in Actis tranſlationis eius non reperiatur) huc tranſlatus eſt. Capuæ quoque celebris erat eius memoria. Legi enim in quodam peruetuſto Codice M.S. Orationum illius Eccleſiæ, ipſum in Litanijs, cum alijs Sanctis Epiſcopis, & Confeſſoribus inuocatum. Nec poterit quis ſuſpicari, non iſtum noſtrum, ſed Alexandrinum intelligi ibi debere, quoniam nullus ibi græcus Epiſcopus recenſetur, vt inſpicienti conſtabit. An verò vnus, idemq; ſit noſter Athanaſius, & qui Surrenti Patronus eſt, affirmat Romæus, negat Capacius lib. 1. fol. 533. in cuius ego ſententiam potius inclino. Non quidem ob eam, quam Capacius affert rationem, nimirum quod illius anniuerſaria celebrentur VI. Kal. Februarij, Noſtri verò Idibus Quintilis, id enim eueniſſet cenſendum eſt, ob Eccleſiæ in eius honorem ibi erectæ, ea die fortè dedicationem, vel ob aliud inſigne beneficium ea die precibus eius ciuitati collatum, vt plura de his in eccleſiaſtica hiſtoria paſſim ſuppetunt exempla. Sed, quod videam ſemper quinque hos Diuos, Renatum, Valerium, Athanaſium, Baculum, & Antoninum, & in Inſcriptione illa præcipuè in eius Eccleſia apud eundem Capacium, coniungi, in certum argumentum diuturnioris eorum ibi incolatus, pluriumque in ciuitatem collatorum beneficiorum. Quæ de noſtro, nullo antiquorum teſtimonio probari poſſunt. Seceſſit quidem eo, ad Stephanum fratrem Epiſcopum, ſed breui mora, quando incertis ſedibus tyrannidem nepotis fugiens, vagabatur. Ad hæc, in Vita S. Antonini à me edita anno 1526. & ſcholijs illuſtrata, deſcribitur, ſenex & in nauali Neapolitanorum, & Surrentinorum diſcrimine, ſolos Surrentinos contra Saracenos adiuuans.

Nummum aliquem in huius Sancti honorem fuiſſe aliquãdo cuſum, exiſtimauit Capacius lib. 1. fol. 111. his verbis. *Sed quoniam in his religionis nummos incidimus, animaduertendus nummus ille eſt, in quo Ianuarij, & Athanaſij, quos ſanctiſsimos habuit Neapolis Epiſcopos, pietas elucet.* Suſpicor, illum ſignificare nummum, de quo ſupra Cap. XX. Sect. XXIV. Et cum ſanctiſſimum vocet Athanaſium, de hoc certè locutus eſt. At potius cenſendum, non huius, ſed iunioris Athanaſij vultum ibi eſſe expreſſum. Deſideratur enim in aduerſa eius facie, & Athanaſij τὸ Sanctus expreſſum alioqui in aduerſa Ianuarij parte. Adde, ſolis Ducibus licitum fuiſſe nummos cudere. Porrò iunior Athanaſius, Epiſcopus fuit, & Dux Neapolitanus. Huius ergo potius, quã Sancti, nummum fuiſſe cenſendum eſt.

# F I N I S

Laus Deo, ac Deiparæ Virgini Mariæ, Diuo Ianuario, & Beato Caietano.

# INDEX

## Contentorum in hoc Opere.

A

ABbatis nomen, etiam Epiſcopis tribntum. fol. 318.

S. Abundius Epiſcopus, & Martyr Cumanus. 39.

S. Acutius laicus Socius Martyrij Sãcti Ianuarij. 228. De eius nomine. Ibid. An fuerit Neapolitanus. Ibid. Corpus eius Neapolim transfertur. 349.

Æneas non fuit Parthenopes conditor. 64.

S. Agnellus Abbas è familia Puderica, & ſtirpe Regia Ieronis Syracuſani, ex qua etiã Sancta Lucia Virgo, & Martyr. 328. Viginti dierum infans, ſalutare conſueuit B. Virginem. 329. Fuit Inſtituti Baſiliani. 329. Obitus eius. 329. Apparet inter agnos. Ibid. Patronus Neapolitanus. Ibid. Tranſlatio eius. 330. Eius Eccleſia propè Iouis Tẽplum. 293. An ex ea curſus lampadicus. 330. Populi Neapolitani ad eam Proceſſio, & qua occaſione. 329.

Agnellus Epiſcopus Neapolitanus, Eccleſiæ S. Ianuarij ad Diaconiam extructor. 268.

S. Agrippinus Neapolis Epiſcopus, fuit Neapolitanus è Platea Furcillenſi. 132. Tẽpus Epiſcopatus eius. 133. Laborat pro reducendis lapſis. 135. Moritur. 136. Sepulturę loca. 136. Homeliæ in eius feſto quiſnam auctor. 137. Quæ ex pulpito in die eius obitus anniuerſario legebatur. Ibid. Inuocatur, vt Patronus cum Ianuario. Ibid. Cultus etiam alibi. Ibid. Cum Ianuario apparet Seuero Epiſcopo. 259.

Alexãdri Carafę Archiepiſcopi Neapolitani induſtriæ, & labores pro aſpottando Neapolim corpore B. Ianuarij è Monte Virginis. 251.

Altaria denudata ad excitandos Sanctos ad vindictam. 361.

Amæ quid. 295.

S. Amaſianus cum Petro Neapolim venit. 73.

Ampelo Retinæ à Petro ad fidem cõuerſus cum 300. alijs. 118.

S. Amphelicus Campanus. 38.

S. Anacletus, primus omnium Romæ Memorias MM. extruxit. 94.

Anaſtaſij libellus de munificentia Conſtantini mutilus. 292.

S. Anatholius cum Petro Neapolim venit. 73.

S. Andreas Apoſtolus Romam venit. 47.

B. Andreas Auellinus Clericus Regularis principum virorum conuerſioni intentus. 215. Eius calcei clauati. 84. Ad Altare apoplexia corripitur. 355. Sanguis eius liqueſcit. 255. Patronus Neapolitanus. 266. 339.

Anſelmus Epiſcopus tranſtulit Neapolim oſſa Sancti Maximi. 174.

Antinianus collis, vbi aliquãdo quieuerũt oſſa Sancti Ianuarij. 243. vbi Ædicula in honorem eius. Ibid.

Antiquaria ars, ſcribendi peritia. 352.

Antonini Pij Imperiũ, cędibus Chriſtianorum vacuum non fuit. 134.

Aorafia Sanctorum. 336.

S. Apollinaris cum Petro Neapolim venit. 70.

Apoſtoli dicti Angeli veloces. 49. Eorum veſtitus, qualis. 78. Vocati Albi in Arabia. 82. Itinerarium eorũ, Paupertas in veſtitu, & cibo. 88. In nautgijs Chriſti corpus ſecum ſerebant. 91. Summatum virorum cõuer-

u er-

uerſioni incumbebant. 115.
Apoſtolica in Italiam expeditio, varijs vaticinijs prædicta. 44.
Apoſtolorum Eccleſia Neapoli à Cõſtantino Magno ædificata, omnibus Apoſtolis, ac Martyribus dicata. 292. propè fanum Idoli, & cuiuſnam. Ibid. Meridiē ſpectat. 293. Donaria illi tributa. 294. Soter Epiſcopus Paræciam illi adiunxit. 296. An fuerit aliquando Epiſcopium. 247. Hic primum, coacta Sodalitas pro cuſtodiendis filiabus impudicarum matrum. Ibid. Clericis Regularibus tradita. Tertio ab ijs in ſplendidiſſimam formam erecta. Ibid.
Apotheoſis, ſiuè Canonizationis Sanctorum ritus olim, qualis. 142.
Apuliæ nomine, Campania quandoque ſignata. 316.
Aquam Neapolim Conſtantinus Magnus deduxit. 299.
Ara Petri, hodie S. Petrus ad Aram. 93.
Archiepiſcopus aliquando ſolo titulo, ſine ſuffraganeis. 23.
Area locus ſepulturę Chriſtianorum. 296.
Arelata ciuitas, olim Ara Lata. 93.
S. Aretæ, & ſociorum MM. Reliquiæ, & Eccleſia. 305.
Arianum, olim Ara Iani. 93.
Arrianorum Epiſtola ad Catholicos. 304.
S. Ariſtarchus Pauli comes, Neapolim venit. 101.
S. Aſpren primus Neapolis Epiſcopus, Neapolitanus fuit, non Romanus. 108. è gēte Sicola. Ibid. & Prætor Neapolitanus. 109. 115. Varia eius nominis prolatio. 112. Qualenam fuerit eius proprium. 113. Geſta eius. 116. Ætas, & Obitus. 117.
Aſprenates Neapolim Roma aſciti, facti Neapolitani. 114.
S. Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus, non fuit educator S. Patritiæ. 335. Ædicula ſacra Neapoli illi dicata, vbinam eſſet. 357.
S. Athanaſius primus Neapolitanus. 356. Quiſnam eius Vitæ ſcriptor. Ibid. Fuit Ducis filius. 357. Fit Clericus, & Epiſcopus Neapolitanus. Ibid. Callebat Græcam linguam. Ibid. Munificentia eius, & Religio in Eccleſiam ſuam. Ibid. Eccleſiæ Neapolitanæ facies ipſo Epiſcopo. Ibid. A nepote in carcerem traditur. 361. Liberatus ſecedit in Inſulam Saluatoris. 362. Aduocatur Beneuentum à Ludouico Imperatore, opera Marini Præfecti Amalphiæ. Ibid. Surrentum petit. Ibid. Et Romam pro Neapolitanis. Ibid. Veneno eius mors tentatur. 363. Obitus eius, Tumulatio, & Tranſlatio Neapolim. Ibid. Multis in locis colitur. 365. Athanaſij huius nullus cuſus nummus. 365.
Athanaſius ſecũdus Epiſcopus Neapolitanus Sergium capit, excæcat, & Romam mittit. 361. Nummus in eius honorem cuſus. 365.

B

Balnea etiam probis viris in vſum. 322.
Balneatorum pretia. 310.
Baptizatis recens, Euchariſtia dabatur. 93.
Barbam alendi, aut radendi, varius vſus. 375.
S. Barnabas Brixiæ ſacrum fecit. 92.
Baſilica Perpetuæ, Carthagine, quænam. 152.
Baſilicæ nomen. 294. Vt eam vſurpet lo. Diaconus. 154. Etiam à viuentibus denominatæ Baſilicæ. 311.
Belliſarij dictum de Neapolitanorum Religione. 60.
S. Benedictus Monachus clibano incluſus. 38.
Beneuentana nux. 199.
Beneuentanorum opinio de S. Ianuarij patria reijcitur. 192. & ſeqq. Et Epitaphium recens inuentum. 205.

Bernardini Siculi de patria S.Ianuarij error. 196.

S. Birylius Catanẽſis Epiſcopus cum Petro Neapolim venit.72.

Bonifacius IX. Canonicus Neapolitanus.25.

Bonus Dux, expilator ſuppellectilis ſacræ Neapolitanæ. 19. Tiberij Epiſcopi perſecutor.353.

C

CÆſares,vt ab Imperatoribus, & Auguſtis differrent. 288. Cæſaris Carpani Carmen de B.Ianuario. 286.

B. Caietanus Thienæus Parens Religionis Clericorum Regularium, hereſeon detector, & profligator. 10.

S. Caij Papæ alloquium ad Chriſtianos. 164.

Campania felix 5. Littoralis eius ora ex Antonino,& alijs 163. Quieta littora,ex Ambroſio, & alijs. 165. Conſules eius nõ Capuæ, ſed Nolæ, vel alibi pro libito ſuo degebant.232.

S.Candida ſenior, primitiæ Chriſtianitatis Neapolitanæ. 106. Fuit Neapolitana.107. Nobilis, & Aſpreni cõſanguinea.Ibid.Eius Oratorium.291. Obitus,& Veneratio. Ibid.

S.Candida iunior fuit vidua,nobilis, & fortè ex Brancatia familia. 326. Vbi ſepulta. Ibid. Liquor ex eius corpore manauit. 327. Miracula ipſius. Ibid.

Canonici Neapolitani dicti Cardinales.74. Aliquando Sancti Saluatoris. 155.

Canonizationis Sanctorum vetus ritus. 152.

Cappella, Ioanni Diacono, idem ac Baſilica. 154.

Capræ caput non adorantes, martyrium ſubeunt.38.

Capuanum concilium. 33.

Carnificina Neapoli quoque exercita. 125.

Carthaginenſes Cõfeſſores ex Africa pulſi.37.& 316. Neapolim aduenerunt. Ibid. Quænam loca incoluerint. Ibid.

Carthaginenſis Eccleſia Metropolitana, nunquam hæreticis tradita. 153.

Caſtoris equi,quales fuerint. 66.

S. Caſtrenſis eiectus ex Africa. 117. An eius ſocij, omnes fuerint Epiſcopi.Ibid.

Caſtri Lucullani Eccleſiæ. 337.

Cataſtæ,& eculei differentia. 181.

Chalcidenſes, & Cumani Conditores Neapolis. 66.

Chriſti tunica deſuper contexta per totum, qualis. 79.

Chriſtianus nullus, ante Petrum in Italia Euangelium prædicauit. 54. Chriſtianorum Templa ad Orientem.293. Probitas eorum,licet nõ Fides, Ethnicis probata.309.

S.Chromatij, & aliorum martyrium. 163.

Cicindela quid. 178.

Cimeliarchæ dignitas. 24.

S.Clemens cum PetroNeapolim venit. 72.

Clemens VII.Antipapa expilator ſacræ ſuppellectilis Eccleſiæ Neapolitanæ. 19.

Clericorum raſitatio. 275.

S. Cœleſtinus Papa fuit Campanus. 38.

Confeſſoris nomen,etiam Epiſcopos comprehendit. 144.

Conicli locus Tẽpli D.Ianuarij.243. An ibi Vulcani Templum.244.

Coniecturæ locum habent in hiſtoria. 208.

Conſanguineorum munus erat defũctos ſepelire. 211.

Conſtantinus primus Papa Neapolim venit. 97.

Conſtans Monothelita,aliquãdo appellatus Conſtantinus. 334.

Cõſtantini Magni gloriæ primordia

ſo anno, quo S.Ianuarius Martyrium ſubijt.242.Thermarum reliquiæ in Quirinali. 199. Ex Vrbe diſceſſio.287.Aduētus Neapolim. 288.An cum Helena.Ibid.Sub quo Neapolitano Epiſcopo.289. Ædes ſacræ ab eo Neapoli, & alibi extructæ.290. & ſeqq.
Corollæ frōdeæ,& floriferæ in Trāſlatione D.Ianuarij. 243. Et apud alios quoque. Ibid.
Coronas ſuas, Principes imponere ſolebant Martyribus: vt Sico fecit D.Ianuario. 248.
Creditorum erga debitores ſæuitia.311.
Cumanæ ciuitatis antiquitas. 169. Excidium. 174. Antiquitas eius Eccleſiæ. 169.
Cumani cum Chalcidenſibus, Neapolis ædificatores. 66.
Cyphij ſictitium epitaphium exploditur.205.
S.Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus,S.Reſtitutæ non fuit magiſter. 150.Neque XII.fratrum Adrumetinorū ad martyriū hortator. 151.

D

S. DAmaſus Papa S. Felicis ſepulcrum adijt. 35. S.Dauidis Prophetiæ de gentium conuerſione.47.
Dauid Romœus profeſſione grammaticus facit S. Ianuarium Beneuentanum. 196.
Dei vindicta in Præſides,Chriſtianorum perſecurores.233.
S.Deſiderius Ianuarij Lector. 226.
Dexrer locus an ſiniſtro dignior.261.
Diaconiæ ad quid erectæ.269.
Diaconorū quoddam officium.226.
Diocletiani bellum contra ſacros libros. 27. Edicta contra Chriſtianos.129.Eius furor cōtra eos. 160. 164.Epiſtola ad Præſides contra ipſos. 233. Perſecutionis ſeries. 235. Infelix eius obitus. 233.
S. Docibilis Epiſcopus Campaniæ. 38.
Doctores in Iudæa, candida veſte vtebantur.82.
S.Dominica Martyr. 30.
Dracontius Campaniæ Præſes. 232.
Duces Neapolitani quo tēpore extiterint.334.
Ducis dignitas,an inferret in ciuitatem,Metropoliticum honorē.20.

E

ECcleſię nonnullę,varijs temporibus diuerſo nomine appellatæ.155.
Eccleſias cōnſecrare inconſulto Pōtifice,olim illicitum.35.
Eculei forma deſcribitur lariſſimè. 175.Eius nomina.ibid.Ratio,& laminarum aduſtio ante, & cum ipſo tormenro. 175. Et alia. 178.Ipſe crucis quædā imago. 18. A caraſta differr.181.
Echia, ſtabulum boum ab Hercule Caco ablarorum.133.
Epiſcopi à Perro in Italia conſtiruti. 53.Multi Epiſcopi duarum ciuitatum.121. Nō ſemper eius ciuitatis ciues.197. An,& quomodo duo in eadem Eccleſia. 359.
Epiſcopion verùs Neapolitanum deſcribitur. 153.
Equuleus martyrij inſtrumentum, malè ſic ſcriprum.179.
Equus inſigne Neapolitanorum. 66.
B.Ermanni,ſeu Ioſeph, aorafia. 336.
Euchariſtia in nauigio delara.01.
S. Euphebius Neapolitanus Epiſcopus. 146. cuius nomen variè profertur. ibid. Laudatus eriā ex pulchritudine. ibid. Sepultus cū Forrunato, & Maximo. ibid. Liberat Neapolim à Sarracenorum incurſionibus.ibid.Ædes eius antiqua Cappuccinis poſtea Patribus conceſſa.147. Inuenrio corporis eius, & aliorum. ibid. Alibi eriā cultus. 149.Oratio propria in eius officio. ibid.

S. Euſtaſius Neapolitanus Epiſcopus. 142. Quādo fuerit Epiſcopus. 144. Quando in Eccleſia Sanctæ Mariæ in Coſmedin fuerit eius corpus tranſlatum. 142. Inuentio corporis eius. 144.
S. Eutyces ſocius martyrij Sancti Ianuarij. 228. eius nomen. ibid. An fuerit Neapolitanus. ibid. Corpus eius Neapolim transfertur. 349.

F

SS. Fauſtinus, & Iouita Martyres, Neapolim veniunt. 125. Eorum exēplo, multi martyrium ſubeunt. 130.
S. Felicis Nolani ſepulcrum viſitat Damaſus Papa. 35. Tres Felices Nolani. ibid.
S. Feſtus Sancti Ianuarij Diaconus. 226. Eccleſia illi olim Neapoli dicata. ibid.
Forma aquæductus. 299.
S. Fortunatæ Virginis martyriū. 185. Linternum oſſa eius trāſferuntur. 186. inde Neapolim. ibid. Cur eius, & non fratrum celebrior memoria in Eccleſia. 187.
S. Fortunatus Epiſcopur Neapolitanus laborat contra Arrianos. 300. Sepulcrum eius. 301. Cultus. ibid.
Franciſcus Grimaldus Clericus Regularis Architectus Cappellę Theſauri. 271.
Furcillenſis regio Neapolitana. 133.

G

Gabrielis Lottherij Clerici Regularis Officiū de B. Ianuario. 280.
Gamma littera in veſtibus. 82.
S. Gaudioſus Bithinenſis Epiſcopus, Neapolim appulit. 319. Sāctorum reliquijs onuſtus. ibid. Præcipuè S. Stephani Protomartyris eruore. ibid. Ædificat Monaſterium in colle Trij. ibid. Obitus eius, & ſepultura. ibid.
S. Gaudioſus Salernitanus Epiſcopus, fuit ciuis Neapolitanus. 344. & ſeqq. & nobiliſſimus. 347. Obitus eius, & miracula. 348.
S. Gelaſius Papa vtrum cum Africanis Confeſſoribus Neapolim venerit. 320. & Garganum montem petierit. 321.
Georgiani ab ancilla ad Chriſti fidē conuerſi. 106.
Gladium minimè geſtauit Petrus. 83.
Græcè, & Latinè officia olim Neapoli celebrabantur. 359.
S. Gregorius Magnus, non fuit erector Eccleſiæ Neapolitanæ in Metropolim. 20.
S. Gregorij Thaumaturgi aurafia. 336.
Gualterius Archiepiſcopus Tarentinus, fuit Neapolitanus. 321.

H

Habetdeum Abbas ex Africa Neapolim venit, ibique obijt. 319.
Hadrianus Papa anathemate punit Neapolim ob cauſam Athanaſij. 361.
Hæretici poſt Gentiles Eccleſiam inuadere tentarunt. 134.
S. Helena an cum filio Conſtantino Neapolim venerit. 288. Eius pietas. 290. An fuerit auia Sanctę Patritiæ. 336.
Hercules non fuit conditor Neapolis. 65. Eximius eius cultus ibi. 132. & monumentū. ibid. Egregia Neapoli, & in vicinis locis, eius geſta. 133.
S. Hermagoras an cum Petro Neapolim venerit. 72.
Hieronymus Peregrinus dilatationē feſti occurſus capitis S. Ianuarij cum ſanguine impetrat. 274. Corpuſcula Sanctorum Innocentium ex Lautrechi tabernaculo aufert, & Neapolim aſportat. ibid.
Hymni in honorem S. Ianuarij. 281.

# INDEX.


I

IAcobus de Stephano Clericus Regularis Vir Apoſtolicus. 105.

Ianuaria familia in multis Italiæ Vrbibus. 197.

Ianuariorum Domus Neapoli, vbi nam fuerint. 269.

IANVARIVS Neapolitanus. 192. & ſeqq. Eius nomen. 190. Quinam primum dixerint eum eſſe Beneuentanũ. 192. vana traditione ſuffulti. 199. Antiquorum, imo & Actorum ſilentio damnati. 200. & à Tranſlatione per Siconem facta. 201. Et ipſiuſmet Ianuarij apparitione. 201. De Ianuarij domo, vt dicunt Beneuentani, quid ſentiendum. 203. Cyphij de Ianuarij patria Epitaphium, vti fictitium reijciendum. 205. Iterum, patriam eius Neapolim fuiſſe, firmatur. 309. & ſeqq. Virtutes eius plurimæ. 224. Etiam Timothæi Officialibus notæ. 226. Pergit Miſenum, vt inuiſat Soſium. ibid. è cuius capite Euangelium legentis flammam videt exurgere. ibid. In Campania, non in Samnio à lictoribus comprehẽſus. 233. Dux, & ſignifer alijs ad martyriũ. 226. Varia eius martyria. 236. Num auulſi ab eius corpore nerui. ibid. Superat cruciatus omnes. 240. Conuertit multitudinem Gentilium. 241. Locus cædis, Sulphuraria, & Vallis Vulcano ſacra. 239. Quo anno, menſe, & die cœſus fuerit 233. Idololatriæ exitium, ipſi tribuitur. 240. Exhibet ſeniculo orarium, quod illi promiſerat. 241. Sepelitur in agro Marciano cũ defecto digito. 242. Transfertur à Seuero in Templum in loco Conieli, & an ibi Tẽplum Vulcano ſacrum. 244. Transfertur Beneuentum à Sicone. 245. Miraculis multis accidentibus. ibid. & ſeqq. Inde ad Montẽ Virginis. 250. Inde Neapolim. ibid. Sanguinis eius ampullæ, cum ipſo fortè tumulatæ. 258. Vbi ſint aliæ eius Reliquiæ, & quid de neruis. 258. Apparet Seuero, & alijs. 259. Miracula multa patrat. 261. Defendit patriam ab hoſtibus, & peſtilentia. 262. & à Veſuuij eruptionibus. 264. Patronus Neapolitanus, & ſemper primo loco. 265. Templa ſub eius inuocatione. 368. B. Ianuarij limina, quænã fuerint. ibid. Hipogæum illi dicatum ab Oliuerio Cardin. Carafa. 270. Cappella Theſauri, architecto Frãciſco Grimaldo noſtro. 271. Natalis eius olim celebratus menſe Maio. 273. Olim ſingulis menſibus fiebat de eo Officium duplex. ibid. Tranſlationis feſta. 272. & occurſus capitis cum ſanguine. 274. Numui in eius honorem cuſi. 274. Eius effigies. 275. Oratio Encomiaſtica in eius laudem. 276. Officia pro eius ſolemnitatibus compoſita. 280.

Ianuarius II. Epiſcopus Beneuentanus. 204.

S. Ianuarius filius Sanctæ Felicitatis. 272.

S. Ioannes Apoſtolus, ante Balnei martyrium raſus. 275.

S. Ioannes Aquarolius fuit ſcriba. 352. A Gregorio Papa inthronizatur Epiſcopus Neapolitanus. 355. Virtutes eius in Epiſcopatu. ibid. Ornat Eccleſiam Neapolitanam. ibid. & 18. Obitus eius. 354. Morienti apparet S. Paulinus. ibid.

S. Ioannis Chryſoſtomi ſocij in Campaniam ablegati. 37.

Ioãnes II. Epiſcopus ornat Eccleſiam Neapolitanam. 17.

Ioannes IV. Epiſcopus, ornat Eccleſiam Neapolitanam. ibid.

S. Ioannis Maioris Ædes Neapolitana, num à Conſtantino magno fuerit ædificata. 298.

B. Ioannes Marinonius Clericus Regularis, hæreſeon detector, & profligator. 10.


S. Ioan-

Ioannes primus Papa, Neapolim aduenit. 325. è Rauennate carcere epiſtolã ad Epiſcopos Italiæ ſcripſit. ibid.
Ioannes IX. Papa Eccleſiam Neapolitanam Metropolitanam fecit. 19.
Ioannis Rauennatis Epiſcopi rebellio cõtra Romanam Eccleſiã. 560.
Iouis Templum propè Eccleſiã Sancti Agnelli. 293.
S. Iſaiæ vaticinia de prædicatione Apoſtolorum. 48.
Italiam in morte ſua Chriſtus reſpexit. 44.
Iudæi epiſtolas miſerunt cõtra Chriſtianos. 49.
S. Iuliana Martyr quando, & ſub quo paſſa. 159. quo die Diabolum catenarit, Pauli quarti obſeruatio. 160. Reliquiarum eius tranſlationes. ibid. Et an alibi etiam reperiantur. ibid.
Iuliani apoſtatæ edicta contra libros ſacros. 28.
Iulianus Epiſcopus Neapolitanus. 343.
Iuramẽta ſupra corpus Sancti Ianuarij. 244.
S. Iuſtinus Martyr Neapolim venit. 123. Puteolos adijt ad viſendum Sybillæ antrũ. 124. & Cumas. 170.

L

Lactantius Firmianus non fuit Magiſter S. Patritiæ. 335.
S. Laurentius Epiſcopus Neapolitanus. 342. Peſtis Neapolitana ſub ipſo. ibid. An prædixerit Sergij Epiſcopatum. ibid. Ædes ſacra cuinam Laurentio ſit dicata. 343.
Leontius Epiſcopus ornat Eccleſiam Neapolitanam. 17.
S. Leucius cum Petro Neapolim venit. 72.
Librorum ſacrorum varia iactura. 28.
Lucani Sancti aliquot. 37.
S. Lucas Pauli ſocius cum eo Neapolim venit. 101. Eius corpus vbi nũ quieſcat. 199.

M

S. Marciani Epiſcopi Neapolitani Ædicula ſacra. 343.
S. Marcianus Martyr Neapolitanus. 130.
S. Marcus Euãgeliſta Neapolim cum Petro venit. 68.
MARIÆ DEIPARÆ. Tutela erga Neapolim. 2. Vbi pluſquam cẽtum viginti Eccleſias habet. ibid. De Agnone, cur ſic dicta. 330. Conſolatrix afflictorum. 4. De Conſtantinopoli. 3. in Coſmedin. 144. In crypta Puteolana. 3. Domnæ Aromatæ. 162. Maior cur ſic dicta. 324. Et an ob Diabolum ſub porci ſpecie apparentem expulſum fuerit ædificata. ibid. A quo Ioanne Papa dedicata. ibid. Eius veneratio, cum oblationibus donariorum. 225. De Principio. 2. & 290. Reliquiæ B. Virginis Neapoli veneratæ. 4.
Marij de Vipera opinationes pro Beneuentana S. Ianuarij patria refelluntur. 193. & ſeqq. Error de Stephano S. Ianuarij in Martyrio ſocio. 229.
Marinus Amalphiæ Præfectus. 362.
Martis Templa in Angelorum Eccleſias conuerti ſolita. 293.
Martyrum aliquot Campanorũ memoria perijt. 30.
Matthæi de Afflicto Officiũ S. Ianuarij. 280.
Matres ſolitæ comitari filios. 234.
Maxima vidua Pytheculana, linteo B. Ianuarij, filij ſanitatem obtinet. 279.
S. Maximi Epiſcopi Neapolitani labores contra Arrianos. 300. Exilium eius, quonam. ibid.
S. Maximi martyrium narratur, & Tranſlatio. 174. Oſſa eius in Cathedrali Neapolitana requieſcũt. ibid.
Mediolanenſe Palatiũ, an fuerit Traiani domicilium. 203.
S. Melaniæ, & ſociorum Neapolim ad-

aduentus.36.& 312. Pietas, Peregrinatio. Diuitiæ. ibidem. An alias Neapolim reuiſerit. ibid.
Meſſanam Paulus adijt. 100.
Mons Virgilianus, nunc Mons Virginis. 249.
Mulieres, Reliquiarum Martyrum collectrices. 240. & 245.
Mutij Sfortiæ Hymnus in SS. Fauſtinum, & Iouitam. 130.

N

NEAPOLIS laudes ex Pontano, & alijs. 5. Habuit fidei ſatorem Petrum. 6. Fideliſſima dicta ex conſtantia in fide. 8. 9. 61. & 135. Explicatur nomen Paganorum illi tributum. 8. Inſignes viri Neapolis incolæ. 12. Et Sancti quoque. ibid. Dicta communis patria. 14. Variarum nationum principibus obediuit. 15. Dicta Enneapolis, cur, & à quo. 25. Ethnica, fuit in Liciniorum clientela. 62. Quo anno mundi condita. 63. Conditores eius Chalcidenſes, & Cumani. 64. Nunquam fuit Romana Præfectura. 109. cum Roma fœderata, ſua gaudens libertate. ibid. Municipium, ſed ſuis legibus, & Magiſtratibus vtens. ibid. Non fuit facta Colonia ab Auguſto. 110. Licet aliquando tandem Colonia fuerit. 111. Ipſa Colonias alibi fixit. ibid. E Græcis, & Romanis coalita ciuitas. 115. A carnificina non fuit immunis. 125. Nunquam Siconi fuit tributaria. 194. Dei ſui patrij natalis dies celebratus. 105.
Neapolitana Eccleſia cæteris antiquior. 7. Habet ſupra centum viginti Eccleſias Virgini matri dicatas. 2. & plurima Sanctorum corpora. 10. Multitudo Eccleſiarum eius. 15. Amplitudo diœceſis. 26. Pulchra facies ſub Athanaſio Epiſcopo. 358. Sancti eius, etiam extra ipſam celebres. 11.
Neapolitanæ Thermæ. 166.
Neapolitanorũ Sãctorum Reliquias expetebant Summi Pontifices. 12.
Neapolitanorum viribus ſeruata Roma, & Barbari expulſi. 100.
SS. Nicandri, & Marciani martyriũ. 339.
Nicomedienſes Martyres. 160.
S. Noſtrianus Neapolitanus Epiſcopus. 322. Ædificat balnea. ibidem. Eius germanus, Florum coercet S. Soſij ſanctitatem ementientem. ibidem. Eius obitus, & ſepultura. 323.
Nummis, Diuorum effigies exprimere quando cœptum. 274.

O

OCtauij Biloctæ Diſcurſus de Beneuento S. Ianuarij patria refellitur. 193. & ſeqq.
Oliuæ corpus apud Pithecuſas. 39.
Oliuerius Cardinalis Carafa, Archiepiſcopus Neapolitanus. 251. Ædificat hypogæum D. Ianuario. 252. quod deſcribitur. 279.
Oraculum incerti Vatis de Idololatriæ deſtructione. 46.
Orarium conceſſum damnatis. 239.
Oratoria ſecreta Chriſtianorum in domibus priuatis. 291.

P

PAllium hierarchicum quale olim. 77. Iudæorum quale. 81.
S. Pancratius cum Petro Neapolim venit. 75.
S. Paternus Martyr Fundanus. 31.
S. Patritia Virgo non fuit neptis Conſtantini Magni. 333. ſed Conſtantis Monothelitæ. ibidem. Eius peregrinatio. 336. & aoraſia. ibidem. Diues Reliquiarum ſarcina. ibid. locũ ſepulturæ ſibi deſignat. ibid. Tranſitus, & ſepultura. ibid. Miracula. 338. Sanguis ex euulſo dente. ibid. Patrona Neapolitana. 339.

ſub

# INDEX.

ſub quo Epiſcopo Neapolim aduenerit. 337.
S. Patritius Pruſæ Epiſcopus fuit Neapoli. 343. Teſtimonium eius de Stephani Epiſcopi Neapolitani ſanctitate. ibid.
S. Patrobas fuit Pauli diſcipulus. 120. & vnus ex lxx. Chriſti diſcipulis. ibid. Neapolis, & Puteolorum Epiſcopus. 121. Fuit conuictor Principis Apoſtolorum. 122. Ab edace tempore nulla eius in Neapolitana Eccleſia memoria. 122.
Patroni Neapolitani quot. 266.
Patronos ſibi aſciſcendi ritus. 265.
S. Paulus Apoſtolus Euchariſtiam in naui deferebat. 91. An Virgilij ſepulcrum inuiſerit. 98. Probatur, ipſum, dum Puteolis fuit, fuiſſe etiã Neapoli. 98. Tutela ciuitatis Neapolitanæ cũ Petro. 100. Socij eius Neapolim aduenientis. ibid. Annus, & menſis aduentus eius Neapolim. 102. Cauſæ moræ eius in Campania. ibid. Veriſimile eſt, iterum Neapolim rediiſſe. ibid. & cũ Timotheo diſcipulo ſuo. ibid. Epiſtola eius ad Hebræos, per Timotheum ſcripta fuit. 103. & fortè Neapoli, vel Puteolis. 104. Cum Tito Neapolim iterum venit. 104. Cumas inuiſit. 170. Meſſanæ Bacchylum Epiſcopum ordinauit. 105.
Paulus Aretius Clericus Regularis, S.R.E. Cardinalis, Archiepiſcopus Neapolitanus, in extremo ſpiritu Canonicos ſuos alloquitur. 310.
Paulus Epiſcopus Neapolitanus ornat Eccleſiam ſuam. 18.
Paulus Papa IV. Clericorum Regularium cum B. Caietano Fũdator, Canonicus Neapolitanus. 25. Nũquam Ordinem Benedictinorum inijt. ibid. Abdiæ hiſtoriam vti ſpuriam refellit. 78. Reſtituit Officium Cathedræ S. Petri. 45. Obſeruatio eius de Iuliana Virgine, & Martyre Diabolum catenante. 160. Iudicium de quodam numiſmate. 275. Moriens ſacrum Collegium alloquitur. 310.
Paulus Regius pluries errauit in Vita S. Ianuarij. 193. & 227.
Pedum lotio apud Antiquos. 84.
Pelagianorum ſedes in Italia. 322. Vigilat cõtra eos Noſtrianus. ibid.
S. PETRVS eodem die Romam ingreditur, & Cathedram ibi figit. 42. Comites eius ex Oriente proficiſcentis. 52. Epiſcopos in Italia ſtatuit. 53. Iter eius ex Oriente. 54. Maritimo itinere è Calabria Romam petit. 57. Aduentus eius Neapolim firmatur. 58. Quo Chriſti anno acciderit. 62. & quo menſe. 67. & quo anno cõditæ Parthenopes. 63. Comites eius Neapolim ingredientis. 68. Eiuſque ætas. 74. An fuerit primogenitus Zebedei. 75. Eius vultus, & capillatura. 76. Tunica, & pallium. 80. Lupini aſſe ſe alebat. 80. Veſtium color ſubrufus, ſeu ferrugineus. 82. Cingulus. 83. Et ſandalia quænam, & num clauata. 84. Caput eius aliquando apertum, aliquando verò minimè. 85. Baculus. 86. Tunica. 87. Gladium non geſtabat. 83. Miſſæ ſacrum Neapoli fecit. 92. Nullam Eccleſiam Neapoli dicauit. 94. Neque ibi Dioſcurorum ſtatuas confregit. ibidem. Iteratus eius aduentus Neapolim. 96. Tutela ciuitatis Neapolitanæ cum Paulo. 100. Retiuam abijt, vbi multos conuertit. 118.
Phalerus quiſnam fuerit. 65.
Phari Eccleſiaſtici. 295.
Philippus Ioannis Chryſoſtomi amicus in Campaniam ablegatus. 37.
Planuræ territorium ab Aiechi, Eccleſiæ D. Ianuarij donatum. 268.
Platamon vnde ſic dictum. 166.
SS. Pinianus, & Melania iunior Neapolim veniunt. 312.
S. Polycarpi ceruical viſum ardere, martyrij fuit præſagium. 228.
S. Pomponius Epiſcopus, fuit è gente

Mer-

Mercuria. 324. extruxit Templum Sanctæ Mariæ Maioris. ibid. Sed non ex cauſa apud vulgus recepta. ibid. Liquor ex eius corpore manabat. ibid.
Pontifices Maximi, antea Neapolitani Canonici. 25.
Pôtificis Maximi thiara triplex, quid ſignificet. 77.
S. Potitus Neapoli Fidem prædicauit. 139. & 141. Vbi eſt eius brachium. ibidem. Quæ fuerit eius patria. ibid. Apud Aſculum martyrium conſummauit. 141.
Porci in odium Iudæorum, Chriſtianorum Templis inſculpti. 325.
Primus nomine, nullus Epiſcopus Cabilonenſis. 230. Lapſus hiſtorici in Chronico illi tributo. ibid.
S. Priſcus cum Petro Neapolim venit. 70.
Proſperi Antonij Zizzæ Ode Pindarica in Tranſlationem D. Ianuarij. 252.
S. Proculus Diaconus Sancti Ianuarij. 228.
S. Ptolomæus cum Petro Neapolim venit. 72.
Pudericæ familiæ fuit Sâctus Agnellus. 328.
Puteolanus Epiſcopus Zoſimus. 36.
Puteolis diſciplina Pythagoræ florebat. 65.
Pythagoræ doctrina Neapoli recepta. 69.
Pythecuſæ Inſula, olim Epiſcopo Neapolitano ſubiecta. 157.

Q

Voduultdeus Neapolim venit. 318. Varia eius nominis pronunciatio. ibidem. Obitus eius, & ſepultura. ibid. Habet ſucceſſorem Deogratias. ibid.

R

Eligioſorũ Neapolis numerus innumerus. 26. Reliquias Sanctorum Franci ad bella ſecum ducebant. 274.
Rhedam ſequi cogebantur Martyres. 238.
Rhegium adijr Petrus ex Oriente veniens. 55. & Paulus. 100.
Reſina, ſeu Retina quale Oppidum. 118.
S. Reſtituta Virgo, & Martyr non fuit diſcipula Sancti Cypriani. 150. Sub quo paſſa. 151. Nequaquam ab ipſa dicta Ædes Carthaginenſis. 152. Neapolitana Baſilica eius, à quo ædificata. 153. & 290. Corpus Neapoli, oſſicula aliqua Pythecuſis, 157. & alia in Gallia. 158. Nulla Piſis. ibid.
S. Reſtitutæ quatuor. 150.
Robertus Scriba Canonicus Regularis S. Auguſtini. 352.
Roma dicta Ciuitas ſublimis 5. Ipſam Orientales maritimo, vt plurimum, itinere petebant. 57.
S. Rufinus cuiuſnã Sedis Epiſcopus fuerit. 304. Cruor eius dæmones torquet. ibid.
Rufus Martyr Neapolitanus. 130.
Ruſſi ab Andrea Apoſtolo ad fidem conuerſi. 47.

S

Agenæ, ſiue Samenæ genus naüium. 352.
Sancti Neapolitani alibi quoque celebres. 11. Sancti Neapolis incolæ. 12. Cultus Sanctorum non ſemper die natali. 44. Natale eorum ſolum in Eccleſias mutatum. 204. Sanctorum corpora Neapoli tumulata 10. Eorum reliquias expetebant Summi Pontifices. 12. Sancti ad Altare morientes. 355.
Saluatori cur præcipuè dicata Ædes maxima Neapolitana. 116.

San-

Sanguis vitalis Sanctorum, licet defunctorum. 254.
Sardicenſis Concilij hiſtoria. 300.
S.Satyriani Martyris Ædicula ſacra. 319.
Scribæ officium. 352.
Scribendi concinnitas à multis procurata. 352.
Scribere in veſtimentis. 87.
Scyphorum vſus in miſſis. 295.
Septuaginta Chriſti diſcipuli aliquot. 120.
Sepultura eadem data ijs, qui tempore, & ſanctitate fuiſſent proximi. 147. Sanctorum ſepulturis aliquando variè deſtinatus locus. 337.
Sergius Dux expilator ſupellectilis ſacræ Neapolitanæ. 19. Athanaſium Epiſcopum perſequitur. 360. Capitur à nepote, excœcatur, & Romam mittitur. 361. Infeliciter obit. Ibid.
Seuera gens Neapoli florens. 306.
S.Seuerus Epiſcopus, fuit è gente Seuera. 306. ſed Neapolitanus, & ex familia Carminiana. 307. Succeſſit Maximo Epiſcopo. ibid. Quo tempore ſit factus Epiſcopus, & quandiù in Epiſcopatu vixerit. 307. Cũ Ambroſio amicitiæ fœdere iunctus. 308. & Symmacho Conſule. ibid. Probabile eſt, eum Concilio Romano interfuiſſe. 308. Mortuum reſuſcitat. 309. Obiens alloquitur Clerum. 310. Morienti apparent Ianuarius, & Agrippinus. 311. Vbi requieſcat. ibidem. Vrſus fuit eius ſucceſſor. ibid. Cultus eius. ibidem.
Siconi nunquam Neapolis fuit tributaria. 194.
Siliqua monetane ſit, an cibus. 269.
S.Siluinus Campaniæ Epiſcopus. 38.
Sinueſſani Martyres multi. 31.
Sinueſſanum Concilium. 31.
Sipontum quando Petrus adierit. 56.
Solidorum valor. 296.
S.Soſius Ianuarij in martyrio ſocius. 226. eiuſque cõſanguineus. ibid. A flamma viſa in capite, inter Martyres deſignatus. 227. Erat tricenarius, quando martyrio coronatus fuit. ibid. Eius ſanctitatem multi ementiebantur. ibid. Eccleſiæ in eius honorem erectæ. ibid.
S.Soteris Papę epiſtola ad Epiſcopos Campaniæ. 134.
Stephaniæ Baſilica deſcribitur. 153.
S. Stephani Protomartyris cruor. 319.
Stephanus II. transfert corpora S.S. M.M. Eutycetis, & Acutij Neapolim. 349.
Stephanus non fuit ſocius S.Ianuarij in martyrio. 229.
Stulta mundi elegit Deus ad mundi conuerſionem. 106.
Suetonius Vaticiniũ narrat de Vrbe Roma 46.
Sulphuraria Puteolana Plutoni dicata. 239.
Subterranea ſacra ædificia varijs nominibus appellata. 271.
Surrenti aquæ medicæ. 166.
Sybillæ Vates Deo plenæ. 170. Quænam, & quot fuerint, ac eorum nomina. 171. Longæuæ ætatis. 172. Multa Chriſtianæ Fidei myſteria prædixerunt. 173. præcipuè de Apoſtolica expeditione. 45.
S. Syluester Papa vtrum in Orientem abierit. 289.
Symmachus Conſul Seueri amicus. 308. Fuit Neapoli, vbi & prædia habuit. 309.
Syrenes Parthenope, Templum Neapoli habuit.

T

Tarentum adijt Petrus ex Oriente veniens. 55.
Templa falſorum Deorum, à Chriſtianis in ſacrum vſum conuertebantur, retẽta aliqua illorum ſimilitudine. 244.
Templi Metropolitani Neapolitani extructores, & reparatores. 269.

# INDEX.

Templum Iouis Hoſpitalis Neapoli. 156.
Theodoſius Imperator dictus Calligraphos. 352.
Thermarum Conſtantini reliquiæ in Quirinali. 199.
S. Thomæ Aquinatis laudes. 12.
Tiberius Epiſcopus ornat Eccleſiam Neapolitanam. 18. Eius de Ioanne Aquarolio teſtimonium. 353.
S. Tychicus Pauli ſocius cum Neapolim venit. 101.
S. Timotheus cum Paulo Neapolim venit. 102.
Timotheus iudex S. Ianuarij. 230. Nunc Præſes, nunc Præfectus, aut Conſul appellatus. 231. & quandoque Proconſularis. 232. Eius feritas. 234.
Traditionis veræ conditiones. 197.
Traditores librorum. 28.
Traiani anima ab Inferis liberata, ex fabuloſa narratione. 199.
Tranium adijt Petrus, ſed non in primo ex Oriente aduentu. 56.
Tribula quænam ciuitas. 30.
Tribunal quid. 354.
Tunica Chriſti inconſutilis, qualis fuerit. 87.
Tympanum martyrij inſtrumentum. 181.

V

Veſuuij aquæ calidæ. 166.
S. Victor Epiſcopus Neapolitanus. 343.
S. Victoria Martyr Campana. 30.
Vicus Alexādrinorum Neapoli. 357.
Vincentius Epiſcopus ornat Eccleſiam Neapolitanam. 17.
Virgæ Magiſtratuum ex betulla. 116.
Vrbani Præſulis in Chriſtianos crudelitas. 185.
Vritanos quando Petrus adierit. 56.
Vrſicinus ſchiſmaticus. 318.
Vrſus Neapolis Dux, quid cum Sicone egerit. 195.
Vrſus Seueri ſucceſſor in Epiſcopatu Neapolitano. 311.
VVādalicæ perſecutionis initia. 315. In exilium ablegat multos Chriſti confeſſores. 318.
S. Vuillibaldus Neapolim adit. 21.
Vulcani in valle decollatus S. Ianuarius, menſe, Vulcano ſacro. 239.

X

X Littera Chriſtū ſignificat. 45. Inſcripta in ventre feræ cuidam aliquando viſæ. ibid.

Z

Zelus non aufert, nec polluit ſacerdotium. 362.
Zona Petri qualiſnam. 83.
S. Zoſimus Epiſcopus Puteolanus. 26.

# FINIS.

Errata ſic corrige.

Fo[illegible]1. linea 21. Epiſcopi, *ſcribe*, Archiepiſcopi.
1[illegible]. 7. Præſentem. Præneſtem.
12[illegible]. penultima chentelam. clientelam.
144. [illegible]. *ακυξματον ἀκυσμάτον*.
272. 10. extra. ſecus.
288. 34. Numiſmates. Numiſmate.
3[illegible]8. 10. Carminiana. Puderica.

---

# REGESTVM.

✻ ✻✻ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo Pp Qq
Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb

Omnes ſunt duerniones, præter ✻ quæ eſt tern;
& Bbb quæ eſt fol. ſimpl.